HAVERCAMP
Sylloge
Scriptorum
De
Pronuntiatione
Linguae Graecae

1







Havercamp, Sygvert

SYLLOGE SCRIPTORUM,

QUI DE

LINGUAE GRAECAE

Vera & recta Pronuntiatione
Commentarios reliquerunt,

Videlicet,

ADOLPHI MEKERCHI, THEODORI BEZAE,
JACOBI CERATINI, & HENRICI
STEPHANI.

Quibus accedunt

SIGEBERTI HAVERCAMPI

DISSERTATIO

DE


LITERARUM GRAECARUM

Varia, in Antiquis praesertim Nummis & Marmoribus, Scriptura & Forma,

Et antiquissima quædam

NUMISMATA GRAECA,

Numero quadraginta novem, magnam partem
inedita.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud GERARDUM POTVLIET.
MDCCXXXVI.

V I R O

NOBILISSIMO ATQUE

AMPLISSIMO

ARENTIO

VAN DER

DUSSEN

BRUNONIS F.

J.C. URBIS DELPHENSIS SENATORI
ET CONSULARI,

AD COLLEGIUM
NOBILIUM AC PRAEPOTENTIUM
ORDINUM HOLLANDIAE
NUPERRIME DELEGATO,

ACADEMIAE LUGDUNO BATAVAE
CURATORI,

SOCIETATIS INDIÇAE
MODERATORI,
&c. &c. &c.

S.P.D.

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS.

SI ſæpe robuſtior Aetas, quæ vel in pueritia luſit, vel in adoleſcentia cum ſtudio ſectabatur, præſertim ſi in Virtutis ſtadio ætas illa transacta fuerit, non ſine ſenſu quodam gratæ titillationis recolit; haud equidem dubito, quin inter graves Reipublicæ curas, patriæque Delphenſis Urbis ſummos Magiſtratus, Tibi nonnunquam aurem, VIR AMPLISSIME vellat, Attica illa Suada & Græcus lepor. Non quod ab Alumno quondam ſuo, cujus labiis mel merum inſtillavit, deſertam ſe queratur, exſtinctaque mole negotiorum, & verſis ad majora ſtudiis, priſcæ Eruditionis raræque Doctrinæ ſemina; ſed ut

ostendat, non alios rectius verum laboris percipere fructum, quam eos, qui, spreta corruptæ ætatis luxuria, pristinos Avorum sequuntur mores, seque tum bene moratos putant, quum per atrium Virtutis ad ædem adscendunt Honoris.

Talem Te, VIR AMPLISSIME, miratur nostra Respublica, colit Civitas patria, suspiciendum omnibus Sacris suis Belgica præfecit Pallas; neque solidum magis ea novit gaudium, quam ubi Tuis auspiciis emicans, omnium bonarum Artium atque Disciplinarum, veluti olim in Doctis Athenis, in hac Urbe pandat Gymnasium.

Talem privatim, Te, Avunculum suum, Studiorum & Virtutis Hortatorem unicum, decora juventa florens, quem Musæ & Charites

rites amant, eximius ſequitur Nepos, MATTHIAS KÖVER; cui, ſicuti in deliciis Humaniora ſunt ſtudia, atque præ omnibus divitiis ſacræ Palladis placent Artes, ita nos haud æquum eſt tacere, hujus quoque Sylloges magnam partem ejus officio deberi. Nam ſane; ſicuti in optimis pulcherrimisque libris colligendis, majori quam pro ætate ſtudio atque cura fertur, ſic liberaliter inde nobis Bezæ, atque Ceratini libellos ſubminiſtravit, quos una cum Mekerchi opuſculo (cujus Goltziana Editione anni MDLXV. hactenus fueramus uſi) adjecto ſuo pro Linguæ Græcæ Pronunciatione Apologetico, anno MDLXXXVII. ediderat Henricus Stephanus.

Haud exigua igitur hujus Sylloges pars ejus, imo Tua, VIR

AMPLISSIME, eſt, ad cujus vivum Exemplar & ſtudia & mores ſibi fingit Nepos, &, decurſo cum laude ſtadio, quondam æmulabitur Honores.

Lugd. Bat. 25. Decemb.
MDCCXXXV.

PRÆ-



PRÆFATIO

AD

LECTOREM

BENEVOLUM.



aud longa Præfatione vel Tibi molestus ero, vel tempus mihi eximam. Adolphi Mekerchi libellus de Linguæ Græcæ recta ac vera pronuntiatione, quum optimæ frugis mihi esse videretur, dignus est

 vi-

visus ut publicæ Studiosorum pulcherrimæ hujus Linguæ utilitati pateret uberius, quam hactenus, propter eximiam sui raritatem, fieri potuit. Ne tamen prodiret simpliciter, impetum cepi aliquid adtexendi, quod non alienum a Mekerchiano labore videretur. Libello itaque ejus sive Dissertationi de vera & Germana Linguæ Græcæ Pronuntiatione, Dissertationem adjeci alteram de Veteri Scriptura & antiquis Græcarum Literarum figuris. Cuncta ex fide antiquissimorum Numismatum atque Inscriptionum, quantum fieri potuit, eruta atque stabilita sunt; neque enim antiqua hæc atque abstrusa commodius quam ex Antiquitatis naufragiis illustrari possunt fidemque Scriptorum Veterum, vetustissimorum Nummorum comprobatam testimonio, quivis, ut puto, æquus rerum æstimator, non sine voluptate aliqua agnoscet. Aristophanis Comœdiam, quæ Plutus dicitur, & inter lepidissimas ejus honestioresque merito censetur, in privatæ Scholæ usum, libello huic adjungere animus erat; verum postea consilium mutavimus,

mus,

mus, atque maluimus cum aliis, quæ ad exercitia ſtudiorum inter privatos ſpectant parietes, Ariſtophanica illa ſociare, quam in fine hujus libelli obtrudere. Potiorem locum mereri videbantur, nobilia Eruditorum, eorumque, qui ante & poſt Mekerchum, cum laude in eodem ſtadio decurrerant, Theodori Bezæ, Jacobi Ceratini & Henrici Stephani, ut adjungerentur, ſcripta. Quod conſilium quia ſerius cepimus, inde inverſum in collocatione videas ordinem; quum ex hiſce triumviris, Bezæ quidem & Ceratino (qui Lexicon Græcum Baſileæ apud Frobenium anno 1524. *excuſum, auxiſſe legitur) omnino ante Mekerchum locus dari debuerat, & ex prioris quidem eruditiſſimo libello quantum poſterior, tacito Bezæ nomine, profecerit, cuique clarum atque manifeſtum ubivis in utriusque ſcriptis eſſe poterit. Quod ſicuti candori Belgico aliquantum obeſſe videtur, nihilominus poſterior ſatis rigido Cenſori, Henrico Stephano, tantopere ſatisfecit, ut is in principio Apologetici ſui p.* 392. *ad depravatæ Pronunciationis correctionem ac-*

ceſ-

cessisse firmissima Adolphi Mekerchi adfirmet subsidia. Præluxerant Bezæ aliisque Jo. Checus, Britannus, ut & Thomas Smithus, cujus de eadem materia scriptum edidit Robertus Stephanus anno 1568. Verum posterioris opusculum offendere nondum licuit, prioris vero de Pronunciatione Linguæ Græcæ Disputationes cum Stephano, Wintoniensi Episcopo, Basileæ a. 1558. editæ, si in tempore ad nos pervenissent, reliquis junctæ fuissent; rarioris autem hujus libelli copiam tum demum nacti sumus, quum suprema jam typis imposita huic Sylloge manu, comitem eundem hisce dare non fuit integrum. Itaque, si quidem favere Lucinæ nostræ studiosos Græcæ Linguæ cernam; primum locum is Jo. Checus, ejusque labor obtinebit in altero Volumine, præfixus aliis, qui in eodem genere scribendi versati fuerunt, ut sunt Gregorius Martinus ad Adolphum Mekerchum de Græcarum Literarum Pronunciatione, ex Bibliotheca Cl. V. Jo. Seldeni, M. Samuelis Gelhudii de Veteri & Vera Linguæ Græcæ Pronuntia-

tione

tione Tractatus, in quo & de hodiernorum Græcorum Pronuntiatione nonnulla, Jo. Rodolphi Wetstenii similis labor, aliaque ejus generis Scripta rariora, passim propter exilem molem dispersa & haud facile parabilia.

VITA



VITA A. MEKERCHI

Ex Bibliotheca Belgica VALERII ANDREÆ DESSELII, aliisque.



ADOLPHUS MEKERCHUS, vulgo a Metkerke, Brugensis, Eques, Franconatium Senator fuit perpetuus apud Brugenses. Post Flandrici Concilii, in illis Belgarum ab Hispaniarum Rege secessionibus, constitutus præses, varias Legationes Ordinum cum Flandriæ tum Belgii totius nomine obivit; fuitque e Decemviris pacis apud Bel-

Belgas restituendæ arbitris, Coloniam Agrippinam ab iisdem Ordinibus Anno CIↃ IↃ LXXIX. delegatus; ipseque Acta illius Pacificationis, a se collecta additis & Adnotationibus (quæ plerisque locis genium Auctoris ad nova tum sacra propensum, produnt) edidit Antverp. recusa dein Lugd. Bat. MDLXXX. 4°. Fuit vero Græce Latineque atque antiquitatis omnis peritissimus, unaque cum Laurinis Fratribus ac Joan. Stadio in Fastos Consulares, Vitas Cæsarum, Magnam Græciam, Hub. Goltzii manu typisque in lucem edita, operam suam contulit: scripsit elegantem libellum *de veteri & recta Pronuntiatione Linguæ Græcæ*, explosa vulgari, usitata hodie Græcis, Brugis 1565. & Antverp. MDLXXVI. 8°. adjectum est eodem Auctore *Kalendarium perpetuum*, sive *Ephemeris Syllabica* dierum festorum Ecclesiæ Rom.

Moschi & Bionis Idyllia varie dispersa in unum fascem collegit & Scholiis illustravit Brugis, 4°. MDLXV. apud Goltzium.

Reddidit & Carmine Latino *Theocriti Syracusani Epigrammata*, Witzeburgi

burgi cum Parergis Poëticis Joan. Posthii edita.

Obiit Anno D. CIƆ IƆ XCI. ætatis LXIV. prid. Non. Octob. Londini in Anglia: quo, rerum paullatim in Flandria potiente Alexandro Parmæ Duce, secesserat.



REVERENDISSIMO

NOBILISSIMOQUE

FRANCISCO AB HELFAUT,

divi PETRI in monte Blandinio Abbati, primo Gandavensium Episcopo designato,

ADOLPHUS MEKERCHUS

Brugensis S. D.



X quo semel, Præsul Amplissime, in tuam amicitiam receptus sum, non desiisti omnibus humanitatis officiis me meosque prosequi, tuoque favore quantum posses ornare: ita ut ultro etiam Francisco filiolo meo recens nato ad sacrum baptismatis fontem nomen tuum indideris. Ac dici certe a me nullo modo potest, quot veluti vinculis fidem & observationem in te meam obstrinxeris. Ut autem fœdissimam ingratitudinis notam effugerem, diu multumque apud me deliberavi, qua potissimum ratione, si non remunerari tanta beneficia, at agnoscere & testificari tuam

in me benevolentiam poſſem. Itaque dum a reipublicæ noſtræ Francofurtanæ negotiis paullulum temporis ſuffuratus, vertendis Græcorum epigramatis & annotationibus in eadem ſcribendis ſubſecivis horis impedior, ſcedaſque meas ſitu & pulvere obſitas curioſius excutio, ecce forte fortuna in manus meas incidit farrago de Veteri & Recta Pronuntiatione Linguæ potiſſimum Græcæ, quam adoleſcens admodum Lovanii in uſus proprios non ſine fructu conſarcinaram. Eam ut Caſtelio Nanſioque doctiſſimis mihique amiciſſimis, ac Laurinis fratribus, viris clariſſimis omniſque antiquitatis peritiſſimis, communicavi, hortati ſunt ut ſub incudem revocatam & recognitam in gratiam ſtudioſorum paterer publicum accipere: dictitantes renaſcenti Linguæ Græcæ, quam inter ceteras Dominus noſter JESUS triumphali titulo in cruce conſecravit, ac divinæ litteræ nobilitarunt, hac ratione non parum ſuccurſum iri: futurumque ne diutius ſæculum noſtrum, quo omnes bonæ artes reviviſcunt, in depravatiſſima pronuntiatione, qua nunc etiam eruditi utuntur, tanquam ad Sirenæos ſcopulos conſeneſcat. Eam ſiqui-

quidem illi non aliunde petunt quam a vulgo omnis abuſus auctore & magiſtro. His adductus, denuo libellum in manus arripui: quumque plurima in eo non ſatis placerent, cœpi multa configere, caſtigare, corrigere, (labor hic quam ſcribere major) locupletare, totam denique ejus faciem invertere, & quod ajunt, mutare quadrata rotundis. Hunc ita veluti renovatum promtus ad te mitto, non quaſi tuum illi ſuffragium vel patrocinium adverſus iniquos rerum æſtimatores implorare velim, (iſtuc enim flagitare munus eſſet, non dare) ſed ut ſit tibi recens ad Epiſcopalis dignitatis faſtigium evecto gratulationis vice, ſymbolumque animi in te mei, teſtimonium in me tui. Illud inſuper adderem lubens, niſi leviori munuſculo ſumtuoſiorem legem dicere viderer, fore & hunc libellum in bibliotheca tua (quam in montis Blandinii cœnobio antiquis & manuſcriptis exemplaribus habes inſtructiſſimam, novaque ac diligenti indies acceſſione omni librorum genere auctiſſimam) clientelæ apud te noſtræ elogium ac monumentum. Neque enim vereor, qua es humanitate, & erga litteratos omnes benevolentia (quod am-

pliſſima teſtantur alimenta, quæ nuper in Academia Lovanienſi adoleſcentibus ſtudioſis decreviſti) quin hoc quantumvis exiguum, æqui bonique ſis conſulturus. In populo ſiquidem Iſraëlitico ſingulis mandatum fuiſſe legimus, ut ad ſtructuram tabernaculi aliquid conferrent, ſed pro ſua quiſque facultate: (neque enim fieri poterat ut ſinguli in conferendo eſſent pares:) dominum autem non tantum acceptaſſe pretioſa munera divitum, aurum, gemmas, cedros, & ligna ſetim, ſed etiam viles illos caprarum pilos qui à pauperibus offerebantur. Ceterum quantumvis hæc prima fronte exilia, levia, minutula, παράδοξα, & abſurda videantur; non ideo ſtatim deſpici, aut imperitorum potius errore quam vero doctorum judicio ponderari debent. Ejuſmodi quippe ſunt, ſine quibus majora & altiora conſtare non poſſunt. Neque vero, quum fortaſſis gravioribus tractandis par non ſim, hinc ullam ingenii aut eruditionis gloriam ſpero: nec, ſi ſperarem, mihi auſim polliceri: quum hic plane nulla ſit: &, ſi quæ eſſet, hanc ipſam mihi alii præripuerint. Lubenter enim fateor, nihil

meum,

meum, hoc eſt, nullas leves aut incertas conjecturas, divinationes, vel ſomnia mea me huc adferre; ſed in pronunciatione reſtituenda, ſola veterum ſcriptorum, ex quibus hæc hauſta ſunt, auctoritate, præceptis, ac teſtimonio niti, fideliterque majorum veſtigiis inſiſtere & inhærere: ut ea quæ in re diſperſa atque infinita viderentur eſſe, ratione & diſtributione ſub uno adſpectu ponerentur, ut inquit Q. Cicero ad M. Fratrem. Quocirca non recuſo humilis, abjectus, & inglorius haberi, modo publice proſim. Cur autem me pudeat, quod Demoſthenem, Ciceronem, Quinctilianum, Victorinum, Priſcianum, Terentianum, Eraſmum, & alios majorum gentium deos non puduit? qui veriti non ſunt inter medios ſtrepitus forenſes, Reipub. negotia, ſtudia rhetorica, philoſophica, atque adeo theologica, ad hanc etiam Grammatices partem ſeſe demittere, & in ea nonnunquam diutius ſerioque conquieſcere: nempe quod illam non infimam, ut vulgus hodie, ſed in eloquentia præcipuam ac ad bene dicendum & intelligendum prorſus neceſſariam judicarent. Non enim, ut Fabius

ait, cujusvis auris est exigere litterarum sonos, non magis hercle quam nervorum. Vale Præsulum decus; & nunc tandem, quod speramus, tam alacri animo hanc novam provinciam tibi oblatam capesse, quam difficilem te hactenus præbuisti. Norunt enim omnes, quam non ambiveris hoc onus, sed serio etiamnum recuses, quamque lubens id ex tuis humeris excuteres, nisi Philippus Austrius Hispaniarum Rex Catholicus, post optimi patris Caroli Quincti Imperatoris obitum, ut per novarum dioeceseon erectionem labanti Reipublicæ Christianæ in Belgica sua succurreret, te diu reluctantem huic muneri admoveret, ac ad id quodammodo adigiret. Dominus JESUS servet te nobis ecclesiæque suæ diu incolumem. BRUGIS Flandrorum kal. Maij M. D. LXIIII.

LECTORI.



IC non ſolum, candide Lector, ex variis tum auctoribus tum linguis certo evincitur, eam qua hodie etiam docti utuntur pronuntiationem maxima ex parte notham, depravatam, & ſuppoſititiam eſſe, neque linguæ Græcæ diſcendæ docendæque idoneam: ſed ejus etiam loco vera, germana, incorrupta, & pura puta veterum Græcorum pronuntiatio ex reliquis antiquitatis & linguis vulgaribus petita in integrum reſtituitur. Interim tædii juvandi gratia, multa obiter linguæ Latinæ populariumque quibus hodie utimur linguarum vocabula in Græcia nata eſſe demonſtrantur, & ad ſuos fontes revocantur: ac de orthographia, etymologia, dialectis, accentibus, vocumque ſignificatione quædam, ὡς ἐν παρόδῳ, *interſerun-*

runtur, aliaque non pauca cognitione dignissima, rerum varietate jucunda, & propter antiquitatem veneranda tractantur. Vale.

Εἰ νέα τέρπουσιν, δίδομεν νέα· σὺν δὲ παλαιὰ
Μίξαμεν, ὥς τι νέον καινοπάλαιον ἔχῃς.

ADOLPHI MEKERCHI

Brugensis, de Veteri & Recta Pronunciatione

LINGUÆ GRÆCÆ

Commentarius.

Caput Primum.

Quod Grammatico & Oratori necessaria sit recta pronuntiatio.



E Grammatica Graeca hoc tempore & patrum nostrorum memoria multi copiosè, recte, & luculenter scripserunt tum Græci tum Latini: at plerique primam illam Grammatices partem, quæ de litteris, earumque sonis, vi, ac potestate tractat, ne attigerunt quidem, vel leviter admodum aut perperam tractaverunt. Quod non tam illorum negligentiæ aut culpæ, quàm vitio temporis adscribendum duxerim. Nam quis est qui litteras vel à limine salutavit, aut quantulumcunque alicujus linguæ gustum consequutus est, quem lateat quanti recta valeat pronunciatio? quæ vel eo nomine penitius à Grammaticis excutienda fuit, quòd hæc ars potissimum circa

litteras versatur, & ab illis tanquam à digniori denominationem accepit, γραμματικὴ γὰρ ἀπὸ τῶν γραμμάτων, quòd ejus prima principia litteræ sunt: idcirco στοιχεῖα quoque, hoc est elementa appellatæ. Ita ut hæc pars neutiquam levioris momenti, contemnenda vel negligenda fuerit, sine qua majora (ut Fabii verbis utar) constare non possunt: quippe unde, non dico syllabarum & dictionum, sed totius orationis ac linguæ splendor, venustas, energia, immo anima ipsa dependeat. Etsi enim prima hæc sunt pueritiæ rudimenta, existimo tamen de his propriè dici posse quod Quinctilianus de hac tota disciplina non veretur affirmare, multo plus eam in recessu habere quàm fronte promittat. Nam si verum est, multum interesse non modò quid dicatur, sed etiam quomodo dicatur, nemo ista contemserit, sine quorum cognitione neque cum voluptate audiri quæ loquimur, neque quæ scribimus legi possint: quia sine his numerosam illam collocationem, id est vera orationis ornamenta non possis adhibere. Tantopere enim recta pronuntiatio commendat orationem, ut interdum duobus eadem lingua loquentibus, alter, veluti citharœdus quispiam modulatissimè canens, aures omnium in se habeat intentas, alter molesto latratu tædium moveat omnibus, nec alia videatur pronuntiatio, sed alia prorsus oratio, immo quidvis potius quam oratio. Itaque, ut ego quidem arbitror, nihil æquè hodie spem eorum frustratur, qui se ad Poetæ

aut

aut Oratoris alicujus veteris imitationem contulerunt, atque virtutis litterarum & accentuum ignoratio; quæ quidem in verborum collocatione & orationis ſtructura dominantur.

Ideoque pronunciationem tanti feciſſe veteres illi auctores claſſici perhibentur, ut in ea ſola magnam vitæ partem triverint. Hinc Demoſthenes, ille Atticæ eloquentiæ parens, cuidam percontanti quid eſſet in eloquentia præcipuum, reſpondit, pronuntiatio: roganti quid proximum, iterum reſpondit, pronunciatio; roganti quid tertium, nihil aliud reſpondit quàm pronuntiatio: tantum ei tribuens, ut judicaſſe videatur non præcipuam in ea ſed totam orationis vim ſitam eſſe, & abſque ea eloquentiam conſiſtere non poſſe. *Etenim* (ſi Quinctiliano credimus) *vox mentis index, & velut* exemplar, ac totidem quot *illa mutationes habet. Ac veluti color oculorum indicio, ſapor palati, odor narium dignoſcitur: ita ſonus aurium arbitrio ſubjectus eſt.* Proinde idem Demoſthenes, quum natura ad exprimendum ῥῶ linguam haberet inexplanatam, præterea ſpiritoſus eſſet, & vox infirmior multitudinis fremitu interſecaretur, non eſt gravatus magnam vim dictionum ϱ habentium, tophis ſubter linguam impoſitis, adverſo monte, continuato ſpiritu identidem reſonare, & in litore nonnunquam, quum maximè fremeret mare, dictionem exercere, ut populi fragorem aſſueſceret contemnere. Nec illi turpe videbatur vel optimis relictis magiſtris ad canes ſe conferre,

&

& ab illis ρ literæ vim & naturam petere, illorumque in sonando, quod satis esset, morem imitari, atque ita oris vitium summa industria, longo usu, & exercitatione corrigere, naturamque ipsam vincere. Ita verum esse docuit quod à sapiente quodam dictum est, μελέτη πάντα δύναται. Quis nescit quàm varia M. Tullius de litterarum verborumque sonis in Oratore commemoret, quæ non modò à vulgi consuetudine, verùm à quorundam quoque doctorum præceptis abhorrere videantur? Quid Julius Cæsar? quid Augustus? nonne ostenderunt se non modò à corrupta loquendi consuetudine, verumetiam à nonnullis qui in eruditorum numero haberentur, longè dissentire? Quid Messalla Corvinus? quae fuit caussa cur de unius litteræ sono integrum librum conscriberet, nisi quia videbat etiam litteratos aliter σῖγμα pronuntiare, quàm ipse judicaret esse pronuntiandum? Mitto alios non paucos qui idem factitarunt. Ex quo sequitur, Grammatico & Oratori rectam pronunciationem ex æquo necessariam esse, ejusque rationem propriè ad eos pertinere.

CAPUT II.

Quòd sit recta quædam pronuntiatio.

ESse itaque aliquam emendatè proferendi rationem, cùm ex multis aliis, tum ex eo etiam manifestum fit, quòd alia in hac parte alii

alii ſequantur. Hinc factum eſt ut tanta in pronuntiando varietas extiterit, ut pauci inter ſe in litterarum ſonis conſentiant. Quod quidem mirum non eſſet, ſi indocti tantùm à doctis in eo, ac non ipſi etiam alioqui eruditi inter ſe magna contentione diſſiderunt. Non poteſt autem, niſi unum eſſe verum, ſecundum verſum veterem, quem citat Ariſtoteles,

Ἐσθλὸν μὲν γὰρ ἁπλῶς, παντοδαπῶς δὲ κακόν.

Eſt igitur verum ac rectum, ſimplex atque unius modi: nam hoc certè bonum eſt: falſum autem & pravum, multiplex, quoniam malum. At ratio & ſcientia exquirit atque invenit verum, cùm proprietatem ſermonis & naturam linguæ conſiderando, tum uſum incorruptæ antiquitatis obſervando. Etſi autem interdum præſens conſuetudo aliquid obtinet & evincit contra veritatem, tamen doctrina & ratio ita illud admittit, ut quemadmodum ſe facere Cicero ait, uſum populo concedat, ſcientiam reſervet ſibi. Quis autem eſt tam præpoſtero judicio, ut quum à doctis quod rectum eſt didicerit, malit tamen cum vulgo in errore perſiſtere, & guſtatis potioribus ultro ad deteriora recidere?

CAPUT III.

Cuilibet linguæ opus esse certa & distincta pronuntiatione.

PORRO cuilibet linguæ, ut facilè, statim, & rectè intelligatur, opus esse distincta, certa, & inconfusa singularum litterarum pronuntiatione, ipsa ratio indicat, & clarius est quàm ut probari debeat: quandoquidem extra controversiam est singulas litteras & diphthongos inter se planè diversas esse, &, ut Fabius docet, proprium ac peculiarem habere sonum, Frustra enim distinctæ essent litteræ, si sono nihil differrent. Alioqui propter sonorum confusionem & similitudinem lingua scateret amphibologiis, nec posset commodè legi vel intelligi, ac loquenti simul & audienti nauseam pareret. Quis enim est auribus adeò patientibus, ut vel paulisper ferat orationem ubique sui similem? Tantam vim habet varietas, ut nihil omnino tam nitidum sit, quod non squalere videatur citra illius commendationem. Gaudet ipsa natura in primis varietate: quæ in tam immensa rerum turba nihil unquam reliquit, quod non admirabili quodam varietatis artificio depinxerit. Et sicut oculi diversarum adspectu rerum magis detinentur, ita semper animus circumspectat in quod se veluti novum intendat. Cui si cuncta sui similia occur-

currant undique, tædio protinus avertitur: atque ita perit totius orationis fructus. Denique quum voces non fortuitò natæ, ſed ad rerum quas ſignificant, ſimilitudinem effictæ ſint, ipſiſque elementis ipſoque ſono quod ſignificant ferè referant, (ut præclarè Plato in Cratylo docet) exactiſſima adhibenda cura eſt in ſingularum litterarum enuntiatione: alioqui ſonus à ſuo ſignificatu toto cælo diſſidebit: ut ſi quis *μηκρὸν* (pro *μακρὸν*) quod longum ſignificat, eodem modo ſonet quo *μικρὸν*, id eſt parvum. Sed & Lucianus in Judicio vocalium teſtatur omnes litteras vim ſuam, ordinem, & auctoritatem retinere, neque ullas unquam aliarum poteſtatem uſurpare.

Apud quem ita *σῖγμα* adverſus *ταῦ* coram vocalibus judicibus verba facit: *Καλὸν γὰρ ἕκαστον μένειν ἐφ' ἧς τετύχηκε τάξεως. τὸ δὲ ὑπερβαίνειν ἐς ἃ μὴ χρὴ, λύοντός ἐστιν τὸ δίκαιον. Καὶ ὅγε πρῶτος ἡμῖν τοὺς νόμους τούτους διατυπώσας, εἴτε Κάδμος ὁ νησιώτης, εἴτε Παλαμήδης ὁ Ναυπλίου, καὶ Σιμωνίδῃ δὲ ἔνιοι προσάπτουσι τὴν προμήθειαν ταύτην, οὐ τῇ τάξει μόνον, καθ' ἣν αἱ προεδρεῖαι βεβαιοῦνται, διόρισαν τὶ πρῶτον ἔσται, ἢ δεύτερον, ἀλλὰ καὶ ποιότητας ἃς ἕκαστον ἡμῶν ἔχει, καὶ δύναμιν συνεῖδον. Καὶ ὑμῖν μὲν, ὦ δικασταὶ, τὴν μείζω δεδώκασι τιμὴν, ὅτι καθ' αὐτὰ δύνασθε φθέγγεσθαι· ἡμιφώνοις δὲ τὴν ἐφεξῆς, ὅτι προσθήκης εἰς τὸ ἀκουσθῆναι δεῖται. πασῶν δὲ ἐσχάτην ἐνόμισαν ἔχειν μοῖραν ἔνια τῶν πάντων, οἷς οὐδὲ φωνὴ πρόσεστι. Καθ' αὐτὰ μὲν οὖν τὰ, φωνήεντα φυλάσσειν οἴκε τοὺς νόμους τούτους. Τὸ δὲ Τ τοῦτο (οὐ γὰρ ἔχω αὐτὸ χείρονι ὀνομάσαι ῥήματι,*

ἢ

ἢ ᾧ καλεῖται) ὁ μὰ τοὺς θεοὺς, εἰ μὴ ἐκ ὑμῶν δύο συνῆλθον ἀγαθοὶ καὶ καθήκοντες ὁραθῆναι, τό, τε ἀλφὰ καὶ τὸ υ, οὐκ ἂν ἠκούσθη μόνον, τοῦτο οὖν ἐτόλμησεν ἀδικεῖν με, &c. Hoc est: *Pulchrum est unamquamque litteram, eo in ordine quem sortita est, se continere. Eas verò quas non licet metas transilire, ejus est qui jus & æquum solvit. Et qui primus nobis has leges imposuit, sive ille Cadmus insularis, sive Palamedes Nauplii filius (licet non desint qui Simonidi hoc providentiæ tribuant) non ordines solum & subsellia, quibus existimatio cujusque decernitur, destinxere, videlicet quæ debeat esse prima, quæ secunda: verùm & habitudines quibus pollemus, & vim suam omnibus præscripsere. Et vos quidem judices majori honore illustrarunt, quòd per vos nullius indigæ sonum potestis efficere. Semivocales autem secundo loco dignati sunt, quæ haud sanè multa ope subnixæ, exaudiuntur. Postrema verò conditione alias quasdam condemnarunt, quibus ne vox quidem adest. Has itaque leges per vos Vocales conservari decet. Verùm hæc Tau (nequeo enim eam deteriori nuncupatione appellare, quàm qua nominari solet) quæ, nisi per Deos ex vestro collegio duæ alioqui insignes & adspectu decoræ convenissent, Alpha atque* υ ψιλὸν, *ne audiri quidem omnino potuisset: hæc inquam me ausa est injuria afficere*, &c.

Caput IV.

Veterum Græcorum pronuntiatio elegantiſſima & facillima.

FUiſſe autem veterum Græcorum ut diſtinctiſſimam, ita maximè concinnam, elegantem, & facilem pronuntiationem, rebuſque quibuſlibet tractandis accommodatiſſimam, vix puto aliquem eſſe qui dubitet. Ideòque Quinctilianus lib. XII. ait ſermonem Latinum ne poſſe quidem ad jucunditatem Græcanicæ pronuntiationis adſpirare. Hinc illorum lingua omnibus exteris nationibus tanto in pretio & admiratione fuit, ut avidiſſimè omnes, etiam Romani ipſi, eam diſcerent & excolerent, liberòsque ſuos Athenas ad eloquentiam & philoſophiam parandam confertim mitterent. Ex quo manifeſtò colligitur, nequaquam tam confuſum, exilem, & effeminatum plerarumque litterarum, diphthongorum, & ſyllabarum ſonum fuiſſe, quam nunc vulgo auditur. Nec enim veriſimile eſt (ut cetera omittam) illos indiſcreto ſono enuntiaſſe ε & αι: rurſus η, ι, υ, ει, οι, & υι, Nunc vero, non ſecus atque olim in aprum Trojanum diverſa animantium genera inferciebantur, ſic in unius ι ſonum multæ vocalium & diphthongorum varietates intruduntur: ita ut multitudine ſcripturæ confundatur ſonus, repetitione ſoni obtundatur lingua; nec auris nec mens vocum ſignifica-

tionem prima fronte possit assequi. Tanta est enim sonorum inter sese in litteris, diphthongis, syllabis, & dictionibus diversa significantibus similitudo, ut omnia scateant similiter cadentibus, plena sint obscuritate & amphibologiis, nihil audias nisi πολυΐωτα, aut potius perpetuum quendam ἰωτακισμὸν, vel infantium vagientium vocem, quam in morem *e* litteræ efferunt. Quum tamen, ut diximus, nulla alia lingua majorem habeat in sonis varietatem & elegantiam quam hæc, nec ullius recta pronuntiatio rei de qua loquitur aptius conveniat

CAPUT V.

Græcorum pronuntiatio quomodo corrupta fuerit, & quid mali inde consequutum.

Sed quomodo, inquies, fieri potuit, ut in hanc linguam cultissimam tanta confusio, corruptela, & deformitas irrepserit? Nihil mirum. Paullatim enim Barbarorum, & præsertim Mahometistarum, Turcarum, ac Semijudæorum incursionibus, quæ frequentes in Græcia acciderunt, eorum lingua à pristino illo nitore ita degeneravit, ut plane in aliam sit commutata, eamque non possis agnoscere. Tale quid olim etiam accidit Italiæ: cui Gothi, Vandali, Hunni tantam cladem attulerunt, ut linguam Romanam funditus pœne cum

cum universa antiquitate extinxerint. Unde videmus nostri seculi Græcos & Italos nihil minus quam Græce aut Latine loqui, & vix aliquas earum linguarum reliquias in vernaculis suis idiomatis retinuisse. Huc accedit quod plerique superioris sæculi Grammatici, partim ut linguam Græcam obscuriorem & difficiliorem redderent, partim ut ipsi apud exteros ejus linguæ imperitos doctiores haberentur, plerisque litteris, diphthongis, & syllabis novos sonos affinxerunt, & inventis suis multa immutarunt ac depravarunt, multa quoque excogitarunt, quæ priscum illud sæculum ne somniarat quidem. Ut taceam, pronuntiationem vitiatam esse partim ex corruptela vulgati sermonis, partim ex eo quod soni vocum scribi nequeunt, quodque nihil apud populum stabile, nihil diuturnum. Ex quo effectum est, ut adulterina illa pronuntiatio in hæc tempora devenerit, & lingua per se præstantissima omnibus ornamentis spoliata, præsidiis nudata, facultatibus dicendi discendique destituta sit. Quis enim nunc cum altero Græce loqui, quis conferre studia, quis alterum commode docere potest? quis exercitatione dicendi linguæ cui incumbit peritiam conservare? quis alterum sine nimis curiosa animi attentione intelligere poterit? Ut homines jure ab eo studio alienentur, in quo postquam profecerint, quid eo faciant prorsus nesciunt, præterquam ut legant vel secum mussitent. Tolle loquendi facultatem, tolle audita percipiendi celeritatem,

tolle diſcendi opportunitatem, & facile omnes ardores animorum ad ejus Linguæ ſtudium inflammatos reſtingues, facile omnes in ignoratione linguæ Græcæ continebis, facile ut habeant de quo in litteris gloriari poſſint, ſi velint, efficies. Et ſane deplorandum eſt, linguam copioſiſſimam & uberrimam, cujus cognitio, ſtudium, loquutio per totum pœne orbem diffundebatur, nunc in tam anguſtos fines cogi, ut ne duorum quidem hominum ſermoni plane pateat. Scilicet præclare de litteris & ſtudiis merentur, quum exercitatio loquendi, maximum præſidium ad linguam quamvis diſcendam habeat, qui linguam Græcam, invitis omnibus, volunt mutam & elinguem eſſe, & non modo ad uſus hominum non idoneam, ſed ne brutorum quidem animantium vocibus exprimendis eſſe aptam. Recte ſane litteris conſulitur, quum, ne juvenes de Græca lingua nimis inſoleſcant, utque cupiditates illorum ad eam diſcendam erectæ alio avertantur, os Græcæ linguæ obſtruitur, ne illius clariſſima voce exaudita univerſi ad illam omni cogitatione ac ſtudio certatim confluant. Quum igitur, ut diximus, lingua Græca jam fere ad nihil aliud ſit utilis quam ut legatur, certe & in hac parte recepta pronuntiatio non parum adfert incommodi, quum paſſim imperitiores alias litteras aut diphtongos pro aliis accipiant. In quem lapidem, qui Græca deſcribunt, ac Typographi ipſi quantumvis lyn-

cei,

cei, ſæpe etiam coguntur impingere, dum alia pro aliis ſoni vicinitate decepti adſcribunt, & notha pro veris reponunt. Ecce quantum mali ex re (ut ajunt) nihili ortum ſit, ut etiam vitio pronuntiationis orthographia ipſa, quæ ſola hactenus, quoad ejus fieri potuit, hujus linguæ ſinceritatem conſervavit, periclitetur: dum voces ut vulgo ſonant exaramus, quum contra ut ſcribuntur ſonandæ ſint. Proinde nihil mirum, ſi veteres auctores indies corrumpantur, depraventur, & innumeris mendis inſpergantur.

Caput VI.

Hoc ſæculo omnes bonas artes repurgatas: earum exemplo vulgarem pronuntiationem, utpote corruptam, reformandam eſſe.

Quæ quum ita ſint, & videam non ſolum Hebræam & Latinam linguam, ſed omnium plane liberalium artium ſtudia multis annis mortua & ſepulta paſſim reviviſcere, doctorumque hominum induſtria quaſi renaſci: Græcam verò linguam, quæ omni philoſophia, eruditione, & facundia ceteras non æquat ſolum, ſed etiam ſuperat, per ſe quidem ſatis ſplendidam & ornatam eſſe, ut externo & novo cultu non indigeat, adhuc tamen ſqualere, languere, ac corruptæ pronuntiationis ſordibus obſitam jacere, nec

 cuivis,

cuivis, ut Latinam, familiarem fieri: (quoniam vulgo eam ferè diſcimus in hoc ut veterum libros evolvamus potius quam ut Græcè loquamur, ſcribamus, oremus, aut declamemus:) non poſſum non hac de re communi nomine dolere plurimum. Quumque penitius ſingula rimatus & ſcrutatus eſſem, corruptam hanc qua nunc vulgo utimur pronuntiationem, ejus rei cauſſam eſſe comperi: quod etiam nemo vel mediocriter doctus negaverit. Nam ad Gothos uſque & Vandalos, & uſque ad vaſtitatem eruditionis, omniumque bonarum rerum πανωλεθρίαν, emendata pronuntiatio permanſit, & nequaquam putida, horrida, aut obſoleta habebatur. Quod certiſſimè colligere licet tum ex plurimis antiquis codicibus, tum ex pſalterio quadripartito manuſcripto, quod mihi utendum dedit Jacobus Pamelius, cathedralis Eccleſiæ D. Donatiani Brugenſis Canonicus, vita ſimul & eruditione Theologus. Eſt autem deſcriptum anno MCV. ex vetuſtiori exemplari, juſſu Odonis primi Abbatis S. Martini Tornacenſis, qui eodem anno ad Epiſcopatum Cameracenſem evectus eſt. Nam ex Græca LXX. Interpretum verſione quæ Latinis litteris pulcherrimè exarata eſt, conſtat id temporis pronuntiationem longè minus depravatam fuiſſe quam nunc eſt. Perpetuo enim & conſtanter ibi voces Græcæ juxta veterum prolationem Latinis litteris exprimuntur, hoc modo: *Baſileus*, *aggelos*, *panta*,

ta, *uranu*, *autu*, *ecclesia*, *kyrios*, & ejusmodi aliæ. Sub finem psalterii additum est Alphabetum Græcum, cum hoc sono litterario: *Alpha*, *beta*, *gamma*, *delta*, *e brevis*, *zeta*, *eta*, *theta*, *jota*, *cappa*, *lambda*, *my*, *ny*, *xi*, *o brevis*, *pi*, *rho*, *sigma*, *tau*, *y*, *phi*, *chi*, *psi*, *o longa*. Quocirca aliorum exemplo qui repurgandis linguis & artibus gnaviter incubuerunt, non dubitavi pro mea tenuitate huic etiam malo manum admovere: ac sonorum usum, qui ab auctoritate antiquorum quasi à magistro recesserat, tanquam fugitivum servum retrahere ac constringere: vel potius (ut planius dicam) veram germanamque veterum pronuntiationem, quæ hactenus tanquam ab hostibus captiva in ergastulo detenta fuit, ceu postliminio reducere, & pristinæ libertati, luci, ac nitori restituere. Nec id cuiquam mirum videri debet, aut veluti res nova rejici aut contemni (siquidem nova dicimus etiam ea, quæ quum vetera sint, diu ab oculis & usu hominum abfuerunt). Nam vulgata pronuntiatio errore potius & vitio temporum, quam ratione, auctoritate, aut more majorum recepta est. Nonne videmus jam passim abstrusissimas quasque antiquitates ex latebris erui, & usitata pleraque ad earum exemplar corrigi & reformari? dum hic diligenter libros manuscriptos evolvit, alius statuas, marmora, rudera, æra, numismata explorat, & ad eorum normam etiam orthographiam ipsam

 exigit,

exigit, mutila non pauca reſtituit, vetuſtate collapſa erigit, errata corrigit. Nec quiſquam eſt qui ſtudium illud tanquam inutile aut minus neceſſarium damnet, & potius cum corruptiſſimis exemplaribus in tenebris luctari exoptet, quam in clariſſima luce, quomodo quidque à veteribus ſcriptum & lectum ſit, videre. Utraque manu profligata fortiterque exploſa eſt barbaries, quam multis jam ſæculis majores noſtri mordicus & conſtantiſſime tutati ſunt: in cujus locum revocatum eſt priſcum Romanæ linguæ decus, nitor, & elegantia. Omnia fere quæ à Gothis, Vandalis, & aliis Barbaris in linguam Latinam invecta ſunt, quæque inſcitia extraneorum, & imperitia temporum irrepſerunt, relegata ſunt, ac in eorum locum vocabula Latina probæque monetæ repoſita. Quis enim jam delicatioris utcunque palati audeat uti pleriſque dictionibus & phraſibus quibus ſuperiori ſæculo Scholaſtici Theologi, Juris interpretes, Pragmatici, Medici, & alii permulti ſua ſcripta contaminarunt? qualia ſunt *guerra*, *treugæ*, *ambaziator*, *parlamentum*, *capitaneus*, *bladum*, *leuca*, & id genus innumera. Neque jam quiſquam ſuſtineat ſcribere *Chriſtus vel Xp̃rs*, *legittimus*, *occeanus*, *ſtilus*, *ydoneus*, *ipocryta*, *yſpania*, *michi*, *nichil*, *condempno*, *ſollempnis*, *temptare*, *tollerare*, *Ulixes*, *&c.* *æ* item & *œ* diphthongos ubicunque occurrunt, tanquam ſupervacaneas reſecare, ut plerique omnes avorum

vorum noſtrorum memoria fecerunt. Item (ut ad pronuntiationem veniamus) jam riſu excipiuntur, qui *idolum*, *Jacobus*, *Simonis*, *paraclitus* penultima brevi, & *Timotheus* penultima longa efferunt. Quodque majus eſt, contra uſurpationem ſuperioris ſæculi, jam ratione antiquitatis ſcribitur paſſim *heres*, *poſtumus*, *ſumſi*, *demſi*, *promſi*, *ſumtus*, *demtus*, *promtus*, *emtus*, *lacrymæ*, *ſepulcrum*, *ſimulacrum*, & non pauca alia: Quum hactenus à doctis etiam ipſis ſcribi ſolita ſint *hæres*, *poſthumus*, *ſumpſi*, *dempſi*, *prompſi*, *ſumptus*, *demptus*, *promptus*, *emptus*, *lachrymæ*, *ſepulchrum*, *ſimulachrum*. Non ſunt hic ſilentio prætereundæ Pandectæ Piſanæ vel Florentinæ, quæ quantumvis diu nonnullorum invidia delituerint, nemo tamen eſt, quin obviis, quod ajunt, ulnis illas præ uſitata editione Digeſtorum, quamvis hæc multis ſæculis tam in ſchola quam in foro in uſu fuerit, amplectatur. Nemo hanc, quanquam ſit plane in poteſtate juris civilis, uſucapione tuetur. Omitto hic prudens tot veterum auctorum locos hactenus corruptos indies reſtitui, male intellectos enucleari, plurima item minus recte de Græcis converſa, quæ hactenus, quod melioribus deſtitueremur, toleravimus, jam omnium è manibus ultro excidere, & eorum loco, ea quæ propius veterum ſcriptorum ſenſum & elegantiam referunt, recipi. Adeo vetuſtiſſima quæque & optima ſui natura magis expetuntur: Nova autem & deteriora

merito non tanto in pretio habentur. Quid vetat igitur ex veterum libris ſuos linguæ Græcæ veros & antiquos ſonos reddere, corruptamque conſuetudinem ſive manifeſtum abuſum reformare? Docti enim ad conſervandam linguam quæ olim floruit, & ad recuperandas ejus partes quæ jam diu amiſſæ ſunt, non ad imminuendam aut corrumpendam linguam, ſe applicare debent.

Caput VII.

Utrum uſus præſens, an auctoritas antiquorum plus valere debeat. Quædam de uſucapione. Quod inveteratum errorem liceat emendare, & antiquam pronuntiationem revocare.

At quoniam ſuperius, uſus, uſurpationis & uſucapionis mentionem fecimus, hîc fortaſſis objiciet aliquis, longo uſu, etiam eo qui apud doctos valet, apud prudentes naſcitur, ubique ferè & apud omnes vulgarem pronuntiationem obtinuiſſe: Eamque apud homines induſtrios, & totius hujus rei gnaros ac peritos receptam eſſe, perpetuoque quodam tenore annos multos obſervatam, ut ab uſu jam conceſſerit in uſucapionem. Cujus tantam vim eſſe Juriſconſulti voluerunt, ut litibus & controverſiis finem & quietem, omni alia quæſtione ſublata, adferre debeat. Cui argumen-

mento, licet ſuperiori capite, ſi coram æquis judicibus, nulloque occupatis præjudicio, agatur, abunde ſatisfactum ſit: ne quis tamen calumniæ locus ſuperſit, non verebor vel ſolam D. Auguſtini ſententiam opponere. *Nobis*, inquit, *qui ratione vincimus, fruſtra conſuetudo objicitur, quaſi conſuetudo major ſit veritate.* Huc etiam accerſas licebit, quæ copioſe & erudite admodum in hanc rem cum Stephano, Epiſcopo Vintonienſi, diſputat. Joh. Checus.

Et quæ hæc eſt, quæſo, doctorum hominum auctoritas in lingua præſertim aliena, ut vel minimum quid in ea mutare poſſit, vel antiquitatis auctoritatem una cum antiquis ipſis antiquare? Nulli enim apud Græcos, quemadmodum apud Latinos, præ antiquitate abjecti: At eorum auctoritas non modo non integra ſtat, ſed etiam floret, & maximo in pretio habetur. Eorum igitur verba & ſonos cur non ad amuſſim imitandos nobis & ſequendos ſine convitio proponemus? Cur non ad eorum normam rationemque ipſam ſingula exigemus? Et initio quidem hominum fuiſſe arbitrium ac decretum nemo negat, ut pro voluntate ſua rebus ſonos & nomina imponerent, ac tum loquendum non tantum cum Favorino verbis, ſed & vocibus præſentibus: Quæ poſtquam Græcorum conſenſu,

Quos penes arbitrium, jus eſt, & norma loquendi.

bene

bene conſtituta firmataque ſunt, ea, jam exeunte lingua è poteſtate loquentium, & in eruditorum libris quaſi in poſſeſſione permanente, non poſſunt iterum arbitrio aliorum tolli, aut à ſede ſua dimoveri. Quamvis enim qui hodie Græce loquuntur aut ſcribunt, Platonis aut Demoſthenis verbis non utantur, idcirco tamen verba Demoſthenis aut Platonis nequaquam mortua aut antiquata exiſtimari debent. Neque non melius Græce loquetur qui illorum in dicendo formam hodie ſervat, quam qui longe uſitatiore more, ſed longe, ut neceſſe eſt, deteriore, verba fundit. Non enim quod uſitatiſſimum in emancipatis linguis eſt, optimum eſt: Sed quod ab optimis & eruditiſſimis olim maxime uſitatum fuit, id ſemper optimum erit. Quæ autem fuerit hæc doctorum hominum paullo ſuperioris ſæculi ad linguam obſcurandam poteſtas, & ad ejus ſtudium tam vehementer coërcendum auctoritas, certe non video, niſi eandem vim ad linguam debilitandam, opprimendam, & verſandam quo velint habuerint: Præſertim quum hæc pronunciatio depravata in ſumma linguæ Græcæ penuria & Barbarie, linguaque pœne extincta, à ſciolis quibuſdam, quibus in eam nihil erat, invecta ſit. Ita ut uſus iſte qui tantopere jactatur, ſi recta ratione reputetur, nihil aliud ſit quam inveteratus error, & turpiſſimus ac non tolerandus abuſus: Quem, Barrie jam pulſa, nefas eſſet non etiam relegare, &, ut aiunt, ἀποκορακίζειν, veramque pro-

nun-

nuntiationem ab exilio revocare. Errorem autem pro vago alicujus usus incepto quod certam rationem non habuit, Celsus Jurisconsultus accipit digest. de legib. *Quod non ratione*, inquit, *introductum est, sed errore primum, deinde consuetudine obtentum, in aliis similibus non obtinet.* An majores nostri Ebrardum, Floristam, Garlandinum, Catholicon, Holcot, Bricot, Gemmam gemmarum, & id genus monstra, usucapione tueri potuerunt, ne cum universa Barbarie funditus prosternerentur, & eorum loco veteres & boni auctores qui jam in usu esse desierant, reciperentur? Sed de his superiori capite satis. Usucapio autem quum sit juris civilis, linguam Græcam, in quam Romani nihil juris habent, usucapioni nullo modo subjacere constat: & ut subjaceret, tamen veteres Grammatici, etiam Latini, qui priscam & veram pronuntiationem suis in libris in hunc diem tanquam depositum fideliter conservarunt, quique in omnium manibus versantur, aperte semper reclamarunt, neotericorumque usurpationem interruperunt. Ut taceam quod nunc vulgo, quoniam aliis linguis ab incunabulis assueti, Græcam Latinamve tanquam peregrinam adscriscimus, eadem scriptura interdum variis vocibus apud varias nationes proferatur: & hic usus qui toties inculcatur, non sibi satis ubique constet, sed à seipso differat. Accedit, quod plerique omnes eruditi hoc nostro & paullo superiore sæculo non ne-

negant, aliam antiquorum, aliam noſtrorum ſonorum rationem eſſe, noſque à veterum pronuntiatione multum degeneraſſe: quorum etiam nonnulli qua ratione veteres pronuntiarint, obiter attigerunt: Quales fuere Antonius Nebriſſenſis, Budæus, Glareanus, Pierius, Vergara, Camerarius, Poſtellus, Morelius, Molinæus, alii. At ii ipſi tamen, quum meliora viderent probarentque, deteriora cum vulgo ſequi maluerunt: fortaſſe quod deſperarent ſuo exemplo ſe alios ad imitandum provocare poſſe. Ut ut eſt, linguæ Græcæ ſtudioſi illis ipſis multum ſe debere inficiari non poſſunt. Ac tametſi nonnulli excellenti ingenio viri tentarunt ex veterum Græcorum Latinorumque monumentis aliqua emendatæ pronuntiationis veſtigia invenire: duo tamen inter reliquos omnes majore quodam ſpiritu naturæque & doctrinæ adjumentis ſuffulti, id ſibi tractandum ſumſerunt, Eraſmus Roterodamus, & Johannes Checus Anglus, qui totam hanc rem diligentiſſime perſequuti ſunt. Ego quoque ingratus eſſem, niſi illis omnibus magnas haberem gratias, faterer que me eorum exemplo excitatum, ut altius hac de re inquirerem, inveſtigarem, veteres ſcriptores excuterem, hanc farraginem colligerem, & opera illorum, ſicubi opus eſſet uterer.

CA-

Caput VIII.

Vulgarem pronuntiationem destitutam esse viribus, urbanitate, euphonia: veterem contra his plenam esse.

Unus adhuc restat scrupulus, quem si exemerimus, nihil est quod veterem nostram pronuntiationem diutius remorari debeat. Quisnam? Istam dicendi perplexitatem, quam aures nostræ non lubenter admittunt, & insuavem molestamque ejusdem litteræ assiduam inculcationem, homines novo nunc vocabulo urbanitatem appellant. Hæc res tam odiosa & putida si urbanitas haberi debeat, fateor equidem antiquos ab urbanitate longe abfuisse: sin quod sanum, quod limatum, quod suave, quod magnificum denique est, illud urbanum sit, quomodo veteres austeri, rudes, impoliti judicari possunt? Sonus enim, ut diximus, non similitudine, sed varietate jucundus est. εὐφωνία non est hæc tam mollis & jejuna loquendi inanitas, & ad tantam gracilitatem devinctus sonus. Cur enim solum urbane & concinne loquerentur, qui presse, exiliter, exanimateque loquuntur? cur non qui amplum, grandem, magnificum adferunt sonum, iidem viriliter & urbane loquuntur? Cur non qui omnes animorum partes dicendo

do permovere poſſunt, qui omnibus eloquentiæ ornamentis, omni ſonorum ubertate & copia incedunt, ii jure urbani haberi debent? Ubi ſunt qui permiſcere Græciam oratione ſua ſolebant, qui fulgurare, qui tonare, qui dicendo hominum mentes obruere atque evertere conſueverunt? quid nunc facerent, quum ad tantam molliciem omnia attenuentur, ut verbum nullum niſi muliebre & effeminatum proferri viderent? Corrupta enim hæc pronuntiatio quamvis habilis aptaque eſſet, tamen quemadmodum calceus Sicyonius, minime fortis viriliſque exiſtit. Nullus enim ſplendor, nulla electio verborum, nihil grande, nihil ſonans, nihil excelſum in dicendo eſſe poteſt. Et quum tria in dicendo maxime ſolumque ſpectentur, docere, afficere, movere: docere propter confuſionem, delectare propter ſimilitudinem, movere propter exilitatem dicendi nemo poterit. Quis enim magnis & ſonoris vocibus complere forum, quis acrem & contortam orationem vibrare in judices, quis verbo quaſi fulmine percutere animos audientium poteſt? quum omnes ſonorum nervi, omnes vocum gradus, omnes contentionum vires non exhauriantur ſolum & emacientur, ſed conficiantur prorſus & conſumantur. Quod Græci τὸ σεμνὸν in oratione eſſe dicunt, illud ex α & ω primum, deinde ex η & diphthongorum granditate conſtare debet, hic ſonus τȣ̃ ῑ minus, ſed nullo modo admitti

mitti debet: quia tam humilis & abjectus hujus litteræ ι sonus est, ut non nisi ad lamentandum, & ad questum muliebrem, & ad ceterorum sonorum amplitudinem magnificentiamque attemperandam valeat. Et omnis eloquentiæ fructus, omnis dicendi honos, omnis sermonis dignitas perit, ubi omnia ad flebilem quandam mœstitiam, & loquendi quasi mulierositatem deducuntur: ubi nihil in oratione liberum, nihil solutum, nihil effluens, sed omnia ad quandam nimis exanimatam exilitatem sine ulla sonorum varietate illigantur. Nam si præruptus mons, si ingentis molis ruina, si hostium conflictus dicendus, nonne pro re nata opus est dictionibus horridis, oratione aspera, versu fragoso, qui per salebras duraque saxa cadat, ut inquit ille, quæ vel sono ipso rem qua de agitur referant? Quis hanc minutam & admodum vinctam dicendi tenuitatem ferre poterit, ubi omnia unius soni & tenoris, sine ulla dictionis luce, sine ulla varietatis suavitate, sine ulla granditatis magniloquentia in dicendo premuntur? ut illud Poetæ si vulgari & corrupto modo pronuntietur,

Τροίῃ ἐν εὐρείῃ τί νυ οἱ τόσον ὠδύσαο Ζεῦ;

Et iterum,

Μὴ νύ τοι οὐ χραίσμῃ σκῆπτρον καὶ στέμμα θεοῖο.

Et alia multa, in quibus ſonorum ſimilitudo omnem perdit & loquendi & audiendi ſuavitatem, & inaniſſima quædam attenuatio omnem dicendi gratiam arrodit. Quomodo enim aliquid magnum aut glorioſum eſſe in oratione poteſt, quum ubi ample, copioſe, ornate dicere debemus, ad hoc vitium pervenimus quod Græci ταυτολογίαν & ταυτοφωνίαν nominant? quæ aures hominum nimis ſecat atque exaſperat, & quodam quaſi ſtyli acumine auditum pungit & vellicat, & in tenuiſſimas particulas diſtinguit. Quod ſi hæc ipſa ſonorum nimia parſimonia & egeſtas loquendi pro urbanitate ſumma haberetur, & in ea ſumma concinnitas ſuavitaſque eſſet, non tamen ideo maxime in uſu & ſermone hominum verſari deberet. Non enim ſuavitas ſolum in dicendo quæritur, neque in eo ingenii laus eſt poſita: ſed orationis vis & illud quod amplum dicitur, ad ſuperiorem laudem adjungi debet: ut non modo homines audiendo nimis delicatos & illiquefactos ſuavitate loquendi faciat, ſed etiam dicendi vehementia invitos ac pœne reluctantes in aliam ſententiam pertrahat. Quantum igitur ſit hoc ad eloquentiam incommodi, ſi non modo ſonorum varietas imminuatur, ſed & granditas & magnificentia quoque orationis detrahatur, quivis facile intelligit. Quod enim tum erit aurium judicium, quæ verborum electio, quæ ſermonis obſervatio, ſi omnis pœne ſonus in una littera ſit poſitus,

aut

aut potius omnes litteræ in unum ſonum quaſi in carcerem compingantur? Abiit igitur optima maxima eloquentiæ pars, gravitas dicendi: & eam deflere jam licet, quærere non licet. Vis illa Demoſthenis, ſublimitas Platonis jam interiit: quia quæ ſonandi ratio iſta effecerat, de medio ſublata eſt.

Caput IX.

Quid & quotuplex pronuntiatio.

Quæ quum ita ſe habeant, conſtituendum primum quid pronuntiationem vocemus. Eſt autem ea duplex, Rhetorica ſeu Oratoria, & Grammatica quæ Latine litteraria poteſt dici. *Illa eſt vocis, vultus, & geſtus moderatio cum venuſtate*, ut inquit auctor ad Herennium lib. 1. Cicero primo de Inventione: *Pronuntiatio eſt ex rerum & verborum dignitate vocis & corporis moderatio. Quis enim* (ut ait idem primo de Orat.) *cantus moderatæ orationis pronuntiatione dulcior inveniri poteſt?* Quæ tametſi ſine Grammatica pronuntiatione conſiſtere non poſſit, tamen quoniam illius tractatio ad Rhetores proprie pertinet, lectorem ad eos remittemus. Litteraria pronuntiatio eſt, qua cujuſque litteræ peculiaris vis auribus accipitur, vel, in loquendo recta & integra prolatio: ſive ſonus

 earum

earum litterarum, quarum proprietatem ſinceritas orthographiæ ſecundum uniuſcujuſque linguæ naturam requirit, quam Græce ἐκφώνησιν, φωνῆς ἐκφορὰν, ſeu potius ὀρθοέπειαν poſſis dicere. Litteras appello figuras & notas elementorum, de quibus primis verba ſeu dictiones componuntur, quorum vis ac poteſtas indicio certarum figurarum demonſtratur pronuntiandoque exprimitur : in qua maximè parte veritas conſervatur ab incorrupto uſu & ſinceritate ſermonis. Ideoque Priſcianus litterarum poteſtatem vocat ipſam pronuntiationem, propter quam & figuræ & nomina ſunt facta. Quum autem ſcriptura lectioni ſeu pronuntiationi ſervire debeat, ut id ad noſtras & aliorum aures tranſmittatur quod nobis illa commiſerit, par ſcilicet fuerit ea perſcribendo deſignari, quæ proferendo enuntiari volumus. Rectè olim Auguſtus ita ſcribendum eſſe cenſuit, ut quis proferret. Quod præceptum eſſet perpetuum, ſi genuina pronuntiatio perſtitiſſet. Unde ſequitur, ſi quid non rectè dicatur illud ne ſcribi quidem debere. Non modo autem errat, qui aliquid perperam ſcribendo exarat, ſed in errorem etiam inducit alios qui arbitrantur ſcripturam eſſe emendatam, & illam ſequuntur. Primum eſt igitur, ut perſcribatur quod legi & pronuntiari volumus, & id pronuntiemus quod ſcriptum eſt. Videndum igitur in primis τί, ποῖον, πόσον, id eſt, quid, quale, & quantum ſcribi ac pronun-

nuntiari oporteat. Qua in re ſuaſerim ſequi Fabii conſilium, qui ſic ait: *Ego (niſi quod conſuetudo obtinuerit) ſic ſcribendum quidque judico quomodo ſonat. Hic enim eſt uſus litterarum, ut cuſtodiant voces, & velut depoſitum reddant legentibus. Itaque id exprimere debent quod dicturi ſumus.* Conſuetudinem autem hic intelligere debemus non eam quæ à corruptoribus & depravatoribus linguæ invecta eſt, ſed eam qua veteres auctores conſtante & in ſuo robore manente lingua, uſi ſunt. Alioqui pro uſu abuſus & inveteratus error nobis obtruderetur. Olim enim pro mutatione ſonorum mutabantur & litteræ: & ſi quando conſuetudo aliquid mutaſſet, ſcribendi quoque modus ſtatim variabatur. Unde quum apud Ennium & Plautum *Sont* & *Servos* diceretur & ſcriberetur, poſtea multis aurium deliciis *o* vocali rejecta, quod vaſtus illius videretur ſonus, *u* littera ſubſtituta eſt, & ſono expreſſa: ita ut eorum loco *Sunt* & *Servus* prolatum & ſcriptum ſit. Veteres quippe Grammatici præcipiunt vocem ſcribendam quomodo & ſonat: & tum demum vitium in ſcribendo eſſe dicunt, quando aliter ſcribimus, aliter pronuntiamus. Quid cauſſæ eſt igitur, quod tantum in dicendo depravationis eſſe patimur, quum tantum in ſcribendo ſit perſpicuitatis? & cur non vel ſcripturam ad pervagatam dicendi conſuetudinem traducimus, vel pronuntiationem ad juſtæ ſcripturæ rationem adjungimus, ut quemadmodum oculis

lis

lis in legendo ſcriptura ſatisfacit, ſic auribus in dicendo pronuntiatio inſerviat: & quemadmodum antiquam in ſcribendo diſtinctionem & lucem conſervamus, ſic antiquam in dicendo pronuntiationem retineamus? quod enim in ſono eſt vaſtum, hoc in ſcribendo agreſte & inconditum eſſe neceſſe eſt. Quare non eſt quod nos admodum torqueamus in veterum pronuntiatione inquirenda, ſi unicuique litteræ & diphthongo peculiarem & proprium ſonum accommodemus, & omnia elementa ſimplicia & conjuncta integre enuntiemus, nec iis ullum commenticium, alienum, aut cum aliis communem ſonum affingamus. Nam, ut ſemel dicamus, ſcriptura debet ſonum imitari, ſonus ſcripturam exprimere. Veræ autem pronuntiationis aperta veſtigia adhuc exſtant in veterum Rhetorum & Grammaticorum præceptis, qui ſparſim multa de ſonis inſeruerunt, in codicibus Græcis Latino charactere deſcriptis, qui paſſim in vetuſtis Bibliothecis aſſervantur, in pluribus antiquis obſervationibus, & vulgarium linguarum vocabulis, quæ ab hoc notho & ſuppoſititio ſono abhorrent, & veram pronuntiationem dilucide indicant.

CAPUT X.

Antiquæ pronuntiationis utilitas.

QUam autem impolita & inepta ſit vulgaris pronuntiatio, vetus autem elegans, abſoluta, commoda, & linguæ Græcæ docendæ diſcendæque idonea, ex iis quæ hactenus tradidimus, ſatis ſuperque colligi poterat: niſi refractarii quidam, priuſquam eam cognitam habeant, primum hoc præjudicatum domo adferrent, nihil in ea eſſe laudabile. Paucis igitur de utilitate & uſu ejus, antiquæ inquam pronuntiationis, expediamus. Primum itaque illa efficiet, ut litteras, ſyllabas, & dictiones non ſolum recte proferamus, ſed etiam ſcribamus, nihilque in orthographiam committamus. Et quoniam rudis ætatis hic negotium agimus potiſſimum, his quum dictamus, ab his quum exigimus dictata, quum ſcripturam emendatam expoſcimus, tum hæc maximo adjumento futura eſt. Rurſum ſi quæ chartis fidelibus commiſſa ſunt, alteri bona fide ſint legenda, vel memoriter recitanda, ſi codicum collatione libri caſtigandi, ſi errores & vitia typographorum vel librariorum corrigenda, non video qua ratione id commode fieri poſſit, niſi & is qui legit vel recitat, quam diſtinctiſſime, explicatiſſime, caſtigatiſſime, & minime confuſe ſingula ſonet, atque is qui auſcultat ſonos le-

gentis probe aſſequatur: quod in vulgata pronuntiatione fieri non poteſt, tum quia tanta diphthongorum & vocalium idem ſonantium turba obſtrepit, tum quod ſæpiſſime unius litterulæ aut toni immutatione ſignificatio variatur. ut κενȣ͂ *vacui*, καινȣ͂ *recentis* vel *novi*, καὶ νȣ͂ *& animi:* κινῶν *movens*, κοινῶν *communium*, κυνῶν *canum*, κείνων *illorum:* τὸ μηρὸν *femur*, τὸ μύρον *unguentum:* ἔβαν *ibant*, Εὔαν *Euam:* ἄβας, αντὸς, *Abas*, *antis*, ἄυας *aridas:* θεὰ, *dea*, θέα, *ſpectaculum:* Item σὺ, σοὶ, σή: καὶ, σέ: μὴ, μοί, & id genus innumera. Ex his etiam neceſſario ſequitur, ſcripturam omnem & artem typographicam fore emalucatiorem, certiorem, faciliorem, ſi omnes litteræ & diphthongi peculiarem habeant ſonum. Nam fere videmus uſu venire, ut eæ litteræ quæ nunc vulgo indiſcriminatim enuntiantur, ſæpe aliæ pro aliis ob ſoni ſimilitudinem inferciantur. Quod vitium facile effugiet, quicunque ſonorum differentiam exacte obſervaverit, quoniam orthographiæ & pronuntiationi inter ſeſe optime convenit:

——— ——— alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat amice.

Præterea ſi ſermones mutui, ſi fabulæ, ſi ſtudia ſint conferenda, quis non videt loquenti quantum facilitatis, audienti quantum lucis, & utrique quantum jucunditatis hinc ſit acceſſurum?

rum? Eadem ratio eſt eorum qui Græce declamare, docere, iiſque ſeſe attentos præbere volent: & in ſumma, omnium eorum quibus ſtudio erit ſerio pergræcari.

Caput XI.

Ex Grammaticis tum veteribus tum novis, oratoribus, poëtis, aliiſque ſcriptoribus, ac linguis popularibus hæc petita eſſe, & in unum faſcem digeſta.

QUocirca collegi ex Grammaticis tam antiquis quam neotericis, quæcunque ad vulgarem pronuntiationem reformandam facere videbantur. Qui quoniam prolixiores ſunt, quam ut in ſcholis pueritiæ primæque ætati commode poſſint aut debeant proponi & explicari: ego eos in quibuſdam locis quos plene tractaverunt, & qui utiles ſunt, vel potius neceſſarii, ſum ſequutus: & quantum mihi ad hoc meum inſtitutum expedire viſum fuit, ex iis in hanc farraginem tranſtuli, ordinem vero pro meo arbitratu inſtitui. Adjunxi etiam multa ex Poëtis, Oratoribus, & aliis ſcriptoribus tum Græcis tum Latinis petita; quibus addidi plurima ex vulgaribus linguis depromta (in quibus quantumlibet corruptis, reſident antquæ pronuntiationis veſtigia) quæ rem paucis univerſam late copioſe-

que, non quidem præceptionibus, ſed exemplorum numero expoſitam oculis quaſi ſubjicerent, & memoriæ infigerent. Denique quia certum eſt priſcos illos Græcæ & Latinæ linguæ characteres, ab Hebraïcis, qui & Phœnices ſunt, primam originem ducere: eiſque non ſolum ordine, nomine, poteſtate, ſono, & figura non diſſimiles, ſed plane eosdem eſſe, viſum fuit Græcarum litterarum ſingulas, ad Hebraïcas, tanquam ad ſuum fontem, referre. Quæ omnia in unum quaſi faſcem congeſſi, ut adoleſcentes, quibus potiſſimum hic deſudatur labor, ea quæ ad pronuntiationem linguæ Græcæ pertinent, conjuncta uno in loco, ſed tamen digeſta haberent: neque ipſis opus eſſet ad multa magnaque ceterorum volumina, ubi hæc ſparſim & obiter tractata ſunt, recurrere. Ac tametſi volui prolixitatem, quæ & memoriæ obeſt, & officit intelligentiæ, vitare: tamen quoniam hæc ſunt plene cognoſcenda, ſtatui ea copioſe & ſubtiliter (ſi ſubtilitas dici debet, quæ verſatur in re minuta & facili) omnia tradere: ut hæc pronuntiatio jam tandem incipiat orbi innoteſcere, & omnibus ex æquo familiaris fieri. Quanquam prolixitas illa, ſi qua eſt, non præceptionum, ſed exemplorum multitudine ac diverſitate eſt comparata: quæ quidem non obſcurant rem, ſed explanant; non impediunt, ſed expediunt diſcentes. Præcepta enim nec ita multa ſunt, nec ad intelligendum difficilia: exempla

pla vero etſi plura numero ſunt, tamen illorum conſideratio, & rectæ prolationis indicatio atque adeo perceptio non multum temporis requirit. Quamobrem exempla quæ librum amplificaverunt, non obſunt pueris, ſed proſunt: nec deterrere, ſed allicere eos debent ad ſonos perdiſcendos: propterea quod non modo eas optime declarant, ſed etiam ſua varietate acuunt judicium & lectorem delectant. Itaque ſpero doctos ac bonos viros, de hoc meo tumultuario quidem labore, ſed tamen, ut confido, non inutili prorſus ſtudioſis futuro, in quorum gratiam hæc collegimus, prudenter & candide judicaturos eſſe, nec quidquam in me, niſi re tota mature, diligenter, & cum judicio cognita atque expenſa, ſtatuturos gravius. Ceteros, ut qui nihil niſi aliena reprehendere poſſunt & ſolent, ſua autem vitia aut non cernunt, aut præ inertia & ignavia caſtigare nolunt, nihil plane moror. Ego quidem hanc tam perverſam pronuntiandi conſuetudinem, quæ ad hoc uſque tempus quasdam litteras, diphtongos, & ſyllabas occupat, nunc tandem ignorantiæ tenebris ex toto pœne orbe fugatis, litterarumque luce nationibus omnibus reddita, de medio cenſeo eſſe tollendam. Quod ſi qui à me diſſentient, malentque inveteratum rudium ſæculorum errorem pertinaciter defendere, quam vocem rationis audire: primum mei me facti conſcientia ſolabor, quod hac in re meam ſen-

ſententiam ſtudioſis ſimpliciter ſeduloque aperui: deinde ab illis petam, ut, ſi ſibi licere volunt, cum vulgo ſine metu reprehenſionis errare, mihi liceat cum paucis doctis ſine culpa temeritatis, antiquorum ſcriptorum auctoritatem, Grammaticorum veterum perpetuum conſenſum, utilitatem ad diſcendum, ſuavitatem in eloquendo, perſpicuitatem in pronuntiando, & rationem ipſam ſequi. Quanquam autem optarim etiam doctiſſimos quosque ad puram illam antiquæ Græciæ pronuntiationem omni ſtudio contendere, & adulterinam hanc qua vulgo utimur explodere, quod vel decem diebus tentanti cuivis facile futurum eſt: tamen ſi qui ſunt tam iniquo judicio, ut hæc quæ diximus nihil eos moveant, utque vulgari pronuntiationi aſſuefacti, ei adhærere malint, inventiſque jam ariſtis glandem nondum faſtidiant: eos rogo ut ne ſaltem aliis ad meliora tendentibus invidioſe obſint, eoſque ab incepto dehortentur. ϗ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Nunc omiſſis prolegomenis rem ipſam aggrediamur.

Caput XII.

De Litteris Græcorum in genere.

Græcæ igitur linguæ ſonum & pronuntiationem tractantibus, prius de litteris, deinde de ſyllabis nobis erit ſermo. Græcorum

rum autem litteræ XXIV. ſunt hæ: Α Β Γ Δ Ε Ζ Η Θ Ι Κ Λ Μ Ν Ξ Ο Π Ρ Σ Τ Υ Φ Χ Ψ Ω. Quarum omnium vim Latinos ſentire probeque exprimere teſtatur Plinius Natur. Hiſt. Lib. VII. Grammatici autem à litteris tanquam à parte ſimpliciſſima exordiuntur. Orationem enim in qua verſantur, primum omnium in vocabula, eaque rurſus in ſyllabas, niſi quum monoſyllaba ſunt, ſyllabas demum in litteras dividunt, niſi quum & ipſæ ex una vocali conſtituuntur. Quamobrem etiam litteræ à Græcis *ςοιχεῖα*, id eſt elementa vocantur, ut docet Plato in Cratylo, & Dionyſius. Eædem vero etiam *γράμματα* appellantur à ſcribendo, ſive quod ex lineis conſtent. Sunt enim inventæ ſimpliciſſimis articulatæ vocis ſonis certo linearum ductu exprimendis. Ceterum divini hujus muneris quis primus inter mortales auctor fuerit, non liquet: de qua re ſi libet vide Plinium Lib. VII. Cap. 56. Ex Phœnicia quidem conſtat à Cadmo in Græciam illatas. Sed, quod ipſi Græci ignorarunt, Hebræis deberi earum inventionem, ipſa nomina apertè declarant. Sexdecim autem initio fuiſſe, idem Plinius, Dionyſius, & Plutarchus, verè ſcribunt. Quum enim inventæ ſint litteræ ſimplicibus ſonis ſignificandis, neceſſe eſt profecto in omni lingua, ut quidem commodè ſcribi poſſit, totidem omnino litteras exſtare, quot ſunt ejus ſoni ſimplices. Alioquin ſive plures ſive pauciores fuerint, &

& ſcriptioni & pronuntiationi magnas tenebras offundi neceſſe fuerit. Idque ſolicitè Græcos obſervaſſe, vel hoc unum ſatis oſtendit, quod inter Elenchos Ariſtoteles nullam ex litteris fallacem concluſionem numerat: quum nihil poſſit frequentius occurrere, ſi uni litteræ duplicem ſonum, vel contra uni ſono duas litteras tribueris. Simplices igitur Græcæ linguæ ſonos ſexdecim, totidemque neceſſarias litteras eſſe, ex eo apparet, quod ex reliquis octo qui totidem litteris ſcribuntur, alii ſint compoſiti, alii ſuapte natura iidem cum compoſitis.

Sexdecim igitur antiquæ Cadmi litteræ, ex Phœnicia in Græciam illatæ, & totidem ſonis ſimplicibus exprimendis repertæ, ſunt hæ, α β γ δ ε ι κ λ μ ν ο π ϱ σ τ υ. Nam aliæ præterea octo illis additæ, ſunt partim à Palamede, partim à Simonide, videlicet η ω ζ ξ ψ ϑ φ χ: quod nulla quidem neceſſitate factum eſt, ſed maximo tamen cum fructu, ut ſcriptio minus eſſet laborioſa, magiſque compendioſa.

His ita ſe habentibus, hoc ſit pro certo poſitum & conſtitutum, quod nemo negare ſanè poteſt, haſce litteras α δ ε ϑ ι λ μ ν ξ ο π ϱ σ τ φ χ ψ ſonuiſſe olim quemadmodum nunc ſonant, & ab omnibus citra controverſiam ferè rectè pronuntiari. Itaque breviores erimus in earum pronuntiatione pertractanda. Illud ſolum obiter admonendum, corruptam hanc qua vulgo utimur pronun-

nuntiationem id nobis invexiſſe, ut in earundem quibusdam nomenclaturis & appellationibus potius quam ſono turpiter peccetur, dum pro *mu mi*, pro *tau taf* dicitur: atque ita in nonnullis aliis. Porro has β γ ζ η κ υ ω non ſolum vulgus, ſed & docti plerique, recepto & pertrito uſu vel abuſu potius & perverſa conſuetudine, ita abſurde proferunt, ut non ſolum nomen amiſerint, ſed etiam veræ & genuinæ pronuntiationis nihil planè referant, atque adeo alium prorſus jam ſonum induerint: quemadmodum ordine Alphabetico ſuo loco infra declarabimus.

CAPUT. XIII.

A, α.

ΑΛΦΗΑ, Alpha, ex Hebræo nomine Aleph, deinde Alepha, & per Syncopen Alpha, nomen habet. Sono reſpondet *a* Latino: in id enim vertitur: debetque in imo gutture pronuntiari clarè, & ore prorſus hiante. Ἀγρὸς, ager: nos Belgæ qui Teutonica lingua utimur, dicimus *acker*, quemadmodum & Germani. ἀργὸς quaſi ἀεργὸς, otioſus, iners, ignavus. Hinc Belgicè *arg*, *arger*: id eſt, nequam, nequior, eſt enim otium & ignavia omnium malorum cauſſa.
ἄγω ago,
ἄβαξ ἄβακος abacus,

μῦ-

μῦσα Musa.

Ita & Græci *a* Latinum vertentes in ᾶ mutant,

Cæsar Καῖσαρ.

Hadrianus Αδριανὸς rejecta adspiratione.

Maximus Μάξιμος.

Ab hujus litteræ figuræ aliquoties conjuncta, pentagonum appellarunt pentalpha, quasi quintuplum alpha.

Quoniam autem prima litterarum est, ideo alpha significat primum, sive caput, & initium. In Apocal. Ego sum α & ω, id est, principium & finis, primus & ultimus. & apud Martialem, *alpha penulatorum*, id est, primus & præstantissimus.

Caput XIV.

Β, β, b.

ΒΗΤΑ, Bêta, vulgo laxius quàm *b* Latinum profertur, ita ut *u* consonantem referat: idque ineptè & contra usum venerandæ antiquitatis. Nunc enim βίος pronuntiant *vios*: quo vitio perpetuo laborat in Hispania Burgensis diœcesis, enuntians *vestia*, *vene*, pro *bestia*, *bene*: quin eadem adhuc vitium geminat, quum præposterè profert *bita*, *bacca*: pro *vita vacca*: & *vonum binum*, pro *bonum vinum*;

vinum. Quod vero nullo modo β sit *vita* vocanda, aut proferenda ut *v* consonans, quæ apud Latinos εἰς τὸ δίγαμμα Æolici locum successit, illud argumento est, quod ex tot veteribus Grammaticis aut scriptoribus nemo ejus rei facit mentionem. Sed quod *bêta* appellari debeat, & sonanda sit ut prima syllaba Gallicæ dictionis *beste* seu *bête*, quæ bestiam significat (*s* enim apud Gallos illic non exauditur(indicat ipsa dictio *Alphabêtum*, quam nemo *alphavitum* sonat, licet ad imitationem soni duarum primarum litterarum effigiata sit. His adde quod βῆτα ab Hebræo Beth nomen habet, addita formali littera α. Hinc factum, ut si quando Græci Latinis dictionibus vel Hebræis quæ per b litteram scribuntur, velint uti, eas scribant per β, ut passim videre est apud Plutarchum, Dionem, & alios historicos. Exemplorum loco sint hæc:

Brutus Βροῦτος,
Barcino urbs Tarraconensis, Ptolomæo Βαρκίνων,
Strabo Στράβων,
Tiberius Τιβέριος,
Blasius Βλάσιος,
Benedictus Βενέδικτος,
Budæus Βουδαῖος,
Frobenius Φροβένιος,
Theophilus Antecessor Institutionib. de Jure Natur. Gent. & Civili, θ plebiscitum, ait: τῇ τοῦ πλέβις ὀνομασία. & §. Prætorum, δε-

 δώκα-

δωκάσι ᾗ κατεξαίρετον τῷ νομοθετεῖν πραίτωρι τῷ οὐρβάνῳ, καὶ τῷ πραίτωρι τῶν περεγρίνων. Vides Latinas voces *plebis* & *urbano* per β Græcè ſcriptas.

Idem paſſim *abſtinere* ἀβστινατεύειν,
Tribunum τριβοῦνον vocat.
Idem accidit in vocibus Hebræis,
Saba Σαβά,
Balaam Βαλαάμ,
Baal Βαάλ,
Abraham Ἀβραάμ,
Baltaſar Βάλτασαρ.

Quod aliquanto clarius eſt ex verbis divi Pauli, ἐν ᾧ κράζομεν Ἀββᾶ ὁ πατήρ: *in quo clamamus Abba pater.* Abba Ἀββᾶ Hebræis, immo Syris, quemadmodum indicat Hieronymus, ſonat patrem, dictio ex duabus primis litteris compoſita, Aleph & Beth. Sed vocem Hebræam reliquit D. Paulus, quo ſignificaret peculiare quiddam eſſe in ipſo vocabulo, quod & patres lubenter audiunt, & pueri ſtatim ſonare diſcunt. Audimus enim ab infantulis hanc vocem abba vel baba, non afva nec vava.

Σάββατον Sabbatum, non ſafvatum.

Κράββατος Crabbatus vel grabatus, id eſt, lectus. Hinc Belgicè *Crebbe*, præſepe.

Item Ἰακώβ, Ἀμιναδάβ, nemo pronuntiabit, ut opinor, Jacof; Aminadaf, nec βδέλλιον fdellion: alioqui etiam ex β faceret f ſive Ϝ digamma Æolicum, quod nemo Grammaticorum vel ſcriptorum veterum tradit.

Eodem

Eodem planè modo in vocibus, quas uſurpatione ſui juris fecerunt Latini, ea quæ Græcis per β ſcribuntur, efferunt per *b*. qualia ſunt

Βοω boo,

βȣ̀ς bos, Gallice *beuf.*

βάρβαρος barbarus,

βαπτίζω baptizo,

Ἀμβρόσιος Ambroſius,

βαλανεῖον balneum:

βαβαὶ adverbium, pro quo Romani interjectione admirantis papæ utuntur. Plautus in Pſeudolo Græcum retinuit:

Babæ, nunc demum mihi animus in tuto eſt loco.

Brachium Latinè, Græcè βραχίων dicitur, à βραχὺ, id eſt, *breve*, teſte Feſto.

Βραχεῖα μάχαιρα, id eſt, *brevis gladius*, Gallicè *braquemar*.

Hubertus Goltzius Herbipolita, antiquarius, pictor, ſculptor & hiſtoricus nobilis, Marci Laurini viri clariſſimi felicibus auſpiciis ſcripſit Imperatorum Cæſarumque Romanorum ex antiquis numiſmatibus hiſtoriam, Faſtoſque Romanos: in quibus exſtat numiſma Julii Cæſaris quod in altera parte habet hanc inſcriptionem, ΙΑΙΩΝ ΒΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Item duo numiſmata Antonini Pii, quorum alterum habet ΕΦΕΣΙΩΝ ΒΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, alterum ΕΦΕΣΙΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Id eſt, Ephe-

phesiorum novo hominum cœtu secundo frequentatorum: vel, deductis novis colonis bis frequentatorum. κόρος enim inter cetera, hominum cœtum sive multitudinem significat. In quibus vides ob vicinitatem Romanos indifferenter usos dictione Latina BIS, & Græca δὶς idem significante. Ubi si quis legat VIS, nihili verbum erit. Porrò D. Lucas in Actis Apostol. voce νεωκόρος paullo alia significatione uti videtur, dum ait: ἄνδρες Ἐφέσιοι, τίς γάρ ἐστιν ἄνθρωπος, ὃς οὐ γινώσκει τὴν Ἐφεσίων πόλιν νεωκόρον οὖσαν τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος, καὶ τοῦ Διοπετοῦς; hoc est, *Viri Ephesii, quis est hominum, qui nesciat Ephesiorum civitatem cultricem esse magnæ Deæ Dianæ, & à Jove delapsi simulacri?* Nam, ut aliis placet, vox νεωκόρος composita est ex νεως, quod Atticè sonat templum, & κορεω purgo sive verro, auctoribus Hesychio, Etymologico, & Suida: unde acuitur penultima νεωκόρος. Solent autem qui impensius dediti sunt alicui divæ, aram illius variis ornamentorum generibus cohonestare, quemadmodum facit apud Apulejum Psyche.

Sed ut unde abiit redeat oratio, videamus num in externis etiam linguis id quod volumus, possimus evincere. βούτυρον butyrum, Belgæ *boter*, Galli *beurre*, sive *burre*, per Syncopen mediæ syllabæ.

Βρῶτος cibus, panem Belgæ vocant *broot:* in qua dictione etiam ω μέγα, hoc est, duplex o optimè exprimunt: Angli *brêt*, per η.

Βρω-

Βρώσκειν Belgicè & Germanicè *braſſen*, id eſt comeſſe ſive manducare.

Βόσκειν paſcere. Hinc βοσκὴ pabulum, paſcuum: Germani & Belgæ *boſch* ſylvam, quam Galli dicunt *bois*.

Βάλλειν mittere: Belgæ *bal* pilam miſſilem vocant: & quoniam quæ mittuntur quodammodo traduntur, factum eſt ut Galli *bailler*, tradere, pœnè ad verbum dixerint, quemadmodum à Budæo notatum eſt.

Βλασφημεῖν maledicere, Galli *blaſphemer* dicunt, & detracta ſyllaba φη *blaſmer* paullum diverſo ſignificatu.

Βρόχος vas vinarium, ἀπὸ τοῦ βρέχειν, id eſt, à fundendo, Galli *broc* nominant.

Bones ſive *bornes* Gallicè, fines, termini, vel limites agrorum: Græcè βουνὸς eſt collis ſive parvus mons. In libro Moſis de mundi origine eodem verbo hæc ipſa res declaratur.

Βράζειν & ἐμβράζειν fervere: hoc Galli ad prunas transferunt: *embrazer* enim ad verbum dicunt. hinc prunas ipſas *brazier* dicunt.

Quid quod & apud veteres β idem ſonuiſſe quod *b* teſtatur M. Tullius ad Papyrium Pætum Lib. IX. Epiſt. Famil. Epiſtola cujus initium *Amo verecundiam*? Ubi, ut demonſtret eandem vocem apud alios obſcœnam, apud alios eſſe verecundam: nec in verbo turpitudinem eſſe, ſed in ſenſu loquentis; producit *binl*, quæ dictio Latinis ſit pudica, Græcis obſcœna. Ejus hæc ſunt verba:

Quum loquimur, inquit, ternI, *nihil flagitii dicimus: at quum* binI, *obſcœnum eſt: Græcis quidem, inquies: nihil eſt ergo in verbo, quando & ego Græcè ſcio, & tamen tibi dico binI, idque tu facis, quaſi ego Græcè non Latiné dixerim.* Cicero reſpicit ad verbum βινεῖν, hoc eſt *coïre*, Veneri operam dare: cujus imperativum βίνει dicit eodem modo proferri, ut dictionem Latinam *binI*, quæ numerum ſignificat. Alioqui ſi βίνει ſonabat tum Græcis quod vulgo ſonat hodie, non erat vox eadem apud utramque gentem, nihilo magis quam apud Latinos *bini* & *vini*. Ubi tamen obiter notandum, quod *i* longum Romanis olim ſonabat ut diphthongus ει, hoc eſt, *ei*: ut infra in ἰῶτα, & ει latius dicemus.

Illud quoque argumento eſt, ϐ nunc vitioſe per *v* efferri, quod, quum muta ſit, labiis comprimi debuit: & hoc etiam, quod ipſum ϐ collocatur medium inter π tenue & φ adſpiratum, V vero conſonans labiis vallo dentium diductis efflatur, debetque omnino inter adſpiratas numerari. Deinde τοῦ δίγαμμα ſonum, ac proinde litteram qua is ſonus expritur, ſolos Æoles uſurpaſſe, nemo eſt opinor qui neſciat. Itaque omnium optime ſonum τοῦ ϐ declarat βῆ ovium balatus, quas *bee* ſive *bê* ſonare ſentimus, non *vi*, ut luce clarius teſtatur in Homerum Euſtathius. β (inquit) μιμητικὸν τῆς τῶν προβάτων φωνῆς. & alio loco: βῆ βῆ φωνῆς προβάτων σημαντικόν. Citatque hunc Cratini verſum qui eſt apud Ælium Dionyſium,

'Ο δ'

Ὁ δ' ἠλίθιος ὥσπερ πρόβατον βῆ βῆ λέγων βαδίζει.

Quod ita proferendum eſt,

Hod' elithios hooſper probaton bee bee legoon badizei.

Hoc eſt,

Is autem fatuus tanquam ovis bee bee ſonans badizat, id eſt, incedit, vadit, juxta illud Plauti in Aſinar. *Demam hercle jam de hordeo tollutim, ni badizat.*

Johan. Pierius Valerianus lib. XLVII. Hieroglyphicῶn, cap. de litteris ſeptem, "Forte β, „inquit, per pictam pecudem figurari poſſit, „aut membrum ſtatumque ejus aliquem qui „ovem ſaperet, quod proprium eſt illi litte„ram ejuſmodi articulato proferre ſono. At„que ita nonnulli η tertiæ apud Græcos vo„calis ſonum per e gravem pronuntiant, quod „Latini receperunt, Penelope, Anchiſes, A„riſtoteles, naturæ quidem in ove ſonum imi„tati." Hæc Pierius. Neque vero rejicienda omnino ſunt inarticulatarum vocum quæ naturales animalium ſunt, exempla, quoniam eæ ſemper & ubique ſunt eædem, conſtantes, ſui ſimiles, nec μερόπων ἀνθρώπων more, id eſt, hominum quibus lingua eſt in omnem partem volubilis, in horas mutantur. Hinc hæ voces μιμητικαὶ, βλήχειν, βληχᾶσθαι, *balare*, & Belgice *bleeten*, ovium propriæ. Sic

βόμβ⊙ bombus, ſonus tubarum raucus, nec valde acutus, eſt etiam ſonus apum. Hinc bombizatio, Feſto auctore, à ſonitu apum dicta, ſicut mugitus à bobus, & hinnitus ab equis.

Sed quid multis? Ipſius litteræ B figura, quæ Græcis & Latinis eadem eſt, ſatis indicat eam apud utroſque eandem habere vim, poteſtatem, & ſonum.

Ex quibus omnibus liquido conſtat, β non *vita*, ſed bêta appellandum, neque ut *v* conſonantem, ſed plane ut *b* Latinum proferendum, Alioqui quæ eſſet ejus convenientia cum π & φ, cujus eſt media?

Illud tamen obſervatione dignum eſt, Græcos ſcriptores pro v conſonante modo β, modo ȣ uſurpaſſe, ut quum velum βῆλον ſcribunt,

Valerius Βαλέρι⊙ vel Οὐαλέρι⊙,
Valens Οὐαλής,
Valere, Zoſimus βαλῆρε,
Virgilius Βιργέλι⊙ & Ὀυιργίλι⊙,
Nervii, Νέρβιοι, & Νερȣ́ιοι,
Varro Βάῤῥων,

Quod neceſſitate & inopia linguæ alioqui copioſiſſimæ accidit. Nullam enim Græci habet litteram qua V noſtram conſonantem reddant. nam Οὐαλὴς trium ſyllabarum eſt, quum Valens ſit diſſyllabum. Ex quo ſuſpicor paullatim irrepſiſſe errorem ut pro β imperiti cœperint v pronuntiare. Et ut largiamur in hujuſmodi fortaſſis dictionibus quæ Latine per v conſo-

ſonantem ſcribuntur, Græcos etiam β ſonuiſſe ut v, (quod tamen non conſtat) non eſt tamen cur tam exiguus horum numerus tam religioſam in aliis conſuetudinem impediat, & nos ſtatim repudiato proprio, legitimo & vero ſono, nothum hunc, adſcititium, & quaſi mutuatum perpetuò retineamus. Quod enim in una aut altera voce conceditur, hoc ad univerſi generis naturam accommodare non ſatis integrum nobis fuerit. Una hirundo non facit ver: nec privilegia ſingulorum legem poſſunt facere communem. Neque enim tam exquiſitam formam in dicendo & ſcribendo arbitramur, ut ab univerſo præcepto nihil deflectat. Quod ſi quid à communi regula exceptum ſit, id nos quoque exceptum habemus: non tamen univerſæ litteræ regulam propter privatum quoddam verbum evertimus. Nam quæ communiter traduntur, communia: quæ excipiuntur, excipienda eſſe arbitror. Itaque ubi aliquid à communi formula diſcedit, hoc nos in ſonando excipiamus: cetera quæ non excepta ab auctoribus ſunt, ad univerſi generis formam pertinere arbitremur.

Caput XV.

Γ, γ, g, & Ⅎ sive F digamma Æolicum.

VEniamus ad Γάμμα, sive, ut Jones appellant, Gema, de quo docti minus laborant. Sonat ut G. Latinum: & ab omnibus fere recte pronuntiatur ante plerasque consonantes, ut ὄγδοος, γλῶσσα, ἀγμὸς, γναφεὺς, ἄγγελος: & ante vocales α ο ω, γάμος, γονεὺς, ἐγὼ: sed ante reliquas vocales vulgo vitiosius & effeminatius profertur. Tunc enim novum huic litteræ sonum quendam tribuunt, cum *i* Consonante (ut quidam vulgo profertur) communem. Itaque pro γενεαλογία, legunt *Jenealojia*, quum ubique deberet masculum illum, & per omnia similem servare sonum, medium inquam inter tenuem & adspiratum, quem perpetuo adhibent Germani: nec in conjugatione λέγω, λέγεις, λέγει, vel alibi, ullo modo variant, quascunque tandem contingat eam præcedere vel subsequi litteras. Certum enim est *i* Consonantis sonum à Græcis nunquam fuisse usurpatum, sicut in ἰῶτα dicemus. Deinde uni litteræ duplicem sonum tribuere non potes, quin Græcos fatearis litterarum inopia laborare, quod ne verisimile quidem esse potest. Eodem igitur sono tam Græcis quam Latinis hæc littera pronuntiari debet, quæcunque tandem voca-

ca-

calis ſequatur, eo ſcilicet quem integrum retinuit inter a & o.

Γράφειν ſcribere. Inde Belgis & Gallis, qui eſt ab actis publicis, actuarius, ſive ſcriba, *greffier* dicitur. Γράφειν etiam ſculpere, Galli *Graver*, *engraver*, Belgæ *graven* dicunt. Porrò *graven* etiam fodere ſignificat: hinc *graf* ſepulcrum: *gracht* vel *graft*, fovea, foſſa. Hinc etiam inſitiones arborum Belgæ *greffien*, & Galli *greffes* appellant.

Γρῦπες inſtrumenta nautica adunca, & ancoræ. Hinc Belgæ derivant *gripen*, Galli *griper*, & nonnulli *gruper*, id eſt, uncis unguibus rapere.

A γραῦς, id eſt, anus, Belgæ faciunt *graeu*, hoc eſt, cinericius, canus, à colore capillorum anilium.

Ab Hebræo nomine *Ghimel* longius Gamma receſſit: unde digamma Æolicum appellatur, quod duplicis gamma imaginem referre videatur. de quo plura in φ dicemus.

CAPUT XVI.

Δ, δ, d.

ΔΕ'ΛΤΑ Delta, à nomine Hebræo Daleth ſive Deleth, unde Deleta, & per Syncopen Delta: nam adſpiratio Hebræorum tenuiter ſæpe alio idiomate redditur. Sonat ut noſtrum *d*.

δέκα decem.
δαμαστὴς, δαμάτωρ, vel δμητὴρ, domitor.
Ab ejus figura aſtrum δελτωτὸν nuncupatum eſt, quod eſt ſignum in cælo ſupra arietis caput poſitum, δελτοειδῆ, hoc eſt, triangulari figura, Δ litteræ imaginem referens, à qua etiam nomen habet, duobus æquis lateribus, uno breviori, in unoquoque angulo ſtellam habens. Aratus in Phænomenis,

> Ἔστι δέ τοι καὶ ἔτ' ἄλλο τετυγμένον ἐγγύθι σῆμα
> Νειόδον Ἀνδρομέδης, τὸ δ' ἐπὶ τρισὶν ἐστάθμηται
> Δελτωτὸν, πλευρῇσιν ἰσαιομένῃσιν ἐοικὸς
> Ἀμφοτέρῃς. ἡ δ' οὔτι τόση, μάλα δ' ἐστὶν ἑτοίμη
> Εὑρέσθαι. ἐπὶ γὰρ πολέων εὐάστερός ἐστι.

Quod ita interpretatur M. Tullius:

> *Et prope conſpicies parvum ſub pectore claro*
> *Andromedæ ſignum, Deltôton dicere Graji*
> *Quod ſoliti, ſimili quia forma littera claret.*
> *Huic ſpatio ductum ſimili latus exſtat utrumque,*
> *At non tertia pars lateris. nam non minor illis,*
> *Sed ſtellis longè denſis præclara relucet.*

Et in antiquis Antiochenſium numiſmatibus plerunque ſpectatur deloton cum ſigno Arietis proximo.
Delta etiam inſula eſt in Nilo Ægypti fluvio. Hir-

Hirtius Lib. IV. Bell. Civil. *Locus* inquit, *eſt illarum fere regionum nobiliſſimus, non longè ab Alexandria, qui nominatur Delta, quod nomen à ſimilitudine litteræ cepit. Nam pars quædam fluminis Nili derivata inter ſe duobus itineribus, paulatim medium inter ſe ſpatium relinquens, diverſiſſimo ad litus intervallo à mari adjungitur.*

Caput XVII.

Ε, ε, *e breve.*

Ε'ΨΙΛΟΝ, id eſt e exile ſeu tenue, peculiare nomen non habet. Nam Hebræis nulla eſt littera quæ huic reſpondeat, niſi adſpirationem eorum mollem accipias He, quam Græci in vocalem mutaverint, ut Heth in ἦτα. E pſilon una eſt littera ex iis quatuor quas Plato in Cratylo ſcribit à Græcis pronuntiari, quum reliquæ non enuntientur, ſed tantum ipſarum nomina, ut Alpha, Beta, & ceteræ omnes litteræ præter ο ω & υ. Ex his autem Platonis verbis liquet, epitheton illud quo pſilon vocatur, id eſt tenue, poſtea adjectum eſſe, quum inter ε & ει diſtingui, & illud quidem inter litteras, hoc verò inter diphthongos numerari cœpiſſet. Veteres enim initio hanc litteram ει vocabant, ſicut oſtendit Plutarchus in eo libello quem inſcripſit περὶ τοῦ ει ἐν Δελφοῖς, & poſt eum etiam

etiam Euſtathius Iliados ε. Item Nigidius apud Gellium Lib. XIX. Cap. 14. merito quidem in eo Græcos reprehendens.

Pierius dicit η gravi eſſe ſono, ac tum demum exaudiri, quum ſpiritus aliquanto inferius contrahi videtur, & ſuppreſſo quodammodo ſono enuntiatur: ε ψιλὸν verò acutum habere ſonum, quum ad aperta uſque labra porrigitur, & vocaliore ſono ſe prodit.

Ε ψιλὸν valet e breve:

Μενέλαος Menelaus,

μελετῶ meditor, ex cognatione λ & δ, ſi Servio credimus.

ἐσθίειν Germanicè *eſſen*, Belg. *eten.*

Ab ἕλκειν trahere, Belgæ deducunt *elcene*, inſtrumentum acuminatum quo cerdones calceos inter conſuendum perforant.

Invenitur tamen redditum à Græcis pro i Latino brevi,

Britanni, Βρετανοί,

Domitianus, Δομετιανός,

Capitolium καπετώλιον.

Cavendum autem in primis ne η litteram vel αι diphthongum pronuntiemus ut ε: neque incidamus in vitium orationis effeminatæ, quod vocant Grammatici πλυέψιλον: ut inferius in η & αι oſtendemus.

CAPUT XVIII.

Z, ζ, z.

ZHTA *Zeta* non *zita* : id autem oppoſuimus Tſade Hebræorum, non Zain. Neque enim pronuntiari debet ſicut hodie à Gallis *s* littera effertur quum eſt inter duas vocales media, neque etiam ut duplex *ſſ*, ſed ut *ds*, qui ſonus eſt ſuaviſſimus, & à Latinis nunquam ſatis recte exprimi potuit. Qui craſſè docent, monſtrant ζ propemodum ſonare quod Flandris *ts*, quod illi facillimè ſonant, quum duabus ſyllabis dicunt *tſamen*, id eſt *ſimul*, & Germani *bezalen* ſolvere, qui ſonus lenis eſt, apumque ſuſurro perſimilis. Quod etiam ſubindicare videtur Q. Papirius Grammaticus, *In his*, inquit, *ſyllabis ſonus z litteræ immiſtus inveniri tantum poteſt, quæ conſtant t & i, & eas ſequitur vocalis quælibet, ut Tatius, otia, juſtitia, & ſimilia. Quinctilianus Lib. XII. jucundiſſimas eſſe teſtatur apud Græcos ζ & υ : quibus, inquit, nullæ apud eos dulcius ſpirant, & ſubdit, quas mutuari ſolemus quoties illorum nominibus utimur. Quod quum contingit, neſcio quo modo hilarior protinus renidet oratio, ut in Zephyris Zopyriſque : quæ ſi noſtris litteris ſcribantur, ſurdum quiddam & barbarum efficient, & velut in locum earum ſuccedent triſtes & torridæ, quibus Græcia caret.* Hæc Quincti-

ctilianus. Contra Martianus Capella refert Appium Claudium idcirco hanc litteram reformidaſſe, quod, dum exprimitur, morientis dentes imitetur: hinc factum ut quidam non omnino male eam cum ſtridore quodam pronuntiandam cenſeant. Ceterum quod omnes aſſerunt Græci Grammatici, nimirum non *dſ* (ut diximus) ſed *ſd* valere, hoc mihi quidem probari non poteſt. Nam primum omnium debet inter tres duplices eadem eſſe analogia. Ceteræ autem non valent σπ, vel σκ, ſed πσ vel κσ. Deinde ubi illa eſſet hujus litteræ ſuavitas, qua Fabius teſtatur nullam dulcius ſpirare? Præterea quum hoc iidem Grammatici obſervent, quoties nimirum duæ conſonantes in themate reperiuntur, priorem eſſe characteriſticam, quæ (quoad ejus fieri poteſt) in præterito medio & aoriſto ſecundo ſervetur: certe aoriſtus ſecundus ἔφραδον, oſtendit thema φράζω ſic pronuntiandum eſſe, ut φράδσω, non φράσδω audiatur. Poſtremo quum omnes tradant valere σδ, nemo tamen ita pronuntiat: ſed Galli quidem ut σ infractum ſonant, & Belgæ, dum dicunt

Zoucken quærere, quod Græci ζητεῖν,

Zoomen, circundare, circumſuere, à ζωννύειν,

Zien fervere; bullire, quod Græci ζέειν: Inde *Zee* mare ab æſtu, & Ζεὺς ἡ ζέουσα οὐσία κατὰ τοὺς στωϊκούς; inquit Athenagoras, id eſt, Jupiter ex ſententia Stoicorum, nomen apud Græcos à fervore tulit, ut nihil aliud ſit quam fervidiſſima natura.

Ger-

Germani vero & Itali vel inviti veram pronuntiationem retinuerunt. Decepti autem videntur (quod eorum pace dixerim) Græci Grammatici Dorica dialecto, ut ζ dicerent σδ valere. dicunt enim Dores
συρίσδω pro συρίζω,
σδυγὸν pro ζυγόν,
σδωὴ pro ζωὴ, & similia.
Sed hoc fit per litterarum metathesin, quam imitati sunt Latini, quum βάζω pronuntiarent βάσδω, unde suum *vado* deduxerunt, & ab ὄζω *odor*, & pro Μεζέντιος *Medentius* aliquando scribebant, ut testatur Priscianus. Ceterum quod apud Dionysium quoque in libro περὶ συνθέσεως ὀνομάτων legitur ζ valere σδ, eum sane locum non dubito affirmare ab iis esse corruptum, qui ex aliorum Grammaticorum opinione restituendum putarunt. Id enim apparet ex eo quod paullo post, quum inter se tres duplices litteras comparat, suavissimum esse dicit ζ, quia reliquæ duæ, nempe ξ per κ, ψ vero per π sibilum efficiant, quæ ambæ sunt tenues: ζ vero sensim & leniter spiritu adspiretur. Ex quibus verbis quis illud non videat, duplicium litterarum naturam ex sibilo æstimari? quod fieri non potest in ζ, si ut σδ pronunties. nam ita futurum esset ut non σ, sed δ potissimum audiretur, & à σ præcedente minime leniretur ad suavissimum illum sibilum exprimendum.

Romani qui peregrinam ζ inter suas adsciverunt, eam aliquando duplici *ſſ* reddunt:

πατρίζω patriſſo,
μάζα maſſa.

Caput XIX.

H, η, ee, *ſive ê longum.*

HTA, Eeta ab Heth denſiſſima Hebræorum conſonante nomen traxit, fuitque olim nota adſpirationis, ut declarat Athenæus libro nono, his verbis, Οἶμαι δὲ καὶ διὰ τοῦ η στοιχείου τυπώσασθαι τοὺς παλαιοὺς τὴν δασεῖαν. διόπερ καὶ Ῥωμαῖοι περὶ πάντων τῶν δασυνομένων ὀνομάτων τὸ η προγράφουσι. id eſt, *Veteres arbitror H elemento adſpirationem formaſſe. Quamobrem etiam Romani omnibus adſpiratis nominibus η præſcribunt.* Hactenus Athenæus. Ideoque in notis numerorum antiquitus apud Græcos H, ἑκατὸν, id eſt, centum deſignabat, quod prima eſſet ejus vocis littera, quam tum ſic ſcribebant HEKATON. Quia vero Græci hanc adſpirationem non ſupra ponebant, ſed ipſi lineæ inſerebant, hinc ortus eſt magnus error. Quo factum eſt ut cœperint eam ſupraponere, ac tandem illam diſſecuerint, hoc pacto H, ita ut anterior pars ſignificaret ſpiritum aſperum, poſterior lenem, quibus adhuc utimur in litteris grandiuſculis. In antiquiſſimis Heracleënſium numiſmatis quæ ſunt penes MARCUM Laurinum, legimus ⊢HPAKΛEΩN & ⊢HPAKΛHTΩN, præpoſito in ipſo contextu ſpi-

ſpiritu aſpero. In Selinontiorum autem nummis ΗΥΨΑΣ, hoc eſt Hypſæ fluminis, cujus facit mentionem Plinius, inſcriptio habetur, integre præfixa antiquiſſima illa adſpirationis nota, qua Latini etiamnum utuntur. Eam autem notam poſtea pro ε longa Græcia uſurpavit, ut diſerté teſtatur Plato in Cratylo his verbis, ού γὰρ η ἐχρώμεθα, ἀλλὰ ε τὸ παλαιόν, id eſt, *η enim non uſurpabamus olim, ſed ε.* Idipſum Auſonius poeta de litteris Græcis & Latinis, hiſce verſibus, qui ſubmutili videntur, confirmat:

> Ητα *quod Æolidum, quodque valet hoc Latiar E:*
> *Præſto quod E Latium ſemper breve Dorica vox E.*

Quod & vox ovium βῆ, de qua in βῆτα diximus, indicat, & Varro II de Re Ruſt. ſatis aperte quod ad hanc rem pertinet, explicavit his verbis, ubi de capris & ovibus loquitur: *Ea enim ſua voce Græci appellarunt* μῆλα, *nec multo ſecus noſtri ab eadem voce, ſed ab alia littera* bêla *vocarunt, non enim* mee, *ſed* bee *ſonare videntur oves vocem efferentes, à quo poſt balare dicunt, una littera extrita, ut fit in multis.* Hæc Varro. At quis oves *vi vi* vel capras *mi mi* ſonare credat, ut nunc corrupte βὴ & μὴ pronuntiant; & non potius *bee* vel *mee*, ut etiam *balant* pro *belant* Doricum ſit, ſicut μήτηρ *mater*? Idem demonſtrant dictiones μηκά-

κάδες, id eſt capræ, & *μηκᾶν*, id eſt caprarum more balare. *μηκᾶσθαι γὰρ διὰ τοῦ η ἐπὶ τῶν αἰγῶν λέγεται, μυκᾶσθαι δὲ ἐπὶ τῶν βοῶν διὰ τοῦ υ.*

Η igitur nullo modo exiliter pronuntiandum ut *ἰῶτα*, quocum nihil commune habet, ſed e obliquo, vaſtoque quodam ſono, medio inter *α* & *ε*: rictu minus diducto quam *α*, hiantiore tamen ac minus in ima depreſſo ſono, quam *ε*. Hinc fit ut Græci *Δημοσθένεα*, *τείχεα*, in *Δημοσθένη*, *τείχη* contraxerint. & ubicunque pœne *εα* incidit, in *η* contrahunt.

Quæcunque etiam Angli per *ea* ſcribunt, ſonum τοῦ *η* habent. Sic
bread *βρηδ*,
meat *μητ*,
great *γρητ*,
heat *ἡτ*,
Quæ omnia, quum nihil niſi longum e habeant, defectu propriæ litteræ per *ea* ſcribuntur.

Sonus etiam τοῦ *ἦτα* optime auditur in priore ſyllaba Gallicæ dictionis *eſtre* *ἦτρε*, quod *eſſe* ſignificat: quoniam omnia fere quæ Galli per *ai* vel per *eſt* ſcribunt, ſonum *η* habent. Sic
beſte ſeu *bete* *βῆτε*, beſtia,
honeſte *ὀνῆτε*, honeſtus,
preſter *πρηῆέρ*, mutuare,
feneſtre *ϖενῆτρε* feneſtra: ſ enim apud illos non auditur. Item
faire *φῆρε* facere,
pais, *πῆς* pax,
mais *μῆς* ſed,
maiſon *μηζόν* domus.

Co-

Cognationem arguit primum, quod, themate verborum incipiente ab α vel ε, augmentum fit in omnibus præteritis hac ſerie, ut α & ε ob vicinitatem in η mutentur, ut ἀκέω ἤκεον, ἐρείδω ἤρειδον : ſicut ο in ω, ut ὀρύττω ὤρυττον : quod augmentum idcirco temporale vocatur, quia fere brevis tranſit in longam. Item Jonice & Dorice α longum frequenter vertitur in η, ut

Ἀρχίης pro ἀρχίας,
Πελήπος pro πελάπος,
ἰητρὸς pro ἰατρός.
Contra τὰν pro τὴν,
γᾶν pro γῆν,
φάμα pro φήμη : quod quidem φήμη (præſertim quod ad priorem ſyllabam attinet) eodem plane modo ſonat ut Gallis femina, quam vocant *Feme*.
μήτηρ ϗ κοινοϐὶς Zelandis eodem ſono & ſignificatu effertur *de meeter*, quam Flandri Dorico more dicimus *de mater*, hoc eſt, μάτηρ. Ita etiam Gallis ſonat prior ſyllaba in *maiſtre*, quod magiſtrum ſignificat.
μήνη Zelandis *meene*, hoc eſt, luna, Flandris *mane*, δωρικῶς μάνα.
μὴν Zelandis *meend* menſis, Flandris *maand*, Dorice μάν.
χὴν Flandrice *gheend*, Dorice χὰν, *gans*.
θρηνεῖν Zelandi *treenen*, Flandri Dorice *tranen* dicimus.
Caſeus nobis *kaas*, Zelandis *kees*.
Hinc in eccleſiaſticis cantionibus bis peccatur

 in

in unica dictione, dum παράκλητος efferunt paraclitus per i, idque breve, quum dicendum sit paracletus, e longo,

Græci etiam qui res Romanas tractaverunt, ubi Latinis est e longum, constantissime η scribunt.

Pompejus Πομπήϊος,
Cornelius Κορνήλιος,
Aurelius Αὐρήλιος.
Aenobarbus sive Ahenobarbus Dioni est Αηνόβαρβος.

Legatum jurisconsulti Græci ληγᾶτον: quod quam absurde *ligaton* proferretur, quis non videt?

Cajus Jurisc. de verb. signif. *Telum*, inquit, *volgo quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur: sed nunc omne significatur quod mittitur manu. Ita sequitur ut & lapis & lignum & ferrum hoc nomine contineatur: dictumque ab eo quod in longinquum mittitur, Græca voce figuratum* ἀπὸ τοῦ τηλοῦ, *id est, ab eo quod est longe*, quam etiam etymologiam Justinianus in suas Institutiones retulit.

Zosimus Græcus historiarum auctor libro primo, ut ostendat prænomen Manius in gentem Valeriam profectum esse à quodam Valerio qui primus sacra diis Manibus fecit, ait in hæc verba: τοῦτον τὸν βωμὸν ὁ Οὐαλέριος εὑρὼν, καὶ τὴν θυσίαν, καὶ τὰς παννυχίδας ἐπιτελέσας, ἐκλήθη Μάνιος Οὐαλέριος Ταραντῖνος. τοὺς γὰρ χθονίους θεοὺς Μάνης καλοῦσι Ῥωμαῖοι, καὶ τὸ ὑγιαίνειν βαλήρε.

Vi-

Vides ut μάνης sonet *manes*, non *manis*: βαλῆρε *valere*, non *valire*. Quod vero βαλῆρε per ϐ scripserit, nihil mirum, quum Græci careant littera quæ v consonanti respondeat: ut in ϐ ostendimus.

Neoterici quoque Robertêtum scribunt Ῥοϐέρτητον, Murêtum Μέρητον.

Quid vetat huc etiam accersere dictiones Hebraïcas, ut Psal. CXXXV. τὸν Σηὼν βασιλέα τῶν Ἀμοῤῥαίων, quod versum est, *Seon regem Amorrhæorum.* Aliud enim est à dictione Σιὼν, ut Psal. L. Ἀγάθυνον κύριε ἐν τῇ εὐδοκίᾳ σου τὴν Σιὼν, *Benefac domine in bona voluntate tua Sion.*

Item ἀμὴν, amen,
ἀλληλούϊα alleluja,
ΙΗΣΟΥΣ JESUS, non Jisus.

ἠλὶ, ἠλὶ, λαμὰ σαϐαχθανὶ, Heli, heli, lama sabachthani. Heli, verò sonuisse ut e longum, non *hili*, indicant voces cruci adstantium. dicebant enim, Heliam vocat iste.

De η etiam Plutarchus in libro de ει docet, ut antiqui pro eo usi sint vocali ε, utque ad longitudinem valuerit. Eadem Dionysius Halicarnasseus in Rhetorica. His denique accedit Gazæ illius doctissimi auctoritas, qui Lib. III. τῶν εἰς τέσσαρα sic scribit, de Temporum notis loquens: ἦν μὲν οὖν πάλαι ἴσως οὐ μόνον τὸ ε καὶ ο τόπος τοῖς τοιούτοις σημείοις, ἀλλὰ καὶ τὸ α καὶ ι καὶ υ. νῦν δὲ ἐπὶ μὲν τοῦ ε καὶ ο περιττά: τὸ γὰρ η καὶ ω μεταλαμϐάνοντες γράφομεν. Id est, *Erat igitur olim fortassis istis*

ſignis locus non ſolum in ε & ο, ſed etiam in α & ι & υ. Nunc vero in ε quidem & ο redundant, quia η & ω aſſumtis utimur in ſcribendo. Sed quid iſtos commemoro? vel unum antiquum ex omnium ætatum memoria mihi oppone, qui ſi de his rebus tractet, non in hanc ſententiam dicat, aut qui iſtum tam attenuatum ι litteræ ſonum in η probet. An non Plutarchus tum in Vitis, tum in Problematis, tum in omnibus libris hoc in univerſum ſervat, ut e longum in η transferat? & contra Latini hoc η in e longum tranſtulere, niſi forte Dorice (id quod in Latina lingua ex Magnæ Græciæ, quæ Dorica dialecto utebatur, vicinitate, eſt uſitatum) illud η in α commutetur. Neque ſolus Plutarchus hoc facit, quanquam in ejus libris id ſit frequentiſſimum, quia plurima conſcripſit, ſed omnes quicunque de una lingua in aliam quidquam transferunt, hanc ſibi formam transferendi perpetuo proponunt: ut ſupra fuſius à nobis dictum eſt.

Franciſcus Vergara, licet noſtri ſeculi, doctiſſimus tamen Grammaticus, de vi & prolatione litterarum ſic ſcribit: *η perinde nunc profertur ac ſi eſſet ι longum, quum ſit e longum: ex* Η *per virgulam tranſverſam interſecta duæ propemodum* ΕΕ *fiunt, ſic* I-I, *quas geminas continere dicitur* Η *tam figura quàm etiam tempore, nimirum ſemper longa, duas ſemper breves. Atque ita transfertur à Latinis per e longum, ut* Δημοσθένης *Demoſthenes,*

κοςτὴς

κρατὴρ *crater. E quoque Hebræum Græcè redditur per* η, *ſicut Latinè per e*, Ἡλίας, Ιησȣ̃ς, Ησαῦ, *Helias*, *Jeſus*, *Eſau*. Ex quibus omnibus apparet, perperam eos facere qui η cum jota confundunt, ſicut hodie ſolent homines alioquin valde eruditi, a quibus ego magnopere contendo, ut rationem tandem auctoritate veterum confirmatam diſcant depravatæ conſuetudini anteponere.

CAPUT XX.

Θ, ϑ, *th.*

ΘHTA ab Hebræo nomine Theth, ideoque vocatur Theta, non ut nunc Thita, quia in priore ſyllaba eſt η ſive e longum, quemadmodum etiam ab omnibus veteribus vocantur *bêta*, *zêta*, *êta*, *thêta*. Perſius Satyr. IV.

Et potis es nigrum vitio præfigere thêta.

Et Martial. Lib. VII.

Noſti mortiferum quæſtoris Caſtrice ſignum?
Eſt operæ pretium diſcere Thêta novum.

Θ enim funeſta illa in capitalibus judiciis littera (quod dictionem Θανατὸς inchoet) nota erat condemnationis. Sed idem tamen valet

quod Hebræorum Tau ſine daghes, id eſt th: ita ut referat anſeris ſtrepitum, ut θεὸς theos, addito aëre ſive flatu. Ad quem modum etiam efferri oportuit *th* à Latinis, non exiliter quaſi *t* ſolum, ut nunc vulgus profert. Ideoque ſtudioſi obſervare debent ne θ cum tenui τ confundant. Hanc feliciter exprimunt Angli in initio, quum ſua lingua dicunt furem *thief*: in fine quum fabrum ferrarium *ſmyth*. Item Germani qui θὴρ vocant *thier*, id eſt, feram, (inde fortè Belgicum *tieren*, hoc eſt, ferarum more clamare) θυγατὴρ *thochter* filiam, Æolicè θυγατὴρ Priſciano teſte.

Caput XXI.

Ι, ι, *i*.

Ιωτα, Iöta triſſyllabum ab Hebræo Jod, *t* pro *d* uſurpato, reſpondet *i* Latino.
Ἰβηρία Iberia,
Ἰδίωμα idiôma,
Scipio Σκιπίων.
Cæcilius hanc litteram vocat pumilionem, quod omnium & figura & ſono tenuiſſima ſit & minima: eſt ſiquidem μονόγραμμος. Plato indicat accommodam eſſe ad exprimendas res ſubtiles & penetrabiles, quod declarant, ut ait, ἰέναι, ἵεσθαι, ac ſimilia. Itaque planè aliter ſunt proferenda η υ ει οι υι, quam ι: ne inter

inter legendum incidamus in ἰωτακισμὸν & πολυΐωτα, quæ orationem faciunt exilem, enervem, pipientem & confuſam. Neque enim χειρὸς ſonandum ut χρηςὸς: neque κιὼν ut κυὼν, μηκρὸν, *longum*, ut μικρὸν *parvum*.

Ιῶτα apud Græcos ſemper eſt vocalis, nunquam conſonans: nec unquam præcedit alteram vocalem in eadem ſyllaba, ut ἰατρὸς Ἰάσων, ἴαμβος. Unde perperam quidam jambus ſonant diſſyllabum, quum vox ἀμφίβραχον reddat. Hinc fit, ut quod in aliis linguis per *i* conſonantem effertur, pluribus ſyllabis efferre Græci cogantur. Nam Hebræi Jeſuh diſſyllabicè pronuntiant, Græci tribus ſyllabis Ιησȣς. Latini Junius, Julius, Juſtinus, Jodocus triſſyllaba, Græci tetraſyllaba efferunt, Ιȣνιος, Ιȣλιος, Ιȣςῖνος, Ιόδωκος.

Latinorum I longum olim enuntiatum fuiſſe ut *ei*, teſtatur Priſcianus, & alii antiqui Grammatici, & nos in diphthongo ει ex profeſſo tractabimus: quem morem habent etiam Brabanti, quum *bliven* manere proferunt *bleiven*, *rike* dives *reike*.

Caput XXII.

Κ, κ, *k*, *c*, *q*.

Καππα, Kappa ſive Cappa ab Hebræo Cap ſeu Caph, valet c noſtrum, item *k* ſeu *q*. Ab omnibus ferè incorruptè & rectè pronuntiatur, ſcilicet ut *k*, non ſolum ante conſonantes, ut κλέπτω, ἀκμὴ, κνίσσα, κρᾶσις, κραιπάλη crapula, χαρακτὴρ: ſed etiam ante vocales α ο ω: καλὸς, κόμη coma, κώμη vicus, pagus: & in fine dictionis, ἐκ ex. At eadem ante reliquas vocales quibusdam planè aliud ſonat. Tum enim vulgus noſtratium pœnè nihil diſcernit inter κ & σ ut vix aures dijudicent κελλὸς ne dicas, quod obliquum ſignificat, an Σέλλος nomen proprium, unde proverbiale verbum σελλίζειν: & utrum κήπιον pro hortulo, an σήπιον pro parte quadam ſepiæ piſcis, num Κίμων pro duce Athenienſi, an Σίμων pro Apoſtolo: Κῦρος pro rege, an Σύρος pro gente, καὶ pro &, an σὲ pro *te*. Ita apud Latinos in dictione Sicilia, ut nunc quidem vulgo profertur, primæ ſyllabæ ſonum ægrè dignoſcas à ſono proximæ. Nec dubium quin hæc differentia profecta ſit à vulgo, quando nemo veterum id ſcripto prodidit, qui tamen de rebus aliis minutiſſimis plurima curioſe ſcripſerunt. Imò Priſcianus auctor eſt, *k* & *q*, quamvis figura & nomine videantur aliquam habere differentiam, cum *c* tamen eandem tam in ſono

no vocum quam in metro continere poteſtatem, & *k* penitus in Latina lingua ſupervacuum eſſe. Quod ante Priſcianum teſtati ſunt etiam Fabius, Terentianus, & Fl. Soſipater Cariſius. Unde & in antiquiſſimis marmoribus legimus PEQVNIAM pro *pecuniam*. Hic autem ſi idem *q* & κ ſit, manifeſtè intelligitur κ litteræ ſonum ante reliquas vocales non mutari, quia *q* eundem in ſono modum ſemper habet. Quemadmodum igitur *q* ante *e* aut *i* in Latinis abſque *u* metimur, eodem modo ante easdem κ Græcum in iisdem metiamur. Sonus *q* conſtans eſt, & æquabiliter in dicendo ante omnes litteras obſervatur: obſervetur hoc in κ, & nequaquam ad tantas in contrahendo & ſonando ineptias & difficultates dilabemur: eodemque modo κ proferemus in κῆπος ut in Dorico κᾶπος. Quam quidem ſoni conſtantiam & æqualitatem in γ etiam retinendam ſupra diximus. Quis enim ſi perturbatè & corruptè ὁμολογέοντες & ἀρκέοντες pronuntiaret, poſſet ex illis ὁμολογοῦντες & ἀρκοῦντες efficere, & ex καὶ ἐγὼ κἀγὼ potius quam σάγὼ vel τσάγὼ; Ex Theone quoque ſophiſta, ubi de amphiboliis loquitur, τὸ κ quale ſit, & quam ante omnes vocales eandem vim habeat, manifeſtum eſt. Quis enim dubitet, ſi οὐκ ἐν ταύροις, & οὐ κενταύροις, ita germani ſoni conjunctique ſint, ut auribus in dicendo diſtingui nequeant, non alium τὸ κ ante ε quam ante α aut ο, ſonum habere.

Ex linguis autem popularibus, quas conſtat

ſtat olim lingua Græca permixtas fuiſſe, conjicere licet κ ante quaſlibet litteras perpetuum ſuum ſonum tenuiſſe, nempe τοῦ *k*.

Sic Germani vocant καίζαρ *kaiſer*.

Templum domini *kirike* ſive *kirche*, ἀπὸ τοῦ κυριακοῦ, ſicut dominicam *dom*.

Nos Belgæ & Angli *kuſſen* dicimus quod Græci κῦσαι, id eſt, oſculari, per υ ψιλὸν, id eſt, u tenue ſive u Gallicum.

Item jugulo *kelen* non *celen*:

κρητὴρ, Belgicè *kroes*, crater.

A κράζω clamo, ἀορ. β. ἔκραγον, *craghe* guttur, quod etiam ἀπὸ τῆς κραυγῆς, id eſt, à clamore dici poteſt:

κράτος potentia, *cracht*.

κραταιὸς potens, *crachtich*.

A κυεῖν parere, cunæ, quaſi cynæ, qui ſunt lectuli in quibus infantes ſolent jacere, vel loca in quibus naſcuntur: hinc Belgis *kynd* infans, puer, filius.

A κρύπτειν abſcondere, celare, *crupen*, id eſt, latenter & clam repere, ſerpere:

κακὸς *quaed*, malus.

κλάγγειν clangere, *clijnken*:

κλέπτω clepo, furor. Hinc *clippen*, *beclippen*, callidè & furtim aliquem deprehendere.

κήρασος *keerſe* ſive *krieke*.

A καίειν ardere, Flandrorum alii deducunt *caſcoen*, alii *cave*, Brabanti *ſcauwe*, quæ fumarium denotant: & omnes ex æquo Belgæ *keerſſe* candelam.

κνί-

κνίζειν *knizen*, vellicare, mordere, dolore afficere.
κίστη Belgicè iisdem litteris, ſono & ſignificatu *kiſte*, id eſt, ciſta:
κάραβος *crabe* Germanicè & Belgicè.

Certum eſt igitur κ eodem fuiſſe ſono quacunque littera ſequente, & Κικέρων pronuntiandum eſſe Kikeroon. Id quod vel ab ipſis ranis diſcere licet, quibus hæc littera peculiaris eſt. Nam audimus illas quotidie modulantes illud ſuum βρεκεκεκὲξ, κοὰξ κοάξ. Quas voces non alia littera Ariſtophanes in Ranis potuit efferre, dum eam litteris conatur exprimere. Atqui ranæ non mutant cantionem ſuam tot jam ſeculis, & quum illis ſumma lingua religata ſit, poſtrema quæ fauces ſpectat, libera, ſit ut aliter ſonare non poſſint. Porro quod mutarum tam ꝧ γ quam ꝧ κ uniuſmodi ante omnes vocales prolatio ſit, argumento eſt & illud, quod etiam hujus ætatis Græci (quibus tantum damus, quantum per antiquos dare licet) perpetuum hunc frequentent in dicendo ſonum.

Veteres quoque Græci quod Latini per *q* efferunt, per κ reddunt.
Quirites Κυϊρῖται,
Torquatus Τορκυᾶτος. Et ſine υ,
Aquilius Ακίλιος. Item cum ο,
Quintus Κοΐντος, alii κυΐντος, numiſmata quædam ΚΟΥΙΝΤΟΣ. Latinè autem in antiquo nummo C. Valentis Hoſtiliani Meſſii Quinti, qui fuit alter filiorum Imperatoris Decii, vidimus

dimus ſcriptum COVINTVS.

Inveniuntur Græci noſtrum *c* per γ reddidiſſe, & contra:
Καλβίνιος pro Calbinius,
Σίγαμβροι pro Sicambri:
Sic Belgæ γονὺ *knye*, id eſt, genu: & Latini guberno pro κυβερνῶ. Græci quoque γναφεὺς & κναφεὺς pro fullone, unde fortè Belgicum *knape*, famulus. Herod. ὅτε τὸ γάμμα τῷ κάππα διηγωνίζετο πολλάκις ἐν τῷ κναφείῳ περὶ τῶν γναφάλων.

Caput XXIII.

Λ, λ, *l*.

Λάμβδα, Lambda, non Lamfda, ex Hebræo nomine Lamed, & Syncope interpoſito β, λάμβδα: littera maximè lubrica, plena dulcedinis & amœnitatis, mira ſuavitate auribus illabitur. Valet *l* noſtrum.
λύκος lupus,
λείβω libo,
λείριον lilium,
λείχειν *leicher*, Belg. *lecken*, lingere.

Græci aliquando n ſequente *l* per λ tranſtulerunt: Manlius Μάλλιος ſcribentes. Invenitur tamen & Μάλιος apud Plutarchum.

Ab hujus litteræ forma λαμβδοειδὴς figura dicta eſt.

C A-

Caput XXIV.

M, μ, *m*.

MΥ, My, hoc eſt *Mu* per *u* Gallicum, non *Mi*, longius receſſit ab Hebræo nomine Mem: Iones vocant μῶ, idem valet quod Latinum *m*.

Μάμμη avia. hoc vocabulo etiam infantuli matrem vel nutricem appellant, ſicut patrem Tatam. Mart. Lib. I.

Mammas atque Tatas habet Afra, ſed ipſa Tatarum
Dici & mammarum maxima mamma poteſt.

Cato, *Qui cibum ac potionem Buas & Pappas vocant, & patrem Tatam, & matrem Mammam.* Hinc μαμμᾶν balbutientium puerorum vox. Ariſtoph. μαμμᾶν δ' ἂν αἰτήσαντι ἧκόν σοι φέρων ἂν ἄρτον. Latinis *mamma* uber ſignificat.

M moleſta littera eſt in pronuntiando, ſi finiat dictionem, prorſusque obmuteſcens: cujus ſonum fugientes poetæ Latini, curant eam elidendam in carmine, ſequente vocali. Ideo Græcis nulla dictio in eam terminatur, quod & ait Fabius, à quo etiam mugiens vocatur, quia mugitum edere videtur. Inde figuratum μυκᾶσθαι, &, quod idem ſigni-

 ficat,

ficat, *mugire*, *μύζειν* quoque & *muſſare*, quæ de iis dicuntur qui tacitè loquuntur, nec audent vocem claram edere. Unde Gallicum *muſſer*, id eſt *occultare:* Hinc & *mutum* dixerunt Latini, & *mutire.* Ex quibus omnibus, ut hoc obiter dicamus, manifeſtè colligitur υ ut *u* gracile enuntiandum eſſe.

CAPUT XXV.

N, ν, *n.*

NΥ Ny, hoc eſt Nu per *u* exile, ab Hebræo Nun abjecto ultimo n. Sonat *n* Latinum, debetque linguæ mucrone intimos dentes & palatum feriente enuntiari, ſive ſyllabam inchoët ſive claudat, apud Græcos præſertim. Quinctilianus de litterarum euphonia, *Quid*, inquit, *quod pleraque nos illa quaſi mugiente littera cludimus m, qua nullum Græcè verbum cadit, at illi ν jucundam, & in fine præcipuè quaſi tinnientem illius loco ponunt, quæ eſt apud illos rariſſima in clauſulis.*

Νῦν Belg. *nu*, nunc,

Νέςωρ Neſtor.

Νέμειν diſtribuere. hinc Belgicè *nemen* capere.

CAPUT XXVI.

Ξ, ξ, ϰ.

Ξ I, Xi, ab Hebræo Schin ductum videtur: Latine nomen invertimus, *ix* dicentes. Valet *cs* vel *gs*, quod ex obliquorum Analogia apparet. Dicimus enim φοίνιξ φοίνικος, & ἄνυξ ἄνυγος. Interdum tamen ϰ in obliquis adſpiratur, ſed præter recti naturam. Nam inter ϰ & σ locus adſpirationi nullus eſſe poteſt. Itaque quamvis dicamus θρὶξ τριχὸς, minimè tamen exiſtimandum eſt ξ in θρὶξ valere χσ.

CAPUT XXVII.

Ο, ο, *o breve.*

OMIKPON, *o* parvum, & ipſum quoque, ut ait Plato, à Græcis pronuntiatur, peculiareque nomen non habet. Nam Hebræorum nulla littera eſt huic reſpondens. Itaque hoc Epitheton ei poſtea additum eſt, ut ab altero ω magno diſtingueretur, quod velut ο geminum eſt, ſicut η longum ε. Nam & ipſum ο initio dicebatur ȣ, ſicut teſtantur Euſtathius, & Nigidius apud Gellium, & apertius etiam liquet ex illo Epigrammate

quod Thrasymachi Sophistæ monumento inscriptum erat, ut docet Athenæus Lib. X. Est autem ejusmodi,

> Τοὔνομα θῆτα, ῥῶ, ἄλφα, σαν, υ, μῦ, ἄλφα, χῖ, ου, σαν·
> Πατρὶς Χαλκηδών, ἡ δὲ τέχνη σοφίη.

Nam his litteris exprimitur Θρασύμαχος: itaque penultima littera ου non ο, eo tempore dicebatur. Idem tamen scribit Græcos quum ου diphthongum significare vellent, interdum solo ο usos esse: ex qua consuetudine distichon illud Ausonii alioquin perplexum explicandum est,

> *Una fuit quondam qua respondere Lacones*
> *Littera, & irato regi placuere negantes.*

Nimirum ο. non υ, sicut quidam existimavit. Inde & opinor factum, ut nomina apud Latinos in *us* desinentia (quod tamen crassiore sono exprimebatur, sicut in υ dicemus) Græci per simplex ο expresserint, ut
Fabius Φάβιος,
Publicola Ποπλικόλας: antiqui etiam dixerunt Poplicola, ut in multis vetustis nummis & marmoribus est invenire:
Numitor Νομίτωρ.
Contra Latini ο Græcorum suo *u* expresserunt, ut Ὀδυσσεὺς Ulysses. Talis est etiam apud Romanos cognatio *u* cum *o*: upilio, opilio.

lio. Atque etiamnum hodie magna Galliæ Lugdunensis pars sic *o* pronuntiant ut *ou* intelligas. Narbonensis contra *ou* mutat in *o*. Sed rectius omnino fecerunt recentiores qui *o* ab ȣ diphthongo & appellatione & scriptione distinxerunt. Debet enim *o* intra palatum ore rotundo enuntiari, quod & ipsa figura indicat, ut ο breve.

λόγος logos,

πόνος ponos,

ὁλκὰς, Belg. *bolk* sive *hulk*, navis oneraria, quam alio nomine Græci φορτίδα ναῦν, seu φορτηγὸν appellant.

ȣ verò quia υ habet admixtum, etiam labiorum compressione indiget, neque simplice sed composito sono constat. Itaque immerito Græcis objectum fuit ipsos non posse uno elemento sonum *u* Latini repræsentare. Cur enim una littera compositum sonum exprimant?

Pierius: " O duplex est, acuta & gravis.
„ Acuta, quum emissum ab imo pectore
„ spiritum circa dentes sistit, & expedito
„ eum ore resonare facit. Gravis, quum
„ usque ad dentes emissum interius revocat,
„ & aliquantulum remoratur, quod ex ipsa
„ etiam figura quodammodo replicata ω vel
„ Ω Græci constare voluerunt.

Caput XXVIII.

Π, π, *p*.

Πι̃, Pi, ab Hebræo Pe nomen habet. Sonat P Latinum.
πατὴρ pater, German. *vatter* per digamma Æolicum,
πλατὺς latus, a, um, Belgicè & Gallic. *plat*, id eſt planus,
πληγὴ plaga, Zelandis *pleeghe*, Flandris *plaghe* δωρικῶς,

Caput XXIX.

Ρ, ρ, *rh*, *r*.

Ρω̃, Rhoo per *o* longum, ab Hebræo Res longius remotum nomen habet. Valet *r* noſtrum.
ἅρμα harma,
Ἄραρ Arar.

Apud Græcos perpetuo initio adſpiratur.
ῥυτὴρ defenſor, Belgis *ruter*, id eſt, eques, miles,
Ῥόδος Rhodus.
Ita ut quod nos Roma dicimus, Græci ῥώμη ſcribant, & in medio dictionis geminatum prius tenue eſt, poſterius adſpiratur, ut
Πύῤῥος Purrhos.

C A-

Caput XXX.

Σ, σ, ſ.

Σιγμα, Sigma, à Samech Hebræo, facta quadam litterarum mutatione ac trajectione, Dores San vocant, ſicut Herodotus & alii teſtantur. Sonat ſ Latinum.
Σάτυρος Satyrus,
Πίσων Piſo,
Σέλευκος Seleucus,
σάκκος, ſaccus. Gallicè *ſac*. Belg. *zac*.
στρατὸς exercitus. Belg. *ſtrate* viam vel plateam ſignificat: *heerſtrate* viam exercitus, vel viam regiam.
σκάφος Germ. *ſcif*. Belg. *ſcip*. Gall. *eſcif*,
στόμα, os oris: per ἐναντίωσιν Belgæ dicunt *ſtom*, id eſt mutus, quaſi ἄστομος, hoc eſt carens ore: σιγᾶν Belg. *zwighen*,
στᾶν *ſtaan*,
στέλλειν mittere. Item ordinare. Belg. *ſtellen*, ponere,
στένειν *ſtenen*, gemere,
σπουδὴ feſtinatio, *ſpoede*,
σπείρειν ſeminare. *ſpreien* verò Belgicè ſpargere tranſpoſito *r*. Ennius *ſpiram* hominum multitudinem vocavit auctore Feſto: & Græcis σπεῖρα catervam, manipulum, exercitum, & cohortem prætoriam ſignificat. Inde Spira, urbs Nemetum, Germanicè *Speir*, ſic dicta quod in eam urbem Conſtantius, à quo

vel condita vel ornata eſt, cohortem prætoriam collocavit velut in ſpeculam, ad cuſtodiam ac defenſionem totius viciniæ. Quum enim in locis Spiræ vicinis diu commoratum eſſe cum exercitibus Conſtantium conſtet, neque abſurdum eſt neque alienum à veritate hiſtorica, Spiram nomen adeptum eſſe à Græcis cohortibus: quemadmodum Latiburgum, quod ſedes eſt Epiſcopi Vormatienſis, à caſtris Latinis, Heidelshemium ab Helena Conſtantii conjuge & Magni Conſtantini matre, Brettam ἀπὸ τῶν βρεττανῶν ſive à Britannis, qui cum Helena Conſtantium ſequuti ſunt. Sunt & alia Romanorum exercituum ad Rhenum monumenta, urbes ſcilicet, quæ Latina nomina conſervarunt, ut à Bacchi ara Bacharacum, à Trajani domo *Trechshuſen*, ab ara Lunæ Arlunum, Colonia Agrippina &c.

Σῖγμα apud Lucianum actionem inſtituit adverſus ταῦ, conſtitutis judicibus ſeptem vocalibus, conquerens ſeſe abs ταῦ pluribus dictionibus ſpoliari, ac quaſi de poſſeſſione ſua dejici. Pindaro κίβδηλον vocatur, hoc eſt, adulterina & non vera littera: adeo ut, teſte Demetrio Phalereo, odas totas videre licuerit, quibus nullum ineſſet σ. Meſſalla Corvinus vocat ſibilum: unde etiam colligi poteſt ejus pronuntiatio, quæ non eſt prorſus negligenda. Malè quippe à Gallis infracto ſono & ſicut *zain* Hebræorum pronuntiari ſolet, quoties vel in eadem vel in diverſis dictionibus reperitur media inter duas

voca-

vocales. Sic enim *Cauſa* pronuntiant, ac ſi *Cauza* ſcriptum eſſet, ut quidem vulgo zeta efferri ſolet. Sed hoc vitium quum nonnulli vitare ſtudent, in aliud incidunt, ita pronuntiantes, ac ſi duplex *ſſ* ſcriptum eſſet. Modus ergo tenendus eſt ut lenis ſibilus audiatur.

Sigma enim efferendum non zigma, eo propemodum ſono quem noſtri temporis inſcitia tribuit *c* litteræ, *e* vel *i* ſequentibus, ut Ælius Antonius admonuit: cavendumque ne ſonum τοῦ ζ referat, hoc eſt, ut exemplis rem illuſtremus, ne idem ſit ſonus ζώνη cum σῶμα, ἀζήμιος cum ἄσημος, φράζω cum φράσω. Nam σ multo exilius ſonat, ut luculentiſſimè videre eſt in dictionibus *ſanus*, *ſedeo*, *Simon*, *ſoleo*, *ſuper*, & ultimis dictionum γλῶσσα, πλάσσω, ὀρύσσω, quæ genuinum hujus elementi ſonum probiſſimè exprimunt. Unde Sextus quoque Pompejus Feſtus, *Sileo*, inquit, *tacere ſignificat, ficto verbo ab ſ littera. quæ nota ſilentii eſt.*

Priſcianus: S *ſæpe pro adſpiratione ponitur in his dictionibus quas à Græcis ſumſimus, ut ſemis, ſex, ſeptem, ſe, ſal. Nam* ἡμὶν, ἓξ, ἑπτὰ, ἓ, ἅλς *apud illos adſpirationem habent in principio. Adeò autem cognatio eſt huic litteræ cum adſpiratione, quòd pro ea in quibusdam dictionibus ſolebant Boeoti pro ſ, h ſcribere, Muha pro Muſa dicentes.* Hæc ille. Ceterùm diverſam olim fuiſſe hujus litteræ majuſculæ figuram ab ea quæ nunc uſurpatur, ex eo liquere

quere poteſt, quod ab Euripide & Theodecte comparatur cincinno retorto, ab Agathone verò arcui Scythico, quorum verſus ſuo loco ſubjiciemus ex Athenæi libro. Apparet autem hæc ejus figura in vetuſtis codicibus, & nummis, eadem prorſus ac C Latinorum, niſi quod extrema cornua habet intus magis reflexa, & magis oblonga, hoc modo Ϛ.

CAPUT XXXI.

Τ, τ, *t*.

TAΥ, non Taf, ſed Tau, quomodo nautæ litoris Belgici ſonant *tau*, quod denotat funem nauticum. Apud Hebræos idem nomen habet. Valet *t* Latinum.

Τίταν Titan,

τάσσειν ordinare, ſtruere, Belg. *taſſen*. Hinc *een hout-tas*, ſtrues lignorum:

τέλος aliquando vectigal ſignificat, Belgæ *tol* vocant, τελώνην autem *tollenare*,

Τάνταλος Tantalos,

Ἀντώνιος Antonios,

πάντα panta:

Non (ut habent neotericorum Grammaticorum inventa) Tandalos, Andonios, panda: quum *t* ante *n*, ne Latini quidem reſpuant.

Signum T apud Ægyptios magno in cultu, magnaque veneratione inter hieroglyphica ſacraque indigitamenta habitum eſt, & ab iis nota

nota ſalutis nuncupata, frequentiſſimumque eſt in illa nobili tabula hieroglyphica Petri Bembi. Sic in Exodo juſſit dominus filiis Iſraël ſignum T in ſanguine ſuperliminari, & in utroque poſte inſcribi: *ne* (ut inquit D. Paulus ad Hebræos cap. XI.) *qui vaſtabat primitiva, tangeret eos.* Et apud Ezechielem Prophetam, *Tranſi, inquit dominus, per mediam civitatem in medio Hieruſalem: & ſigna Tau ſuper frontes virorum gementium & dolentium ſuper cunctis abominationibus quæ fiunt in medio ejus. Et illis dixit audiente me, Tranſite per civitatem ſequentes eum, & percutite: non parcat oculus veſter, neque miſereamini. Senem, adoleſcentulum, & virginem, parvulos & mulieres interficite uſque ad internecionem: omnem autem ſuper quem videritis Tau, ne occidatis, & à ſanctuario meo incipite.* Hæc ille cap. IX. Quapropter etiam T typus eſt ſacroſanctæ Crucis Domini noſtri JESU CHRISTI.

CAPUT XXXII.

Υ, υ, *y, ſive u tenue.*

YΨΙΛΟΝ, y, hoc eſt *u* tenue, gracile, ſive exile, (Virgilius litteram Pythagoræ vocat,) ſimplex nomen non habet, nec Hebræis littera eſt quæ huic reſpondeat. Figura Y majuſculi & υ minuſculi cum *V* & *u* non

non malè convenit. Ex volatu gruum nata eſt, ut obſervavit Palamedes, juxtá Philoſtratum, & Martial. in Xeniis,

Turbabis verſus, nec littera tota volabit:
Unam perdideris ſi Palamedis avem.

Peculiare autem eſt huic elemento, ut in capite dictionum perpetuo adſpiretur, ut ὕδωρ, ὕμνος. præterquam apud Æoles, qui ſpiritum adſpiratum ignorant, ὔμμες dicentes pro ὑμεῖς, *vos.* Valet *y*, quod à Græcis mutuati ſunt Latini, unde & *y Græcum* vocant: cujus ſonus medius eſt inter *i* & ȣ, & tam Græcè quàm Latinè ut *u* Gallicum enuntiandum eſt, non ut ι. Unde non defuerunt, quorum è numero eſt Victorinus, qui litteram *y* nobis neceſſariam eſſe judicarunt in *gyla*, *proxymus*, *optymus*, *Sylla* pro quibus nos *gula*, *proxumus*, *optimus*, vel *proxumus*, *optumus*, & *Sulla* ſonamus: quanquam *Sylla* eſt uſitatius. At Soſipater Cariſius lib. 1. inquit, *Gulam, ut Julius Modeſtus ait, per u ſcribemus, non per y, quæ Græcis vocibus neceſſaria eſt, & ſæpe in u tranſit.* Quod quum non animadverteret Johan. Tritemius Abbas alioqui abſtruſe doctus, in ſua Polygraphia has notas TU. CICERO. LIB. ita legit, *Tullii Ciceronis Liber*, quum legere debuiſſet *Turonis Ciceronis liberti*, id eſt, Tyronis, ſi Molinæo J. C. credimus: Nam, ut ego arbitror, ſcribendum *Tiro* non *Tyro*, quod veteres codices & lapides indicant: neque enim Græca dictio

dictio eſt , ſed merè Latina.

ὖ, juxta interpretem Ariſtophanis, & alios veteres Grammaticos, ἐπίῤῥημα θαυμαστικὸν, ὅπερ ἐν τῇ συνηθείᾳ λέγομεν ὀσφραινόμενοι τῆς κνίσσης : hoc eſt , ὖ *eſt admirantis adverbium, vel imitatio ſonitus, quem, nidorem odorantes, ſolemus ſpiritu naribus attracto reddere.* In quo ſonitu non potes aliam litteram quam υ gracile animadvertere. Ariſtophanis verſus in Pluto ſunt hi:

Συκ. Αρνεῖσθον; ἔνδον ἐστὶν ὦ μιαρωτάτω
Πολὺ χρῆμα τεμαχῶν καὶ κρεῶν ὠπτημένων,
ὖ ὖ, ὖ ὖ, ὖ ὖ, ὖ ὖ, ὖ ὖ, ὖ ὖ.

Καρ. Κακόδαιμον, ὀσφραίνει τί; Δι. ὦ ψύχους γ' ἴσως,
Επεὶ τοιοῦτον ἀμπέχεται τελβώνιον.

Syc. Negabitis ſcelera? intus fruſta piſcium,
Et carnium aſſatarum magna eſt copia.
Hυ hυ, hυ hυ, hυ hυ, hυ hυ, hυ hυ, hυ hυ.

Car. Quid olfacit miſer iſte? Juſt. Frigus forſitan,
Hujuſmodi quando eſt amictus penula.

Sola autem υ ex omnibus vocalibus labiorum præſidio eget: ut ad ſoni hujus explicationem ſatis videatur, dicere coëuntibus labris υ ſonari. Unde Dionyſius Halicarnaſſeus dum υ a ceteris ſonis diſtingueret, ejus naturam his verbis

verbis clarè expreſſit: *Littera* υ *quàm* ω *exilior eſt*, *&* *cum contractione quadam labiorum notabili ſonus anguſtus ac pœnè ſuffocatus exit ex ore : quum in* ἰῶτα *contra ore paullulum dilatato ſonus nequaquam in labiis reſplendeat*, *ſed dentes ſpiritu feriat & pulſet.* Martianus item Capella ait quòd υ appreſſis labris ſpirituque procedit. Ceteræ vocales conſiderentur, & nullam videbimus in labiis, præter υ ſolam, hærere, reliquas omnes apertiùs ore patenti ac dilatato cernimus evolare. Quare hæc una de labris contrahendis nota ad ſoni naturam deſcribendam ſatis eſſe poſſet. Priſcianus eundem ſonum in υ eſſe dicit qui in *u* Latino eſt, quando inter *q* & *æ*, *i* : aut *g* & *æ*, *e*, *i* intercurrit, ut in his verbis, *quiſque*, *quæque*, *linguæ*, *pingue ſanguis.* Ex quo facilè quiſnam hic ſonus ſit intelligitur, ſi modò diligenter advertatur. Alii, quod eodem quoque pertinet, medium quendam ſonum inter *u* Latinum, quod ȣ Græcum eſt, & *i* Latinum eſſe dicunt, ſed pinguiorem aliquanto & magis opimum quàm *i*, & molliorem ac teneriorem quàm eſt *u* : ita ut neque *i* audias neque *u*. Quo ſono veteres *gylam*, *optymum*, *proxymum* dicebant. Hic ſonus in Latinam linguam venire non debet : olim enim niſi in certis verbis non efferebatur, & ideo à Grammaticis peregrinus ſonus vocatur, & ad Græca verba exprimenda ſolum admiſſus. Nam Latini qui peregrinam litteram nullam recipiebant, ſonantius aliud & gran-

grandius adferebant, quod ſoni magnitudine dignitatem orationi conciliaret: & hac ſimplici ſinceraque voce minimè contenti, aliquid elaboratius ornatiuſque conquirebant, quinctamque Latinorum vocalem *u* ſubſtituebant. Nunc à nonnullis contra fit quam illi fecerunt, & Latinum *u* perperam eo ſono profertur quo veteres *υ* proferebant. Quo vitio laborant præcipuè Galli, qui *nυnc* pro *nunc* & *lυmen* pro *lumen* dicunt. Ex iis poteſt intelligi quid illa in Oratore Ciceronis verba ſignificent. *Purrum ſemper Ennius, nunquam Pyrrhum. Vi patefecerunt Fruges, non Phryges: ipſius antiqui declarant libri. Nec enim Græcam litteram adhibebant, nunc autem etiam duas: & quum Phrygum, & quum Phrygibus dicendum eſſet, abſurdum erat aut tantum barbaris caſibus Græcam litteram adhibere, aut recto caſu ſolum Græcè loqui: tamen & Phryges & Pyrrhum aurium cauſſa dicimus.* Hæc Cicero. Sic M. Verrius Flaccus: *Antiqua conſuetudine qua Græci* Πύῤῥον *Burrum*, πύξον *buxum dicebat. Itaque buculam burram, id eſt rufam vocabant:* quod & Quinctilianus & Sextus Pompejus Feſtus confirmant. Conſtat etiam veteres

Ἰλλυρίους Illurios,
κύμινον cuminum,
κολλύριον collurium,
μύραιναν murænam,
μύτιλον mutilum, &
κλύω cluo dixiſſe.

Victo-

Victorinus de enuntiatione litterarum: *Loco y, u litteram aptam nostris vocibus finximus, quam nisi per y conjunctam Græci scribere ac pronuntiare non possunt.* Indicat autem *u* Latinum sonare ut ȣ, quod constat ex ο & υ. Idem de orthographia: *Quæ voces y litteræ sonum exigunt, eas per y potius sicut exigit ratio, quam per u scribere debemus, ut Eutychus, Hylas.*

Vides vicinitatem *y* & *u*. Idem paullo post: Υ *verò eodem ordine scriptum habemus quo illi, recisa tantum virgula juxta, sic ut quod apud illos junctum* ο *litteræ u facit syllabam, nostri etiam quoties ejusdem soni longa syllaba scribenda esset, & ipsi adjungebant* ο *litteræ. Inde scriptum legitis Loucetios, nountios, loumen, & cetera.*

Terentianus Maurus, cujus crebram mentionem facit Priscianus,

Tertiam Romana lingua, quam vocant Υ, *non habet:*

Hujus in locum videtur U Latina subdita,
Quæ vicem nobis rependit interim vacantis Υ,
Quando communem Latino reddit & Græco sonum.

Q. Terentius Scaurus: Υ *litteram supervacuam Latino sermoni putaverunt, quoniam pro illa U cederet: sed quum quædam in nostrum sermonem Græca nomina admissa sint, in quibus evidenter sonus hujus litteræ exprimitur, ut hy-*

hyperbaton, ut hymnus, & hyacinthus, & similia, in eisdem hac littera neceſſario utimur. Vides ut Υ parum differat ab *u* vocali Latina, nec eadem ſit cum *i*.

Pierius, licet recentior, " *V*, inquit, pro-
„ cul in labiis tota conquieſcit. Vocalis ea
„ apud Græcos non habetur, ſed ejus ſoni
„ vice diphtongum ponunt ȣ. Quam Latini,
„ quum uno charactere ſæpe ſcribi obſervaſ-
„ ſent, contracta in acutum parte inferiori,
„ *V* ſuam fecere, per quam ſuum illum uſi-
„ tatiſſimum peculiaremque ſonum exprime-
„ rent. Verum multa etiam quæ Græci per
„ υ ſcriptitant, ipſi per vocalem hanc ſuam
„ ſignare inſtituerunt, ut δύο duo, πύῤῥος
„ Purrus.

Itaque ſonus ȣ υ ψιλȣ, quum labiis prematur, & medius inter ȣ & ι exiſtat, & eundem in dicendo ſonum adferat quem *u* inter *q* & *æ*, *e*, *i*; alius eſſe non poteſt, quam quod *u* Gallicum ab Eraſmo nominatur, & hoc tempore in Latina lingua tam latè patet. Reſtituatur igitur υ ſuo domeſtico nativoque ſono, & *u* Latinum ad ȣ Græcum adſcendat. *Lumen* enim, *nuntii*, *acutè*, *argutè* ſic Græcè transferuntur λȣμὲν, νȣντιι, ἀκȣτε, ἀϱγȣτε.

Quod ſi hic omnia Latina verba quæ à Græcis mutuata ſunt, vellem percenſere, facilè intelligeretur ab hac vicinitate, quam memoravimus, illos non abhorruiſſe. Nos pauca è multis adferemus, in quibus Romani pro υ pſilo ſuum *u* uſurparunt.

σὺ ſive τὺ, Latinè & Gallicè *tu.* Neque enim τὺ pronunciandum ut τί, id eſt, *quid.*
ὗς ſive σῦς ſus,
μῦς Belg. *muus*, eodem ſono: Lat. mus.
Ligurire ἀπὸ τοῦ λιγυρῦ.
Ἀμφιτρύων Amphitruo apud Plautum,
ὑπὲρ ſuper,
ὑπὸ ſub,
ὑπέρβιος ſuperbus,
ῥύω ruo, λύω luo,
πτύω ſpuo,
βύεις bubo,
φύω fuo. Virg. *Tros Tyriuſque fuat:*
τύμβος tumba,
ἀφύα apua,
πόρφυρα purpura,
βότρυς botrus,
τυρβᾶν turbare, τύρβη turba,
συρίζω ſuſurro,
δάκρυα lacrumæ ſive lacrymæ,
Erycina in veteribus inſcriptionibus & numiſmatis ERUCINA,
Cubus κύβος, figura eſt in omni latere quadrata, quales ſunt teſſeræ quibus in alveolo luditur, quæ etiam κύβοι à Græcis ſunt appellatæ. Igitur *kubos* pronuntiandum, per *k* & *u* Gallicum, non, ut vulgo, *civos* vel *kivos.*
Ab Aſſur ἀσσύριοι, à Ludio Λύδιοι, teſte Joſepho. Ἀσσύρας δὲ (inquit) Νῖνον οἰκίζει πόλιν, καὶ τοὺς ὑπηκόους Ἀσσυρίους ἐπωνόμασεν. *Aſſuras urbem Nini condidit, & ſubditos de ſe Aſſurios*

rios denominavit. Et paullò poſt : ὃς ᾗ Λύδες νῦν καλᾶσι, Λέδες ᾗ τότε, Λέδας ἔκτισε. *Qui vero Lydi nunc vocantur, olim Ludi dicti, Ludam auctorem generis habere.*

Cutis Græcam habet originem: hanc enim illi κύτος dicunt. Feſtus.

Idem κυλίχνη Culigna, potorium vas. Cato Cap. CXXXII, *Jovi Dapali culignam vini quantum vis polluceto.* Idem alibi : *Culignam in fœno Græco ponito, ut bene oleat.*

Feſtus: *Clutum Græci* κλυτὸν *dicunt, unde accepta præpoſitione fit inclutus.*

A Κάπυς derivatur Capua. Virg. Æneid. X.

> *Et Capys, hinc nomen Capuanæ dicitur urbi.*

Cuprum & *æs Cuprium* Plinio, quod Græcis κύπρειον vocatur. Hinc Palladio *Cuprini clavi. Thyle, Thule* Virgilio & aliis. *Philyra, Philura* apud Plinium, & Ovid. 5. Faſtor.

Quem Dioſcorides φύκον θαλάσσιον vocat (eſt autem is frutex in Creta naſcens) hunc Plinius & alii *fucum marinum* vocant. *Fucus* hoc modo videtur accipi in l. ultima, θ. ſpecies, Digeſt, de publican. quanquam & pro fuco muliebri poſſit ſumi.

κυπάρισσος cupreſſus, παρὰ τὸ κυεῖν παρίσους τοὺς ἀκρεμόνας, hoc eſt, *ab eo quod ex æquo & ramos & fructus creet.*

Hallucinari dictum ἀπὸ τοῦ ἀλύειν, quod eſt languere vel obſtupeſcere, ut auctor eſt Cloa-

tius Verrius apud Gellium Lib. XVI. Cap. II. Ideoque multi Allucinari ſcribunt.

Æmulus αἱμύλος, mutata paullulum ſignificatione.

Et quæ ſunt ejus generis pœnè infinita à Græcis deducta, *u* habent. Sic Terentius apertiſſimè dixit, *An in aſtu venit*, pro ἄστυ, hoc eſt civitatem: Tacitus autem *Sullam* (quam alii *Syllam*, & Plutarchus Σύλλαν) *Sibullam*, omniaque quæ per υ ſcribuntur, in *u* traduxit, & hoc perpetuo in omni libro obſervat. Juriſconſulti noſtri Senatusconſultum *Tertullianum* & *Tertyllianum*. Quod inde accidiſſe veriſimile eſt, quia quum Romani deſtituerentur voce υ: nec haberent litteram quæ omni ex parte ei reſponderet, deflexerunt ad vocem proximam, pro υ ſonantes *u*. quod etiamnum hodie evenit Italis & Hiſpanis Belgicè vel Gallicè loquentibus. Nam pro *buten*, id eſt foris, dicunt *bouten*, pro *muraille*, *mouraille*: hoc eſt pro βυτ & μυρ, βȣτ μȣρ.

Contra Græci *u* breve Latinum reddentes, υ ſcribunt, qualia multa poſſent ex Plutarcho & aliis adduci.

Romulus Ρώμυλος,
Tigurini Τιγυρῖνοι,
Apulejus Απυλήϊος,
Fauſtulus Φαύστυλος,
Quæſtor κυαίστωρ, Quintus κύϊντος.

Quæ quis non videt proferri non poſſe *cieſtor* & *cyndos* ?

L.

L. Calpurnium Pisonem Frugi Dionysius Halicarnasseus vocat Λεύκιον Πίζωνα τὸν Φρυγί. Apud Dionem vocatur Λούκιος Καλπούρνιος λ. γ. Πείσων Φούγιος, sed depravatè.

Quin & animantium hoc loco voces accersimus? ὀλολύζειν ululare, ὑλακτίζειν, Belg. *ulen*, mugire μυκάζειν, grunnire γρύζειν. Cucurrire ad galli modum Aristophanes in Ranis κοκκύζειν dixit, quod etiam proprium est vocis noctuæ sive cuculi, qui Græcè κόκκυξ dicitur, & nomen suum cantu nativo prodit, Belgicè *cockuut*, & Gallicè *coucou* sive *cocou* vocatur: quæ avis in θέζει cantus non *i* sonat, seu *u* Gallicum. Huic affine est cucubare, qua voce utitur auctor Philomelæ:

Noctua lucifugis cucubat in tenebris.

Eandem Pollux ὕζειν vocat, Morelius Gallicè interpretatur *huier comme un hibou ou chahuan*, Quæ omnes voces, si non integrè, ut debent, sed corruptè, ut vulgo, pronuntientur, nihil adferunt, quare ad imitationem animantium videantur esse factæ.

Ad hæc multæ voces Gallicæ ac Belgicæ à Græcis manifesto petitæ, ubicunque υ est, *u* Gallicum retinent.

θύειν mactare bestias & immolare. Gall. *tuer*, occidere, abjecta adspiratione.

βρύειν emanare. Et quoniam aqua è fonte quum manat, impetu suo sonum quendam reddit, sonum illum ad homines aliasque res

transferunt Galli. Dicunt enim *bruire*, & *mener & faire bruit.*

βύρζα crumena, Belg. *Burze*, Gall. *bourſe*, à corio ex quo confici ſolet, appellatur.

θύρα *deure* Belg. Paulus, qui Feſto adjunctus eſt, *Obtuare*, inquit, *ex Græco trahitur*, *ab eo quod illi oſtia dicunt* θύρας.

A δύειν demergere, Belgæ fecerunt *duwen*, premere, ſupprimere.

πῦρ German. *Feur*, Batavicè *vuur*, ignis. Quid multis? hujus litteræ prolatio ſole clarius cernitur in diphtongis αυ, ευ, & præſertim ου: quæ ſonant non *ai*, *ei*, *oi*, ſed *au*, *eu*, *ou*, ut infrà ſuis locis latius.

Quod ſi adhuc ita es præfractarius, ut mordicus velis tueri eandem τοῦ υ & τοῦ η pronuntiationem eſſe, & utrumque pronuntiandum ut ι, quid quæſo ſibi vult Regius Propheta David, quum ait, ὅτι αὐτὸς ἐστιν ὁ θεὸς ἡμῶν; quid, inquam, ſignificat? an *quia ipſe eſt Deus veſter*, an verò *Deus noſter?* Nam in ἡμῶν & ὑμῶν, quanquam ſcriptura ſit diverſa, ſecundum te pronuntiatio eſt eadem. Rurſus Pſalmo 113. προσθείη κύριος ἐφ' ἡμᾶς, καὶ ἐπὶ τοὺς υἱοὺς ἡμῶν. Item illud, τί πρὸς ὑμᾶς; quis intelliget ex pronuntiatione num deſignet, *quid ad vos*, an verò *quid ad nos?* Deinde ſi de fundo inter aliquos controverſia ſit, & altera pars dicat, φημὶ τόνδε τὸν ἀγρὸν ἡμῶν εἶναι: quis ſciet an inter eos conveniat nec ne, ſignificetque *Ajo hunc agrum noſtrum*, an verò *veſtrum*, *eſſe?* Quaſi verò tam inepti veteres illi

illi Græci fuerint, ut apud eos non fuerit discrimen ἡμῶν & ὑμῶν: quum de meo & tuo, noſtro & veſtro, præcipua ſemper in judiciis quæſtio fuerit.

Sonus igitur υ ſive *y* tam Græcè quam Latinè, ut ſupra dictum eſt, perperam hodie confunditur cum Jota, ad cujus exilitatem proximè accedit: eſt enim medius inter *i* & *u*, ac idem cum *u* Gallico: qualis ab Hebræis in puncto kibbuts efferri ſolet, ut inquit Johannes Checus. Quocirca diligenter obſervandum, ut υ exilius proferatur quam *u* vocalis Latina, quæ eadem plane eſt cum ȣ, teſte Terentiano, qua de re in ȣ etiam, qua licebit perſpicuitate, quædam tractabimus.

Caput XXXIII.

Φ, φ, *f*, *v consonans*, *digamma Æolicum.*

Φι, Phi, nomen habet ex Hebræo Phe, quod & Pe dicitur, reſpondet *f* Latino, id eſt τῷ δίγαμμα Æolico, ut nunc quidem effertur. Nam olim (ut rectè ſcribit Priſcianus) *f* verò ϝ δίγαμμα ſono enuntiabatur, ita ſcilicet ut nunc *v* conſonans: eratque is ſonus ſolis inter Græcos Æolibus peculiaris. Sed poſtea in ejus locum ſucceſſit *v* conſonans, ipſum vero digamma *f* in locum *p* adſpirati: quod tamen in vocabulis Græcis ſer-

vatum eſt, ut in Philoſophia, Philomela, Sophiſta, & multis ejuſmodi. Pauca tamen excipiuntur, ut

fama		Φήμη,
fuga	à Græcis	φυγὴ,
fagus		φηγὸς,
fur		φὼρ,

& alia præterea nonnulla quæ uſus obtinuit ut per *f* ſcriberentur, quamvis Græca ſint. Hæc igitur cauſſa eſt cur Cicero pro Fundanio (ſicut annotat Fabius) teſtem irriſerit qui primam ejus litteram dicere non poſſet. Quum enim eſſet digamma, Græcus ille teſtis vel ejus litteræ ſonum ignorabat, à ſolis ſcilicet Æolibus inter Græcos uſurpatum, vel certè pronuntiabat ut etiamnum hodie Germani ſolent: ita ſcilicet ut is ſonus audiretur quem nunc tribuimus *v* conſonanti, quum ex Latinorum conſuetudine, quam ipſe ignorabat, non ut digamma, ſed ut π adſpiratum eſſet enuntiandum, id eſt ut φ Græcorum. Nam idcirco etiam ipſi pro

Fabius		Φάβιος,
Fabricius		Φαβρίκιος,
Figulus	ſcribunt	Φίγουλος,
Signifer		Σίγνιφερ,
Francus		Φράγκος.

Illa verò quæ à Latinis per *v* conſonantem pro-

proferuntur, per ϰ diphthongum exprimuntur: ficut ex Dionyfio apparet lib. ἀρχαιολογίας α, ut pro Velia & Valerius, ϰέλια & Οὐαλέριος, aucto fyllabarum numero, quod eam litteram eumque fonum foli ex Græcis Æoles ufurparent. Apud Latinos igitur quum *f* in *p* afpirati fonum fucceffiffet, una *v* littera propter characterum inopiam, & pro vocali & pro confonante cœpit ufurpari. Idcirco Claudius Cæfar τοῦ δίγαμμα ufum voluit revocare in *v* confonantis locum, fed inverfa ejus figura ut Ⅎ, idque neceffario, ne cum *f* confunderetur, quod pro *ph* longa jam confuetudine ufurpabatur. Confirmant hæc igitur noftram de *f* littera opinionem, & fatis, ni fallor, oftendunt eos non rectè fentire qui inter *f* & φ difcrimen aliquod conantur conftituere, inter quos eft Prifcianus, qui *f* non tam fixis labris vult pronuntiari quam φ.

Belgæ nullum difcrimen conftituunt, dum Φέρετρον vocant *fiertre*,
Φίλον *lief* inverfo ordine, id eft amicum, & *lyf* corpus, quo ferè nihil carius habemus.

Cicero ad Atticum Lib. IX. fundum fuum Formianum vocat digamma, quod nomen ejus ab F littera initium fumeret, cujus figuram & fonum repræfentat: eoque Græci utebantur initio dictionum à vocali adfpirata incipientium, Ἑνετοὶ Fενετοὶ, Heneti Veneti. Itemque in medio, fi vocalium concurfus erat, ΩΟΝ ΩFΟΝ dicentes, unde noftrum

Ovum: & ΟΙΣ ΟϜΙΣ, unde Ovis: ΒΟΟΣ ΒΟϜΟΣ Bovis. Sed præſtat Terentiani Mauri Grammatici antiquiſſimi & graviſſimi verſus huc adferre.

Nominum multa inchoata litteris vocalibus
Æolicus uſus vertit, & digammon præficit:
Æolica dialectos autem miſta ferme eſt Italæ:
Heſperum quum dico Græcè, Veſperum cognominat,
Ἑϛία *ſic Veſta facta, Veſtis* ἐσθὴς *dicitur,*
ἶνα *quem Græci vocamus, Vim jubet me dicere.*
ἔαρ *eſt multis in uſu, & magis Poëticum eſt,*
ἦρ *enim nativa vox eſt: ille Ver hoc dictitat.*
Quos Homerus dixit Ἐνέτȣς, *ille Venetos autumat.*
Et Viola flos nuncupatur, quem Graji vocant ἰόν,
Et Jolaus ille Violens, crede Marco Tullio.
Quamque ἴτυν *dicunt Achæi, hanc Vitym gens Æoli.*
Plura Sappho comprobavit, Æoles, & ceteri.

CAPUT XXXIV.

Χ, χ, *ch*.

Χι, Chi, apud Hebræos nihil habet cui reſpondeat. Nomen formatum eſt ad modum

modum πῖ, φῖ, &c. valet *ch*, ſeu *c* aſpiratum : profertur enim aëre è gutture erumpente.
χάλυβες Chalybes,
χάος chaos,
Χιονὴ Chione, ſcortum nobile apud Juvenalem, de qua ita Martialis,

Digna tuo cur ſis, indignaque nomine, dicam:
Candida es & nigra es: non es & es Chione.

χλαμὺς chlamys.

Latini eadem figura ſuum *x* notant: undè error ſcribendi x̃ps natus eſt, quod Græci per abbreviationem ſcribunt ΧΡΣ. *X* enim Latinum ſimile eſt χῖ Græco, & *P* Latinum ΡΩ Græco. Inde paſſim inveniuntur numiſmata Imperatoris Conſtantini magni cum hoc ſigno, quod ipſi etiamnum ethnico in ſomnis aparuiſſe tradunt, quo etiam ſequentes aliquot Imperatores fidem Chriſtianam amplexi tam in nummis quam in labaris ſuis uſi comperiuntur. Erat autem λαβαρὸν inſigne ſeu vexillum militare in expeditionibus ante Imperatorem geſtari ſolitum, auro intertextum, gemmiſque intermicantibus ſplendidiſſimum, tantæ olim exiſtimationis, ut à militari turba adoraretur: quemadmodum teſtantur Tertullianus, Ambroſius, Sozomenus, Caſſiodorus, Rufinus, Prudentius, & alii.

CAPUT XXXV.

Ψ, ψ, *ps. bs.*

Ψι, Psi, ab Hebræo etiam nomen non habet, sed ad formam ξῖ, πῖ, χῖ, nominatum est. Sonat ut *ps*, & aliquando ut *bs*.
Αἰθιόψ αἰθίοπος, Æthiops,
ψαλμὸς psalmus,
Ἄραψ Ἄραβος Arabs.

CAPUT XXXVI.

Ω, ω, *oo, sive o longum.*

ΩΜέγα, id est *o* magnum, ita vocatum est ex collatione cum altero quod μικρὸν dicitur. Est enim re vera magnum, sive quantitatem spectes, quum sit natura longum, sive figuram, quum sit veluti ex duobus *oo* conflatum ex veterum consuetudine, qui (ut inquit Fabius) ante repertam temporis longi notam vocales productas in scribendo geminabant. Valet autem *o* longum, proferendumque ut *oo* duplicatum, non ictu vocis, sed productione, eodemque planè modò pronuntiandum βρῶτος, id est, cibus, ut Belgis *broot*, hoc est panis, à Græco deductum. Item ῥώμην, id est Romam, Belgæ eodem sono

no dicunt *Roome*, ſerum lactis *room*, ἀπὸ τῆς ῥώμης, id eſt à fortitudine, utpote optimum & præſtantiſſimum.

Ab ω incipit dictio Belgica *ooghe*, id eſt oculus, ὤρη ſonat, ut *hooren* audire,

μωρὸς ſtultus, ut Belgis *moor*, id eſt Æthiops vel Maurus. Suetonius indicat Neronem Cæſarem mortuo Claudio ſtultitiam exprobrare ſolitum unius vocalis productione. Quoties enim incideret ut diceret illum eſſe mortuum, ita loquebatur, *Deſiit inter vivos mωrari*, porrecta prima ſyllaba. Quis autem erat hic joco locus, ſi, quemadmodum nunc loquimur, ita tunc quoque nullum longæ breviſque diſcrimen percipiebant auditorum aures?

Prior ſyllaba in βωμὸς ſonat ut Belgicè *boom*, id eſt, arbor,

Poſterior in πάσχων, ut *ſchoon*, pulcher,

μουσῶν, ut *ſoon*, id eſt, ſonus,

καλῶν, ut *loon*, merces.

Vis verum diſcrimen τοῦ ο μικροῦ & ω μεγάλου; accipe. Hæ dictiones Belgicæ ſonant ο: Oppoſitæ ω.

hopen ſperare,	*hoopen* cumulare,
cop caput, apex, vel vertex,	*coop* emptio,
los pro *loſch* ſtrabo,	*loos* callidus,
rot putridus,	*root* ruber,
bot ſtupidus,	*boot* ſcapha,
lot ſors.	*loot* plumbum.

In vocibus Gallicis ſonum τοῦ ω μεγάλου ægrè reperias: non admodum tamen abſimilis eſt ſonus

ſonus in dictionibus *bois*, hoc eſt, ſylva vel lignum, *vois* vox, *noiſe* controverſia ſive contentio, & ſimilibus. Præſertim ſi à Belgis, qui Gallicè primum diſcere incipiunt, eæ proferantur. Illi enim propemodum nihil aliud ſonant quàm *boos*, *voos*, *nooſe*.

Teſtatur ipſe Ovidius I. Faſtorum ſuo tempore ω fuiſſe duplex ο, quum eruit etymologiam Agonalium, his verſibus:

Pars quia non veniant pecudes, ſed agantur, ab actu
Nomen Agonalem credit habere diem.
Pars putat hoc feſtum priſcis Agonalia dictum.
Una ſit ut proprio littera demta loco.

De ο & ω Plato in Cratylo, & in Phædro aït, quod ſola quantitate differant: ſimiliter & Ariſtoteles in Poëtica, & Dionyſius Halicarnaſſeus in Rhetorica. In ſumma in hoc conveniunt antiqui omnes.

Caput XXXVII.

Litterarum diviſio.

EX HIS XXXIV. litteris, Vocales ſunt ſeptem, id eſt quæ per ſe poſſunt plenam vocem edere, α ε η ι ο υ ω. Breves duæ,

duæ, ε ο: quibus reſpondent totidem longæ η ω contractæ ex duabus brevibus, ſolaque quantitate ab iis differentes: & tres ancipites ſive communes, id eſt in quibuſdam vocabulis longæ, in quibuſdam breves, in paucis indifferentes. Priſcianus: *Vocales autem apud Latinos omnes ſunt ancipites vel liquidæ, hoc eſt, quæ facilè modò produci, modò corripi poſſunt. Sicut etiam apud antiquiſſimos erant Græcorum ante inventionem η & ω: quibus inventis quæ ancipites erant, remanſerunt perpetuo breves, quum earum productarum loca poſſeſſa ſint à prædictis vocalibus ſemper longis.* Hæc Priſcianus. Quod hac ratione factum eſſe ajunt, quia vetuſtiſſimi illi, ſi quando ſyllabam vellent producere, debebant eandem vocalem bis pingere, ΔΕΕΜΟΣ pro ΔΗΜΟΣ, ΑΝΘΡΟΟΠΟΣ pro ΑΝΘΩΠΟΣ. Poſtea Simonides Melicus ex duobus ΕΕ invertit alterum, hoc modo Ε Ǝ, deinde ea conjunxit ac effecit unum Η, quam etiam notam adſpirationis fuiſſe oſtendimus. Hinc à Βεὲλ, (unde in Evangelio Βεελζεβὲλ ὁ ἄρχων δαιμονίων,) Belus Græcis Βῆλος, primus Aſſyriorum Rex, Nini pater: cui vita functo templum erexerunt Babylonii, diviniſque eum honoribus ſunt proſequuti. Sic etiam duplex οο univit Simonides, hoc modo ω.

Ancipites autem ferè certam habent quantitatem, quamquam apud Græcos in iiſdem dictionibus interdum varient: juxta illud Martialis,

Et

Et quos ἄρες ἄρες decet ſonare.

Et illud Theocriti,

—— ἦ γὰρ ἔρωτι
πολλάκις ω Πολύφαμε, τὰ μὴ καλὰ, καλὰ πέφανται.

Id eſt,

—— *O Polypheme*
Quæ minimè ſunt pulchra, ea pulchra videntur amanti.

Sed præſtat hanc rem Terentiani Mauri trochaïcis verſibus illuſtriorem reddere.

Ergo Græcis eſſe ſeptem ſcimus è vocalibus
Η *&* Ω, *quæ bina pedibus ſubminiſtrant tempora.*
E & O breves vocari ſingularis temporis.
Ceteras tres quæ ſuperſunt διχρόνες *cognominant:*
Corripi quod ſæpe eædem, ſæpe produci valent.
Αλφα *primum eſt, inde* ἰῶτα, *tertium quod* υ *vocant.*

Et paullò poſt:

Litteram namque E videmus eſſe ad HTA proximam,
Sicut O *&* Ω *videntur eſſe vicinæ ſibi.*

Tem-

Temporum momenta distant, non soni nativitas.
Inde vertunt hanc in HTA sæpe diphthongum Graji,
Quando quos ἱππεῖς solebant aut ἀχαρνεῖς dicere,
Levigant, ἱππῆς que potius aut ἀχαρνῆς nominant.
Nosque Medeam Latinè sic in usum vertimus,
Nomen & Regina gessit quod furens Amazonum:
Sic & Αἰνείαν Achæus, noster Æneam vocat.

Sed & Martianus Capella dicit *e* Latinum duarum litterarum Græcarum vim possidere: quum brevis est, ȣ ε, ut *hoste:* quum longa est, ȣ η, ut *die:* eodemque modo de ω statuendum esse. Et in hoc Virgilii, *Conticuêre* κοντικȣῆρε, dicunt esse tum η tum ε: primum namque *e*, η est, alterum verò, ε est. In illo autem

—— *rapti Ganymedis honores,*

ὀνώρης dicunt prius esse ο, posterius vero ω esse.

Reliquæ litteræ vocem non edunt, ideoque à Platone in Cratylo & Theæteto generali vocabulo ἄφωνα vocantur, id est *vocis expertes:* à Grammaticis verò σύμφωνα, id est *Consonantes*, quod cum vocalibus adjunctis sonos suos communicent. Sunt autem numero XVII,

β γ δ ζ ϑ κ λ μ ν ξ π ρ σ τ φ χ ψ.

Ex quibus ſunt ἡμίφωνα, id eſt *Semivocales* octo: ſic dictæ, quod, ut nullas habeant vocales adjunctas, quandam tamen ſtrepitus & ſoni ſpeciem edant, ζ ξ ψ λ μ ν ρ σ.

Ex his ſunt διπλᾶ, id eſt *duplices* tres, quod duarum litterarum ſint compendia ζ ξ ψ.

Ὑγρὰ, id eſt, *liquidæ* quatuor, quod ita ſint lubricæ, ut quaſi liqueſcant in pronuntiando, λ μ ν ρ. Eædem etiam ἀμετάβολα dicuntur, id eſt *Immutabiles*, quod in formationibus caſuum vel temporum non mutentur.

Μοναδικὸν, id eſt *ſolitarium*, unum σ, quod ab aliis ἄσημον, hoc eſt ſine ſigno, vel ignobile vocatur.

Cæteræ novem appellantur ἄφωνα, id eſt *Mutæ*, quod per ſe neque vocem ut vocales; neque ſtrepitum edant ut Semivocales, β γ δ κ π τ θ φ χ.

Ex his autem ψιλὰ, id eſt *Tenues* tres ſunt, exili ſcilicet & tenui ſono contentæ, π κ τ.

Δασέα, id eſt *Denſæ* totidem à ſuperioribus procreatæ adjuncta adſpiratione: quo fit ut tenuibus non aſperiores quidem, ut vulgo putant, ſed denſiores ſint, & quaſi pinguiores, φ χ ϑ.

Μέσα, id eſt *Mediæ* cujuſdam inter tenues & adſpiratas naturæ, β γ δ.

Opponuntur autem inter ſe, & aliæ in alias ſæpe tranſeunt, ideoque ἀντίστοιχα, id eſt *lit-*

litteræ inter se oppositæ vocantur: cujus oppositionis hæc est descriptio:

Tenues	Mediæ	Adſpiratæ
ϖ	β	φ
κ	γ	χ
τ	δ	ϑ.

In triplici hoc ordine mutarum, id perquam pulchrum & commodum eſt, quod natura unius litteræ, puta intermediæ cognita, noris item reliquarum duarum, tenuis & adſpiratæ. Obſervabis igitur earum mutuam inter ſe συζυγίαν, cognationem & affinitatem in qualibet ſerie: atque ita β medium ſonum obtinere inter ϖ & φ, quemadmodum γ inter κ & χ, & δ inter τ & ϑ: ac tantum acre inter ſe differre. Repetendum hic etiam κ & γ ante & poſt omnes litteras uno eodemque modo ſemper ſonari: κ ſcilicet ut *k* vel *q* Latinum, γ verò paullo denſius.

In adſpiratis autem primum omnium vetus error ille corrigendus videtur, quo nonnulli jampridem has litteras pro adſpiratis aſperas nominant, quum potius denſas & craſſas vocare oporteat. Neque enim à Græcis τραχέα γράμματα, ſed δασέα dicuntur: quod copioſiorem ſpiritum requirant, ut ſit earum opima & quaſi adipalis pronuntiatio. Quamobrem etiam litteras illas oppoſitas non lenes, ſed ψιλὰ, id eſt tenues & exiles appellant. R potius littera eſt aſpera, & l contra ad-

modum lenis, ſicut Ovidius his verſiculis optimè declarat de Remuriis loquens, quæ poſtea Lemuria dicta ſunt:

Aſpera mutata eſt in lenem tempore longò
Littera, quæ toto nomine prima fuit.

Itaque à Græcis initio dictionum, & ſi quando geminata occurrerit, addito ſpiritu denſo lenitur: tantum abeſt ut rectè faciant qui denſum cum aſpero confundunt.

Hoc loco obiter adnotandum, omnia ferè vocabula in quibus apud Latinos inveniuntur ζ θ υ φ χ, Græca eſſe, aut à Græcis derivata, ſaltem non Latina, ut *gaza*, *baptizo*, *thalamus*, *ocyus* ab ὠκὺς, *lacrymæ*, *philtrum*, *Chriſtus*. Quocirca vulgo peccatur in orthographia dictionum *charus*, *ſepulchrum*, *ſimulachrum*, & ſimilium: quum ſcribenda ſint ſine adſpiratione, *carus*, *ſepulcrum*, & *ſimulacrum*. fiunt enim duo ſuperiora à ſupinis *ſepultum* & *ſimulatum*, ut ab *involutum involucrum*, à *fultum fulcrum*, à *lavatum lavacrum*, ab *ambulatum ambulacrum*, mutata *t* in *c*, & addita *r*. Teſtatur Servius in III. Georg. veteres ſcripſiſſe *ſepulchrum*: poſt abjectam eſſe adſpirationem: ejus verba ſunt hæc. *Tria veteres habebant nomina in quibus c litteram ſequeretur adſpiratio, ſepulchrum, orchus, pulcher: è quibus pulcher tantum hodie recipit adſpirationem.* Quid apertius? Pulcher certè in veteribus inſcriptionibus, & numiſmatis ſæpius invenitur,

tur, quàm pulcer. Et hæc quidem habuimus hoc tempore quæ de litteris & germana earum pronuntiatione diceremus. Libuit autem quosdam Euripidis valde artificiosos & festivos versus ex Athenæo subjicere, ex quibus cognoscere liceat antiquas quarundam litterarum formas. Apud Euripidem igitur in Theseo pastor quidam litterarum imperitus, litteras tamen quibus Thesei nomen scribitur, sicd epingit:

Εγὼ πέφυκα γραμμάτων μὲν οὐκ ἴδρις,
Μορφὰς δὲ λέξω, καὶ σαφῆ τεκμήρια.
Κύκλος τις ὡς τόνοισιν ἐκμετρούμενος, Θ
Οὗτος δ' ἔχει σημεῖον ἐν μέσῳ σαφές.
Τὸ δεύτερον δὲ πρῶτα μὲν γραμμαὶ δύο, Η
Ταύτας διείργει δ' ἐν μέσαις ἄλλη μία.
Τρίτον δὲ βόστρυχός τις ὡς εἱλισμένος. C
Τὸ δ' αὖ τέταρτον ἦν μὲν εἰς ὀρθὸν μία, Ε
Λοξαὶ δ' ἐπ' αὐτῆς τρεῖς κατεστηριγμέναι
Εἰσίν. τὸ πέμπτον οὐκ ἐν εὐμαρεῖ φράσαι, Υ
Γραμμαὶ γὰρ εἰσὶν ἐκ διεστώτων δύο,
Αὗται δὲ συντρέχουσιν εἰς μίαν βάσιν.
Τὸ λοίσθιον δὲ τῷ τρίτῳ προσεμφερές. C

Quos versus ita reddidit Natalis Venetus:

Quum litterarum non peritus ipse sim,
Dicam figuras, signaque evidentia.
Est circulus torno velut factus bene,
Signumque habens in ventre quod clarè patet.
Binas secunda forma lineas tenet:
Dispescit has medio incidens mox altera

 Cin-

Cincinnus inde tortus ipſa tertia.
Subit figura quarta, recta linea,
Tres incidentes dividunt hanc lineæ.
Quinctam minùs promtum ſit ipſam dicere,
Sunt differentes lineæ inter ſe duæ,
Quæ conveniunt ambæ ſimul in unam baſim.
Extrema differt nil figura tertia.

Subjicit autem idem Athenæus Agathonis Tragici in Telepho, & Theodectæ Phaſelitæ ejusdem argumenti verſiculos, ab iſtis non multum diverſos, niſi quod Sigma comparant arcui Scythico, E pſilon vero tridenti in latus verſo. Quos, ob elegantiam & ſimilitudinem, unà cum Natalis verſione libuit adſcribere :

Αγαθῶνος,

Γραφῆς ὁ πρῶτος ἦν μεσόμφαλος κύκλος,
Ορθοίτε κανόνες ἐζυγωμένοι δύο,
Σκυθικῶτε τόξῳ τρίτον ἦν προσημφερές.
Επειτα τριόδȣς πλάγιος ἦν προκείμενος.
Εφ᾽ ἑνός τε κανόνος ἦσαν ἐζυγωμένοι δύο.
Οπερ δὲ τρίτον ἦν καὶ τηλευταῖον πάλιν.

Hoc eſt,

Eſt circulus pictus prior meſomphalus,
Duæ jugatæ quem ſequuntur lineæ.
Arcus Scytharum uti figura tertia eſt.
Obliquus adjacet tridens quarto loco.

Jun-

Junguntur inde binæ in una linea.
Extrema forma est huic, fuit quæ tertia.

Θεοδέκτου,

Γραφῆς ὁ πρῶτος ἦν μαλακόφθαλμος κύκλῳ.
Επειτα δύο οἱ κανόνες ἰσόμετροι πάνυ
Τούτους δὲ πλάγιος διὰ μέσου συνδεῖ κανών.
Τρίτον δ' ἑλικτῷ βοστρύχῳ προσεμφερές.
Επειτα τριόδους πλάγιος, ὡς ἐφαίνητο.
Πέμπτον δ' ἄνωθεν ἰσόμετροι ῥάβδοι δύο,
Αὗται δὲ συντείνουσιν εἰς βάσιν μίαν.
Εκτον δὲ ὅπερ καὶ πρόσθεν εἶ βόστρυχος

Id est,

Ocellus est figura primo in circulo.
Binæque sunt hinc lineæ pares simul,
Transversa quam mox incidens ligat altera.
Cincinnus ut contortus est hinc tertia.
Obliquus apparebat hinc velut tridens.
Tum virgulæ nascuntur ex quincta duæ,
Currunt in unam quæ basin ambæ simul
At sexta sicuti prius cincinnus est.

De litteris autem Latinis acutè admodum & breviter his versibus lusit Quinctianus Stao, Martianum Capellam imitatus:

A sub directo memorabilis oris hiatu est.
B simul inclusis profertur utrimque labellis.
C linguam adpulsos compellit ad usque molares.

D cogit ſuperos linguam contingere dentes.
E paullùm preſſa profertur gutture lingua.
F labrum inferius ſuperis cum dentibus urget.
G damus, extremum quum tangit lingua palatum.
H oritur tractis quum ventus faucibus halat.
I linguam impellit collidi dentibus imis.
K fauces formant media cum parte palati.
L facit extremum contingens lingua palatum.
M quum fit, preſſum premitur per utrumque labellum.
N lingua adpulſa collidit littera dentes.
O venit, exoritur quum ſpiritus ore rotundo.
P datur eruptis ter littera quincta labellis.
Q fit, in adpulſu quum ſtringimus ora palati.
R facit ut ſupero criſpetur lingua repulſu.
S quum fit, peragit colliſo ſibila dente.
T linguam impulſu contractis dentibus exit.
V facit os ſtrictum, ſic promula labra fatigat.
X reddit quidquid c atque s formare videmus.
Y pſilon apprenſis labris procedere juſtum eſt.
Z eta ſepulcrales imitatur concita dentes.
Hactenus de litteris.

CAPUT XXXVIII.

De ſyllabis: deinde de diphthongis.

EX litteris conſtituuntur ſyllabæ. Syllabam autem vocamus, docendi cauſſa, ſpiritus comprehenſionem ad unam vocem exprimendam, Eſt autem in triplici differentia. Conſtat enim vel ex una vocali: vel ex duabus

bus vocalibus in mixtam unam vocem coëuntibus: vel ex consonante una, vel pluribus cum una vocali, aut duabus ad summum.

Primi generis syllabæ quinque sunt, quot scilicet vocalium soni: nam η & ω non voce, sed vocis quantitate differunt ab ε & ο.

Secundi generis Diphthongi, id est geminisonæ appellantur, quòd ex duabus vocibus tertiam unam efficientibus componantur.

Tertii generis syllabæ ex consonantium & vocalium multiplici connexione pœnè sunt infinitæ, quas enumerare minimè necesse est.

Diphthongus autem ita solet definiri à Grammaticis, ut sit syllaba ex duabus vocalibus sonum suum retinentibus conflata, ita dicta quod duos φθόγγους, id est sonos efficiat. Sic Terentianus Maurus,

——Unde Diphthongos eas
Græciæ dicunt magistri: quòd duæ junctæ simul
Syllabam sonant in unam, viquegemina præditæ.

Ego verò malim dicere, In unam mixtam vocem coëuntibus (nam alioqui quando distinctæ sunt vocalium voces, duæ syllabæ nascantur necesse est) aut hoc certè addiderim definitioni, Quæ raptim & uno spiritu proferri possunt.

Diphthongi sunt duodecim: novem propriæ, tres inpropriæ: quod pace Grammaticorum dictum velim, qui totidem proprias quot inproprias numerant.

Propriæ dicuntur, quòd postulet eas natu-

ralis prolatio, hoc eſt, quod duæ vocales, ut integrè ſcribuntur, ita integrè pronuntiantur: vel quòd una eademque ſyllaba geminæ vocalis ſonum edat.

αι	ai		e
αυ	au		af
ει	ei		i
ευ	eu		ef
οι	oi	non	i
ου	ou		
υι	vel ყ ui		i
ηυ	eeu		if
ωυ	oou		of.

Ex quibus hodie vulgo ſola ου rectè pronuntiatur, ceteræ omnes depravaté. Tres verò poſteriores hactenus inter inproprias numerantur.

Inpropriæ ſive abuſive diphthongi ſunt, quæ contra veram rationem & definitionem diphthongi & ſcribuntur & proferuntur. hoc eſt, quando prior ſolùm vocalis integrè pingitur & enuntiatur, & ι ſubſcriptum non exauditur: ſic vocatæ, quòd naturalis pronuntiatio ipſas non requirat. Nam ut ſimplices vocales efferuntur, nec compoſitam vocem edunt.

ᾳ	a	non	i.
ῃ	ee		
ῳ	oo		o.

Caput. XXXIX.

De diphthongorum propriarum sono in genere.

QUi duos ſonos in diphthongis non agnoſcunt, quomodo illas diphthongos exiſtiſtimare poſſunt? quomodo enim à vocalibus ſono diſtant, ſi ſimplicem aliquum ſonum adferunt? Diphthongus enim non ſcriptura, ſed voce cernitur: aliàs non diphthongus ſed digraphus eſt. Cur autem quum diphthongi omnes propriæ definitione diphtongorum continentur, quædam duos ſonos, ut αυ ει ου ηυ ωυ, quædam ſimplicem habent, ut αυ ει οι υι? At id ſanè, ſi diphthongus aliquid ſit, & ſi quid diphthongus à vocali diſtet, verum eſſe non poteſt. Et quum uſus in diphthongorum numerum iſtas retulerit, cur abuſus dimidiam & meliorem ſoni partem ab illis auferet? Detur hoc uſui ut diphthongos faciat, vocales faciat, ſyllabas faciat: ſed hoc dare uſui nemo poteſt, ut quamdiu diphthongum eam faciat, illud ab ea auferat quo diphthongus ſit. Eximantur igitur è numero diphthongorum, ſi nihil in ſono cum diphthongis habent commune. At Quinctilianus quærendum putavit, quomodo

duabus

duabus demum vocalibus in ſeipſas coëundi natura ſit, quum conſonantium nulla niſi alteram frangat. Sed hoc eſt pati illas minimè in ſeipſas coïre, ſi alteram extrahas, & obtorto collo illam à ſonando rapias, ne ſonus è duabus vocalibus in ſeipſas coëuntibus collectus efferatur. Sin in ſonando nihil altera vocalis adjuvet, tum non modò tota frangitur, ſed etiam conſumitur. Igitur ut diphthongus fiat, copulatio non modò litterarum, ſed ſonorum fieri debet, ne videlicet quo ceteræ linguæ omnes abundant, eo Græca & Latina lingua deſtituatur. Diphthongi autem quum minimè ſimplices voces, ſed compoſitæ & diviſibiles ſint, in varios ſonos tribui poſſunt. Quomodo enim διαίρεσις talis diphthongorum eſſet, niſi diphthongus coïtionem illorum ſonorum antea habuiſſet: ut παῖς, πάϊς. Aut quomodo συναίρεσις fieri aliquorum poteſt quæ non antea ſejuncta ſeparataque voce erant? ut βασιλέϊ βασιλεῖ, ὄϊς οἶς. Videmus autem ut Iones ſæpe ex αι reijciant ι, α relinquant: ſæpe ει & οι in έϊ & όϊ dividant, Sequitur ergo vocalem præpoſitivam æquè proferendam ut ſubjunctivam. Nam ſi res diviſas voceſque, diphthongorum ſeparatas pronuntiamus, quid ni eaſdem conjunctas? Quid? Itáne illorum natura diſſentiens eſt, ut ad ſocietatem ſoni adduci non poſſint? At quare tantopere in Græca lingua diſſentirent, quum in omnibus jam aliis linguis cum ſuavitate uſurpentur? Non igitur rei natura hoc fit, neque aurium cauſſa: quia ſi in

re

re conſiſteret, in nulla lingua hoc fieri poſſet. Sin aures ab eo abhorrent, cur in patriis linguis cum voluptate audiuntur, ubi aures omnium & peritiſſimæ & delicatiſſimæ ſunt? Et quoniam in Græcis diphthongorum ſonis vel ι ſubjungi neceſſe eſt vel υ, ut verè Terentianus dixit, nos quoque elaborabimus ut iſtarum litterarum ſonus ſubjungatur, non dominetur. Non enim ibi quidquam ſubjungimus ubi nihil antecedit: ſed ut ſubjungatur quod ſequitur, neceſſe eſt aliquid conſtituatur quod præponitur, At ι litteræ quatuor vocales præponuntur in propriis diphthongis, & υ quoque quinque vocales quaſi duces ſoni antecunt, quibus illæ ut ſcriptura ſic ſono ſubjunguntur: quod quemadmodum in diphthongis quibus υ ſubjicitur eſt perſpicuum, ſic in diphthongis quibus poſtponitur eſſe quoque debet manifeſtum. Nam in iis quæ ι ſubjectum habent, vitium in prioribus litteris eſt: in iis quibus υ ſubditur, vitium in ipſo υ eſt. Nam una tantum diphthongus ȣ nobis pura puta in ſono hactenus relicta eſt.

CAPUT XL.

A I.

AI igitur diphthongus nullo modo ſonat ut *e*, ſed planè Latinorum *ai* reſpondet, raptim ſcilicet & uno ſpiritu pronuntiato, ut poſt *a* non reſpires, ne duæ ſyllabæ pro una

una audiantur. Hinc Plutarchus in Symposiacis α *litteram ſemper præeſſe ceteris vocalibus, nunquam ſubjici*, & eam *in dicendo, quidquid conſequatur, ſonum ſuum retinere* dicit, *ac ceteris ſimul cum eo ſonantibus uti. Neque enim vel poſt* ι *vel* υ *ſi ponatur* α *cum illis conveniet, aut illorum ſic ductum ſequetur ut ex iis una fiat ſyllaba, ſed quaſi indignabunda littera & ſeſe admodum efferens dominatum quæret ſemper. Et ſi alteri illarum præponatur, tum ſubſequente illa & ſimul ſonante utitur, & ſyllabas etiam verborum facit, ut in* αὔγελον, αὐλεῖν, αἶας, αἰδεῖσθαι, *& ſexcentis aliis.* Hæc ille. Quod ſi α συμφωνοῦντι καὶ ἀκολουθοῦντι χρῆται, ut Plutarchus dicit, quis negabit α in eo & ι ſimul ſonare? An eæ litteræ dominatum non amittunt, quæ in ſono non minuuntur modò, & quaſi de gradu dejiciuntur, ſed prorſus extinguuntur, ut ne minimus quidem ejus ſenſus in auribus remaneat? An non idem accidit quum α littera τῷ ι nullo modo conſonat, ſi neutra harum ſonum habeat, ſed quoddam peregrinum pro utroque reponatur? Itaque ſimul iſtæ ſic ſonent, ut conſonare & conſentire poſſint. Nunc autem quaſi neutra digna ſono ſit, tertium aliquid, nempe ε pro utroque adhibetur. Perdet igitur α dominatum ſuum, & magiſtratu ſuo abibit, ſi in αἴας, in αἰδεῖσθαι, & ſexcentis aliis, nihil ſonet: ſed hoc eſt impetum facere in magiſtratum, non pati ut munus ſuum ubi debet opportunè adminiſtret. Ex hoc igitur ſatis

ſatis probetur α in αι reliquiſque locis ubi ponitur, ſonum ſuum retinere, & ι cum illo conſonare.

Quinctilianus etiam αι diphthongum Græcos ſemper per *ai* extuliſſe memorat: Nos ergo nequaquam Græci ſumus, qui diphthongum non efferimus.

Et Terentius Scaurus de Orthographia teſtatur priſcos Latinos diphthongum *æ* Græcis litteris αι ſcribere ſolitos, quam poſtea mutarint in *æ*, ſed ita pronuntiarint ut utraque vocalis exaudiretur: quemadmodum etiam hoc tempore pronuntiari deberet. Hinc in duobus numiſmatis antiquis in auro & argento ſculptis, quæ mihi communicavit Hubertus Goltzius, videre eſt ab altera parte caput Veſtæ, & ab altera baſilicam Æmiliam cum hac inſcriptione AIMILIA REF. S. C. M. LEPIDUS. Unde multa diviſis ſyllabis remanſerunt. Perſius Satyra VI. citat hoc carmen Ennii,

Lunaï portum (eſt operæ) cognoſcite cives.

Idem Ennius,

—— *Albaï rex longaï.*

Lucretius,

Ignoratur enim quæ ſit natura animaï.

Idem,

Idem,

—— Gelidaï ſtridor aquaï

Martialis,

Attonituſque legis terraï frugiferaï.

Virgilius etiam vetuſtatis amantiſſimus,

Aulaï in medio libabant pocula Bacchi.

Et,

Dives equûm, dives pictaï veſtis & auri.

In hoc nempe imitati ſunt Græcos, qui ex παῖς, hoc eſt *pais*, faciunt πάϊς.

Gellius probat hoc verbum *fenus* non à φαίνεσθαι Græco, ut quidam arbitrantur, ſed a *fetu* ideo venire, quia M. Cato & ceteri ejus ætatis *fenus* & *feneratorem* ſine *a* ſonabant, unde exiſtimat à φαίνεσθαι illud deduci non poſſe. At quis non ex hoc videt, in φαίνεσθαι illos α litteræ ſono uſos eſſe? nunc per nos æquè à φαίνεσθαι ac à *fetu* venire poteſt, qui nullam in iſtis verbis differentiam ponimus, & propter ſoni confuſionem verborum Etymologiam agnoſcere non poſſumus. Sæpe enim Grammatici ineptas Etymologias adferre nobis videntur, qui diſtinctionem ſonorum non advertimus. Quòd ſi in veris ſonis conquirendis laboremus, in veris Etymologiis conſtituendis minus hæreremus. Exiſtimemus igitur, ſi α ſemper ſonum retineat ubicunque inciderit: ſi ſemper à Græcis αι eſſe-

efferatur, si in φαίνεσθαι ceterisque pronuntietur α, debere α in αι diphthongo semper sonari. Cur enim non æque in Græcis hoc fieret, ac in Latinis, ubi Aiax & Achaia dicimus? cur non eodem modo αἴαντα & ἀχαίαν Græcè sonamus. Si Germanis καῖσαρ rectè *kaiser* vocatur, quid vetat eodem sono à Græcis hoc fieri? aut quare apud Græcos vastus, apud Latinos & alios sublimis sonus est? cur in eisdem verbis tanta sonorum dissensio existit, ut vix cognoscamus eadem esse? Nunc verò quomodo illos versus apud Sophoclem legemus?

αἰ αἶ, τίς ἄν ποτ᾽ ᾤεθ᾽ ὧδ᾽ ἐπώνυμον
τοὐμὸν ξυνοίσειν ὄνομα τοῖς ἐμοῖς κακοῖς;
νῦν γὰρ πάρεστι καὶ δὶς αἰάζειν ἐμοὶ,
καὶ τρίς. τοιούτοις γὰρ κακοῖς ἐντυγχάνω.

Hoc est,

Ai ai, quis unquam putasset sic concinnum
Meum concursurum fuisse nomen meis malis?
Nunc enim res fert & bis lamentari mihi,
Et ter: in tales quippe miserias incido.

Quanquam enim Pindarus sexto Isthmiorum, nomen Αἴαντος ἀπὸ τοῦ φανέντος αἰετοῦ deducat: de cujus volatu auguratur Hercules exauditas suas preces, & futurum esse prædicit ut nascatur Telamoni fortissimus filius: non tamen minus fortasse rectè Sophocles & alii à cre-

 bra

bra voce αἶ αἶ, vel ἀπὸ τοῦ αἰάζειν, quod Theocrito etiam frequens eſt, derivant. Sic enim auſpicatur Epitaphium Adonidis, quod Bioni adſcribit Camerarius:

> Αἰάζω τὸν Ἄδωνιν. ἀπώλετο καλὸς Ἄδωνις:
> Ὤλετο καλὸς Ἄδωνις. ἐπαιάζουσιν ἔρωτες.

Quod ita vertit Eobanus Heſſus,

> *Lamentamur Adonin, obit formoſus Adonis,*
> *Pulcher Adonis obit, teneri allacrymantur amores.*

Hoc autem modo efferendum eſſe adverbium dolentis αἶ αἶ, teſtes ſunt omnes ferè nationes & linguæ, quæ non alio ſono quàm ai ai dolentis affectum exprimunt. Qua etiam utitur is qui ſcripſit Bionis bucolici Poëtæ Epitaphium quod quidam Moſcho tribuunt: nam Theocriti non eſſe, argumento eſt ipſius Theocriti in eo facta mentio, id tale eſt:

> Νῦν Ὑάκινθε λάλει τὰ σὰ γράμματα, καὶ πλέον αἶ αἶ
> Λάμβανε τοῖς πετάλοισι. καλὸς τέθνηκε μελικτάς.

Nos ita ad verbum,

> *Nunc Hyacinthe elementa ſones tua, plus etiam ai ai*

Fron-

Frondibus excipias. bonus occidit ille Poëta.

Eobanus περιφραστικῶς,

Nunc Hyacinthe ſonet tua littera, ſcilicet ai ai,
Non tamen hoc ſatis eſt ai ai, plus ergo loquatur,
Litterulaſque velis foliis inſcribere plures,
Occidit indigna confectus morte Poëta.

Hyachinthus autem Suidæ eſt genus violæ vernæ, colore obſcuræ purpuræ, quam à Romanis vacinium appellari auctor eſt Dioſcorides. Galli, teſte Ruellio, ſervato Latini nominis veſtigio, vocant *vacietam.* Hoc violæ genus venis quibuſdam nigris eſt diſtinctum, ita diſcurrentibus lineis, ut duarum Græcarum litterarum α & ι figuram referant: quæ res Poëtis duplicis fabulæ occaſionem præbuit. Nam & Hyacinthum puerum dilectum ab Apolline, quem imprudens diſci jactu interfecit, in hunc florem mutatum tradunt, interjectionemque dolentis αι, quæ ex duabus illis litteris conficitur, velut teſtimonium doloris, quem Apollo ex ejus morte conceperat, habere inſcriptam. Præterea etiam Ajacem in eundem florem converſum ajunt, dum impatientia prælati ſibi Ulyſſis ſeipſum interemit, duaſque primas ejus nominis litteras in hoc flore manſiſſe impreſſas. Ovidius utramque fabulam complexus eſt Lib.

XIII. Metamorph. his verſibus:

—— Rubefactaque ſanguine tellus
Purpureum viridi genuit de ceſpite florem,
Qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus.
Littera communis mediis pueroque viroque
Inſcripta eſt foliis, hæc nominis, illa querelæ.

Et hoc ænigma apud Virgilium,

Dic quibus in terris inſcripti nomina regum
Naſcantur flores: & Phyllida ſolus habeto.

Adverbio αἶ conſine eſt αἰβοῖ, id eſt *heu*, etiam dolentis & indignantis, interdum admirantis & geſtientis præ gaudio. Quod quidem ſi *evi* proferatur, quis non videt quam nullum planè affectum mentis deſignet?

Hinc etiam αἴλινὸν ſive αἴλινὸς lugubris quædam cantio: & ſimilitudo vocis in κλαίειν lugere, Belg. *claghen:* quæ habentur in ipſo ſtatim initio ejusdem Epitaphii Bionis planè lugubri, ſi rectè pronuntietur:

Αἰλινά μοι στοναχεῖτε νάπαι, καὶ Δώριον ὕδωρ:
Καὶ ποταμοὶ κλαίοιτε τὸν ἱμερόεντα Βίωνα.

Eobanus,

Triſtia lugentes ſuſpiria dicite ſylvæ,
Nunc mihi Sicelides, & amaræ Doridos undæ,
Flu-

Flumina nunc deflete peremtum morte Biona.

Diphthongum hanc etiam exprimunt Baiæ, quæ civitas eſt Campaniæ, à Baio Ulyſſis ſocio illic ſepulto: Græcis Βαῖαι. Silius,

—— *Docet ille tepentes*
Unde ferant nomen Baiæ, comitemque dediſſe
Dulichiæ puppis ſtagno ſua nomina monſtrat.

Item *Ambubaiarum collegia* apud Horatium. Sic Græce ſonandum βαιὸς brevis, parvus, Τραιανὸς Traianus, non Treanus, Biſcaia regio, Cantabriæ pars, Μαῖα Maia, quod non poteſt ullo modo efferri Mea. Nam hinc Maium menſem nonnulli nomen habere cenſent, teſte Ovidio Lib. V. Faſt.

At tu materno donaſti nomine menſem
Inventor curvæ furibus apte fidis.

Sed hic Stephanus Vintonienſis Epiſcopus contra Johannem Checum adfert locum Theonis Sophiſtæ, ut oſtendat ε & αι ejuſdem eſſe ſoni. Eſt autem hic:

Ἀσαφῆ δὲ τὴν ἑρμηνείαν ποιεῖ καὶ ἡ λεγομένη ἀμφιβολία πρὸς τῶν διαλεκτικῶν, παρὰ τὴν κοινὴν τοῦ ἀδιαιρέτου τε καὶ διῃρημένου. ὡς ἐν τῷ, Αὐλητρὶς πεσοῦσα δημοσία ἔσω. ἓν μὲν γάρ τοι ἐστὶ τὸ ὑφ' ἓν, καὶ ἀδιαίρετον, Αὐλητρὶς ἔσω πεσοῦσα δημοσία. ἕτερον δὲ τὸ διῃρημένον, Αὐλητρὶς παῖς οὖσα ἔσω δημοσία.

 Vides,

Vides, inquit, ut αι ſono ȣ ε exæquetur in πεσȣζα & παῖς ȣζα.

Hic locus doctis etiam poſſet prima facie negotium faceſſere, niſi codicem eſſe mendoſum, & τὸ διῃρημένον non in πεσȣζα, ſed in αὐλητρὶς eſſe, Checus liquido evinceret, legendumque hoc modo: „ αὐλητρὶς πεσȣζα ἔ-„ ξω δεμοσίᾳ. ἓν μὲν γάρ τοι ἐστὶ τὸ ὑφ' ἓν ἢ ἀ-„ διαίρετον, Αὐλητρὶς ἔξω πεσȣζα δημοσίᾳ. ἕτε-„ ρον ἢ τὸ διῃρημένον, Αὐλὴ τρὶς πεσȣζα ἔξω δη-„ μοσίᾳ. Ut αὐλητρὶς & αὐλὴ τρὶς ſit ἀδιαίρε-„ τον ἢ τὸ διῃρημένον. In nullo enim Græco „ Rhetore aut Philoſopho, qui quidem im-„ preſſus exſtat, τὸ ἀδιαίρετον ἢ τὸ διῃρημένον „ reperitur, ubi in litteris & ſcriptura, quæ „ ſonum imitabatur olim, & nunc imitari de-„ bet, aliqua diſcrepantia aut varietas exi-„ ſtit. „ Et ſubdit. „ Quid enim eo poteſt eſſe „ manifeſtius quod apud Laertium in vita „ Zenonis ſcribitur, ubi ex Stoicorum ſen-„ tentia quid Amphibolia ſit oſtendit? ibi e-„ nim exemplo hoc ἀμφιβολίας utebatur, quo „ etiam Theon uſus eſt, αὐλητρὶς πέπτωκεν. „ Significatur enim iis verbis, οἰκία τρὶς πέπ-„ τωκε. Ex hoc autem ubi uſitata ἀμφιβολία, „ & quo in verbo poſita fuerit, facilè liquet, „ ut ne ad novas ambiguitates gignendas „ corrupta auctorum loca quaſi lupanaria „ conſectemur. Cujus verbi tam celebrata „ fuit omnium ſermone ambiguitas, ut docti „ qui in antiquioribus verſati ſunt, minimè „ aliud ad ambiguitatem notius ac contritius

„ re-

„ requirerent. Sententia hæc quæ à Theone „ proponitur decantata in ſcholis, repetita in „ progymnaſmatis, diſcentium vocibus jacta- „ ta, nec tam obſcura mihi ad emendandum, „ nec tam firma tibi ad nos confutandos eſ- „ ſe poteſt. Quid verò ſi ſolummodo Laer- „ tii dicto contentus, nihil aliud ad loci e- „ mendationem adferrem? num aut Eraſmi „ auctoritatem elevare, aut meam ſententiam „ frangere, aut pronuntiationem noſtram e- „ mendatam imminuere ullo modo debet? „ Hoc enim idem à Quinctiliano eſt Latinè „ expoſitum, quod eſt à Theone tractatum: „ ut non ſatis tempeſtive videatur prodiiſſe, „ qui te in tantum errorem tam cito dedu- „ xerit, nec nobis injucunde, qui cernimus „ quod contra nos dicitur, id ex vitioſis lo- „ cis corrogari. Ubi autem de ambiguitate „ Quinctilianus loquitur, hæc verba habet: „ Alterum eſt, in quo alia integro verbo ſi- „ gnificatio eſt, alia diviſo; ut *ingenua*, & „ & *armamentum*, & *corvinum*. Ineptæ ſa- „ ne cavillationes, ex quibus tamen Græci „ controverſias ducunt. Inde αὐλητρὶς illa „ vulgata, quum quæritur utrum aula quæ ter „ ceciderit, an tibicina ſi ceciderit, debeat „ publicari. Hanc vero quam ille vulgatam „ dicit, & uſu, ſermone, exercitatione ado- „ leſcentium frequentatam eſſe, nos videlicet „ ignoramus, & neſcio quid ex eo novum „ atque inauditum ad linguæ confuſionem

„ firmandam animo extruimus.„ Hactenus Checus.

Quid igitur dubitemus hanc diphthongum αι sic sonare, quemadmodum Raiam piscem, Graium, aio, Aiacem, Maiam, Naiades, & cetera ejus generis, confuso sono α & ι: nullo autem modo ut ε?

Caput XLI.

A Y.

AY nequaquam *af* sed *au* sonat, quia littera υ non est *f* vel *v* consonans, sed *u* Gallicum, ut supra docuimus, non enim diphthongus conflatur ex vocali & consonante: & quanquam *v* Latinum sæpe sonum ϝ digamma habet, illum non in fine syllabæ, sed in principio semper tenet. Temere igitur hic vitiatus υ litteræ sonus nunc in αυ & ευ irrepsit. Si autem hoc natura litteræ fieret, cur non hoc in ȣ quoque usuveniret? At ȣ diphthongum bene sonamus. Itaque ut reliquæ bene sonentur, idem sonus in reliquis observetur. Si enim vocalis consonanti juncta diphthongus esse non potest, (diphthongus enim duarum vocalium copulatio est) junctus etiam ex utraque sonus proficiscatur. Quod si altera à vocali abeat, jam non diphthongus, sed alia syllaba erit. At si υ per se sonat *i*, quomodo adjuncta ad α aut ε sonabit

bit *af* aut *ef*? aut quomodo adjuncta ad ο facit *ou*? Num è Proteï disciplina hæc una littera profluxit, ut sic

Omnia transformet sese in miracula rerum?

Sed in veritate soni est constantia, in varietate error. Præclare igitur ille,

Nec tamen diphthongos ista consonante prædita
Poterit esse. ——

Et rursus de υ,

Porro vocalem sequuta vim tenet vocalium.

Et alio loco,

αυ & ευ *quum copulamus, u secundam jungimus,*
In vicem Græca quod υ *subdita est vocalis u.*

Hic ergo Domosthenis exemplo ne pudeat à canibus diligenter diphthongum αυ cognoscere. Nam Aristoph. Poëta, dum canem latrantem exprimere vellet, αὖ αὖ dixit. Sed ne canes quidem tam crassi sunt ut *af af* sonent. Imo nec Latini homines tam absurdi, ut illis dictionibus, quas usurpatione suas fecerunt, digamma hoc inserciant. Dicunt enim,

αὐλὴ aula,
αὐθέντης author,
αὐστηρὸς aufterus,
Καύκασος Caufafus,
Ταῦρος Taurus, quod fignificat marem vaccæ: eft etiam proprium Philofophi cujufdam Platonici: & nomen montis totius Afiæ longè maximi.
Terentii fabulam ἑαυτὸν τιμωρούμενον dicimus Heauton timorumenon, non heafton dimorumenon.

Græci quoque Latinam diphthongum *au* per αυ reddunt:
Κλαύδιος Claudius,
Φαῦστος Fauftus,
Παῦλος Paulus:
Item Theophilus Latinam vocem *caufa* Græcè effert καῦσα, Inftit. de legat. §. longè magis, his verbis: καῦσα δέ ἐστι δήλωσις τῆς αἰτίας, δι' ἣν ληγατεύεται, id eft, *Eft autem caufa fignificatio rationis, quare res quæque legetur.* Atqui ineptiffimè & contra morem Latinitatis & antiquitatis proferretur *caffa*, & *Paflos.* Ita ναῦν & γραῦν commodiffimè proferas *naun* & *graun:* quæ fi vulgato more enunties, ægrè una fyllaba efferas: fed neceffario fonandum eft duabus fyllabis *nafven grafven* contra rationem diphthongi, quæ eft comprehenfio duarum vocalium in unam fyllabam. Recte igitur Terentianus,

Aufpices quum dico & aurum, five Græcis
αὔριον.

Ce-

Ceterum hic poſſet fortaſſis alicui ſcrupum injicere locus Ciceronis qui eſt Lib. II. de Divinat. *Quum*, inquit, *M. Craſſus exercitum Brunduſii imponeret, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens, Cauneas clamitabat. dicamus, ſi placet, monitum ab eo Craſſum, caveret ne iret: non fuiſſe periturum, ſi omini paruiſſet. Quas ſi ſuſcipiamus, pedis offenſio nobis, & abruptio corrigiæ, & ſternutamenta erunt obſervanda.* Hactenus Cicero: ex quo colligitur ea tempeſtate vicinitatem quandam ſoni fuiſſe in vocibus *Cauneas* & *cave ne eas*: quod nec ego quidem ivero inficias. Sed hoc etiam fatendum, planè aliam *v* conſonantis tunc fuiſſe prolationem, diverſamque ab ea qua hodie utuntur. Jam enim *v* conſonans ſono nihil differt à digamma Æolico, dum *valeo* & *venio* efferimus *ϝaleo*, *ϝenio*, hoc eſt paullo denſius quam *f*. Quod quamquam lingua commodius exprimi poſſit, certum eſt tamen calamo idem tentare. In voce *ardua*, audimus *ŭa* duabus ſyllabis expreſſum, quas ſi in unam contrahamus, & in *valeo* more majorum ſonemus *va*, ſentiemus ſonum primæ ſyllabæ qui eſt in noſtratibus verbis quæ gemino *w* ſcribimus: ut dum vigilare dicimus *waken*, fortaſſis à vacando: vinum *wyn*, Germ. *wein*,
vicus *wyk*,
verbum *woord*,
velle *willen*,
vincere *winnen*, quod Galli *gaigner*, Picardi *wai-*

waigner dicunt,
vidua *weduwe*.
Ingevonum item & Vandalorum (qui ſunt veteris Germaniæ populi) nomina, non petitis procul derivationibus, nec adſumto etymo alieno aut violenter detorto, non dubitem adfirmare merè Germanica eſſe, atque inter ſe contraria. Ingevones enim, ſono ſignificatoque ſuffragante, ſignificant indigenas & αὐτόχθονας, quaſi Germanice dicas *Inwooner:* Vandali autem advenas, ſeu peregrinos, & novos homines. *Wandelen* enim idem eſt quod peregrinari vel ambulare. Sic Batavos ab ea plaga quæ etiamnum lingua eorum *der Betouwe* dicitur, vocatos credo. *Weſt* vocem Germanicam, id eſt occidentem, probè hoc modo enuntiant vel ipſi Galli,
Picardi vacuare *wider*,
Wallon, Gallus.
Hoc quippe modo *v* conſonantem ſonuiſſe, non ut digamma Æolicum, liquet ex dictionibus *aqua*, *æquor*, *ſuavis*, *anguis*, & ſimilibus. In quibus ipſum *v*, quod Priſciano auctore conſonans eſt non vocalis, eundem ſonum retinet. Neque enim extra diphthongum duæ vocales in eadem ſyllaba eſſe poſſunt.

Quem ſonum quoad licuit imitati Græci, illa quæ per *v* conſonantem Latinè proferuntur, per ȣ exprimunt, aucto ſyllabarum numero, ſicut in φ docuimus.
Vandali Οὐάνδαλοι,

Octa-

Octavius Οκταῦϊ@,
Avantici, populi Helvetiis finitimi, Ptolemæo Αὐαντικοὶ, Lavinium, urbs in Latio ab Ænea condita, Straboni Λαουίνιον,
Flavona, apud Plinium oppidum Illyrici, Ptolemo Φλαουῶνα.

Ex quibus conſtat voces καωνέας, & *cave ne eas* pronuntiatione non admodum diverſas fuiſſe, præſertim quum Romani non *Caſneas* ſonuerint vel *Caϝneas*, ſed *Cauneas: cave* autem *cawe*. Hæc paullo rudius fuſiuſque tractare viſum fuit, ne, dum brevis eſſe laboro, obſcurus fiam.

Caput XLII.

E I.

EI diphthongum hodie cum ſimplici Iota confundundunt homines etiam eruditiſſimi, ſed errore non minus manifeſto quam periculoſo, propter multiplicem unius ſoni ſignificandi rationem: quum debeat proferri *ei*, hoc eſt, utraque vocalis ε & ι conjuncto ſono exaudiri, ſicut in
Eia adverbio adhortantis. Martial. Lib. 11.

Eia age rumpe moras. ——

quod Græci dicunt εἷα, ὦ εἷα. Ariſtoph. εἷα μάλα Hei interjectio dolentis ſive ingemiſcen-

ſcentis. Unde apud Terentium, *Hei hoi:* ubi in poſteriori etiam ſonus diphthongi οι exauditur.
Veii & Veientes,
Apuleius & Pompeius.

Neque non ſentitur apud Flandros ſonus ει in voce *ei*, quod ovum ſignificat.
looshe it verſutiæ, *feit* facinus,
Mei Majus menſis, *kei* ſilex,
ſcheiden dividere aut ſeparare.

Galli diphthongum hanc referunt in
feim fames, *ſein* ſinus,
feint fictus,
Plein plenus,
Item dum dicunt *teion*, id eſt, patruum, ſive avunculum, quod Græci ad verbum θεῖον, & *teie* materteram ſive amitam, θείαν.

I longum antiquis Romanis proferebatur ut hæc diphthongus ει, hoc eſt *ei*, & *e* incluſum habebat: quod uſitatum fuiſſe tempore Ciceronis ex vocibus βινεῖ & Latina *binI* conſtat. Locum ejus in β citavimus. Confirmat hoc Quinctilianus dum de *ei* Latino dicit, *Duravit diutius ut e i jungendis eadem ratione qua Græci ει uterentur.* Quomodo autem Latini hoc eadem ratione qua Græci utebantur? quomodo, niſi quemadmodum tradunt veteres, ubi *i* longum eſſet, Valerium ſemper *ei* ſcripſiſſe, itemque vetuſtiores Latinos, exſtareque in vetuſtis inſcriptionibus hanc ſcripturam, *Celeberrimei*, *veis*, *preimus*, pro *celeberrimi*, *vis*, *primus*? & Soſipater aït Varronem

Lib.

Lib. Sexto Epiſtolicarum Quæſtionum dicere *Eclogas ex Annalei deſcriptas.* Unde in numiſmatis antiquis LEIBERTAS, SERVEILIUS, EIDUS, quod Plutarchus εἰδὸς. Plauti comœdia Capteivei, & paſſim apud auctores, queis, omneis, Tralleis, Sardeis, & id genus alia; quæ etiam per I longiuſculum & exſtans ſolent ſcribi: OPEIMIUS OPIMIUS, BINEI BINI, EIRONEIA IRONIA, eodem tamen ſervato ſono *ei.*

Unde Victorinus de Orthographia: *Quum vero eadem i, e litteræ juncta eſſet, non ſolum pro longa ſyllaba accipiebatur, ſed nominativum pluralem ita ſcriptum ſignificabat, ut amicei, bonei, doctei, Romanei, & ſimilia. At ſi per ſolum i ſcripta eſſet, eadem genitivum ſingularem faciebat, ut hujus amici.* Cui conſentit Terentianus,

Sic erit nobis & iſta rarior diphthongus EI,
E videmus quando fixam principali nomine.
EITUR in ſylvam neceſſe eſt E & I connectere.
Principali namque verbo naſcitur, quod eſt EO.
Sic OVEIS, PLUREIS & OMNEIS ſcribimus pluraliter.

Et hoc Epitaphium Romæ inventum, in quo plurima antiquæ pronuntiationis veſtigia conſpiciuntur: quod tum propter ſummam elegantiam, tum orthographiæ rationem, cujus obiter mentionem fecimus, hic viſum fuit attexere.

HOSPES QUOD DEICO PAULLUM EST. ASTA AC PELLIGE.

HEIC EST SEPULCHRUM HAUD PULCHRUM PULCHRAI FEMINAI.

NOMEN PARENTES NOMINARUNT CLAUDIAM.

SUOM MAREITUM CORDE DEILEXIT SUO.

GNATOS DUOS CREAVIT. HORUNC ALTERUM

IN TERRA LINQUIT. ALIUM SUB TERRA LOCAT.

SERMONE LEPIDO. TUM AUTEM INCESSU COMMODO.

DOMUM SERVAVIT. LANAM FECIT. DIXI. ABEI.

Hoc ipſum etiam aptè carmine quodam expreſſit perurbanus Poëta Lucilius,

Jam pueri venere, e poſtremum facio atque i.

Hinc videtur paullatim irrepſiſſe, ut jam corrupta pronuntiatione ει proferamus ut ἰῶτα, dicentes Καλλιόπεια Calliopia, quum vel ipſo Ovidio teſte dicendum ſit Calliopeia. Scribit enim V. Faſt.

Prima ſui cœpit Calliopeia chori.

Item ἐλεγεία elegeia, quæ ἀπὸ τοῦ ἐλεεῖν, id eſt, à miſerando, & à crebra voce ει quodammodo nomen habere videtur. Horatius de arte Poët.

Ver-

Verſibus impariter junctis querimonia primum,
Poſt etiam incluſa eſt voti ſententia compos.

Hanc etiam diviſa diphthongo extulit Ovidius Lib. III. Eleg. 8. qua Tibulli mortem deflet:

Flebilis indignos Elegeïa ſolve capillos,
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit!

hoc eſt, quemadmodum à miſeratione nomen habes, ita miſerabile nacta es argumentum. Et alibi,

—— *Elegeïa flebile carmen.*

Contra Græci εϊ contrahunt in ει, ἀληθέϊ, ἀληθεῖ. πόλεϊ πόλει, quemadmodum & Poëtæ Latini. Virg.

Pellis obit totum præfulgens unguibus aureis.

Item,

Orphei Calliopeia, Lino formoſus Apollo. Et Ovid.
Notus amor Phædræ, nota eſt injuria Theſei.

pro *aureïs*, *Orpheï*, *Theſeï.*

Hermogenes autem in dicendi formis, ubi περὶ σεμνότητος loquitur, *diphthongos & vocales*

 lon-

longas hanc formam illustrare dicit, *si in finem dictionum cadant, præter ει diphthongum. Sin ι ipsum per se ponatur, minimè tum grandem orationem eam facit quæ ea abundat: contrahit enim magis, & ad rictum diducit os, & minimè fauces complet. ει igitur sola ex diphthongis granditatem orationi non adfert: οι autem granditatem adfert.* Plenior igitur sonus οι quam ει, siquidem diphthongi præter ει granditatem adferant, ι vero ipsum si per se positum sit, minime grandem facit orationem. ι igitur sejunctum alium habet sonum, quam si cum ε aut ο jungeretur. Si autem parum granditatis in ει est, minimum in ι, aliquanto igitur grandior ει quam ι est. Qui autem alius quam ε sonus diphthongum ει grandiorem faceret? aut quis alius sonus οι diphthongum exaggeraret, nisi qui ab ο sumitur, & ad ι adjungitur?

Quum Plutarchus de ει diphthongo multa loqueretur, & librum quoque scriberet, multa verba de ε quasi præstabiliori, ut videtur, sono, pauca aut nulla de ι fecit.

Eam vero in lingua Latina hæc diphthongus suavitatem obtinuit, ut, quum Sulpicius ex ει diphthongum ι tolleret, & *e* plenissimum relinqueret, à Crasso apud Ciceronem Lib. de Oratore III. reprehensus sit, quod non antiquos oratores, sed messores videretur imitari. Cujus vero omissio tam est vituperabilis, ejus observatio admodum erit laudabilis. Quod si nos nunc in alteram partem perpe-

tuo

tuo peccantes audiret Craſſus, mirum ni non meſſores nos, ſed paſſeres vocaret, qui ſic pipitaremus. Nam qui navigio nimis vehementes in alteram partem feruntur, in ſcopulum aliquem impingere ſolent. Latinis enim hæc diphthongus olim familiaris erat. Sicut indicant veteres Grammatici qui de Orthographia ſcripſerunt. Sed paullatim exolevit, adeo ut nunc ne accuſativos quidem illos plurales *omneis*, *treis*, *parteis*, ſcribamus, ſed expuncto *i* cum Sulpitio dicamus *omnes*, *tres*, *partes*. Servata eſt tamen in paucis quibusdam, ut in *hei* & *queis*, & Poëticis illis,

Jam validam Ilionei navem ——

Orphei Calliopeia, ceteriſque ejuſmodi, de quibus ſupra. Vitioſa hujus diphthongi tum pronuntiatio tum ſcriptio non paucos auctorum locos corrupit, viroſque alioqui doctiſſimos decepit. Et, ut de multis unum aut alterum adferamus, elegantiſſimum adagium τηρεῖν τὴν καρδίαν ἐν πείζῃ, id eſt *retinere cor in ancorali fune*, hoc eſt in ſua conſtantia atque firmitudine, apud Syneſium in Encomio Calvicii hactenus redditum fuit, *in Piſa animum præparare*. Interpres enim pro πείσῃ (quæ etiam πεῖζμα & πρυμνήσιον vocatur) legit Πίσῃ. Similis menda fuit in libello Plutarchi περὶ ἀοργησίας, ubi, librariorum incuria, quæ ob neglectam pronuntiationem ſolet in-

 cidere,

cidere, vox πείσῃ depravata eſt in πείσῃ: ita ut Eraſmo ipſi anſam erroris præbuerit, dum hæc ἐν τῇ Ομηρικῇ πείσῃ μένοντι τὸν θυμὸν, vertit *In perſuaſione Homerica permanentem.* Rectam lectionem ſervat adhuc idem Plutarchus in περὶ ἀδολεσχίας. τῇ καρδίᾳ, inquit, μὴ τρέμειν, μηδὲ ὑλακτεῖν.

Τῷ δ' αὐτ' ἐν πείσῃ κραδίη μένε τετληῦα,
μέχρι τῶν ἀλόγων κινημάτων διήκοντος τοῦ λογισμοῦ.

locus Homeri eſt Ὀδυσσ. υ.

Τῷ δὲ μάλ' ἐν πείσῃ κραδίη μένε τετληῦα
Νωλεμέως, ἀτὰρ αὐτὸς ἑλίσσετο ἔνθα καὶ ἔνθα.

Horum locorum reſtitutionem & explicationem debemus Paulo Leopardo noſtro, viro exquiſitiſſime docto, qui in ſuis Emendationum ſeu Miſcellaneorum libris, quos magno ſtudioſorum bono propediem editurus eſt, hæc & alia complura primus animadvertit, fuſiuſque perſequutus eſt. Sed, ne quid dicam de Andrea Divo Juſtinopolitano, qui πείσην *paſſionem*, & Simone Lemnio, qui *affectus* vertit, nec ipſi Euſtathius vel Didymus Homeri ſenſum hoc loco ſatis adſequuti videntur.

Caput XLIII.

E Y.

IN ευ diphthongo hodie peccatur ſicut in αυ paullo ante peccari oſtendimus : quum tamen faciliſſima ſit ejus pronuntiatio, vocalibus optime & faciliſſime in unum mixtum ſonum coeuntibus. Nam ευ ſonat *eu* non *ef*.

εὖρος eurus, εὖγε euge,
Τεύτονες Teutones,
Εὐσέβιος Euſebius, non Eſſevius :
Pſeudothyrion Ciceroni in Verrem, quod Græcis ψευδοθύρεον,
Pſeudolus, Plautina fabula, Græce ψεύδολος :
Deuteronomion δευτερονόμιον.
εὐχαριστία Euchariſtia,
πεντάτευχος Pentateuchos, non Pendateſchos.

Caput XLIV.

O I.

OI, ſicut in ᾳ tradidimus, integrè quoque proferendum, ut utriuſque vocalis ſonus poſſit exaudiri, non tanquam ſimplex ἰῶτα, quemadmodum vulgo. Sono quippe differunt πιότης *obeſitas*, & ποιότης *qualitas*. Quod

 liquet

liquet ex dictionibus Gallicis *moi*, *toi*, *ſoi*: quas retinuerunt a Græcis μοὶ, σοὶ, Dorice τοὶ, & οἱ, adſpiratione mutata in *ſ*, quemadmodum ὗς in *ſus*. Nobiles enim Gallos & Druidas ſacerdotes Græce loquutos, & Græce jus dixiſſe, teſtantur hiſtoriæ & Annales veteres, ac manifeſtius eſt quam ut probatione egeat. Manſit tamen in extremis ſyllabis integrior hæc diphthongus in iis quidem vocabulis quæ in *n* deſinunt, ut *ſoin*, *beſoin*, *loin*, in quibus verus & germanus hujus diphthongi ſonus auditur. Et apud Latinos in his vocibus,

Troia τροῖα, non Tria,

Βοῖοι Straboni Boii, non Vii.

Boion Doridis oppidum in Græcia, teſte Plinio Lib. IV. Cap. 7. Doris, inquit, in qua Sperchios, Erinea, Boion, Pindus, & Cythinum. Stephano βοῖον.

Εὐβοίη Euboia. Nam ſi *efvij* proferas, nequaquam eadem, ſed plane alia dictio videbitur. Hinc diviſa ſyllaba εὐβοϊκὸν πέλαγος *Euboïcum mare*. Contra verò ὄϊς contrahitur in οἶς, id eſt, ovis, λητόϊ in λητοῖ.

Hanc diphthongum etiam retinent antiqui illi dativi *bonoi*, *dominoi*, pro *bono domino*: & illud Catulli initium,

Quoi dono lepidum novum libellum?

Οἴ juxta Grammaticos veteres, ὀδυρομένων ἐστὶν ἐπίφθεγμα καὶ δυσχεραινόντων: καὶ οἱ φοβούμενοι

ὧ

ᾗ οὕτω λέγουσιν. Id eſt, Οἴ *conquerentium vox eſt & indignantium: qua etiam utuntur qui timent.* Unde οἴμοι dolentis, id eſt *hei mihi.* Quocirca ſæpe miratus ſum Theodor. Langium collegii Buſlidiani apud Lovanienſes Græcum Profeſſorem, virum Doctiſſimum, in μοι, σοι, τοι, οἴμοι, & paucis aliis veterem pronuntiationem perpetuo retinere, in reliquis vero hanc diphthongum οι cum vulgo ſonare ut ι, quum ubique eadem ſit ratio. Huc faciunt quæ in ᾳ de ſono οι adduximus: & omnes Rhetorum libri ubi de formis dicendi ſcribunt, hac re pleni ſunt.

Sed hic mihi paullulum inſiſtendum eſt, & de λιμὸς & λοιμὸς adferendus Thucydidis locus ex Libro Hiſtoriarum primo: qui tam planus eſt, ut de ſono οι minime dubitari poſſit. Nam quum patrum aut avorum memoria oraculum quoddam Athenienſibus datum eſſet, propter longitudinem temporis iterum pœne è memoria illorum abiit, ut ii qui à patribus illud acceperant, in magna varietate & diſſenſione eſſent, aliis λοιμὸς in carmine, aliis λιμὸς ſonantibus. Quum autem præteriiſſet illud bellum, & magna peſtis ſtrageſque hominum & beſtiarum totam terram invaſiſſet, tum λοιμὸν fuiſſe in oraculo dicebant. Quod ſi alio tempore, inquit Thucydides, aliud bellum ingruat quod fames quædam ſequutura ſit, tum λιμός & non λοιμὸς dicent. Carmen vero apud Thucydidem hoc eſt,

 ἥξει

Ἥξει δωρικακὸς πόλεμος, καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ.

Ex quo evidentiſſimè liquet, alium fuiſſe dictionis λιμὸς quam λοιμὸς ſonum: qui quomodo diverſus eſſe poſſet, niſi interveniente ο, & ſonum ι attenuatum explente, nemo cogitare poteſt. Quas voces λιμὸν & λοιμὸν, hoc eſt, *famem* & *peſtem*, non video quomodo diſtinguas, ſi quando in oratione conjungantur, ut ſæpe uſu venit, niſi diverſo ſono proferas: alioqui fieri non poteſt, ut te loquentem quiſquam intelligat: quemadmodum Matthæi XXIII. cap. Καὶ ἔσονται λιμοὶ καὶ λοιμοὶ καὶ σεισμοὶ κατὰ τόπους. Quod iiſdem pœne verbis Sibyllæ multo ante prædixerant Lib. I. Sibylliacῶn, his verſibus:

Εἷς θεός ἐστι, βροχὰς, ἀνέμους, σεισμοὺς ἐπιπέμπων,
Ἀστεροπὰς, λιμοὺς, λοιμοὺς, καὶ κήδεα λυγρά.

Id eſt,

Eſt Deus unus, qui pluvias, motuſque, notoſque,
Fulguraque immittit, peſteſque fameſque, doloreſque.

Heſiodus in opere cui titulus ἔργα καὶ ἡμέραι,

Τοῖσιν δ' οὐρανόθεν μέγ' ἐπήγαγε πῆμα Κρονίων
Λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμόν.

Cæ-

Cælitus his damnum miſit Saturnius ingens
Eſuriem ſimul & peſtem.

λοι igitur ſonandum ut Gallis *loi*, id eſt, lex λι vero ut prior ſyllaba vocis *licet*, præterquam quod hæc brevis eſt.

Latini hanc diphthongum per *œ* reddunt,
Φοῖβος Phœbus,
Κροῖσος Crœſus.

Græci item *œ* Latinum per *οι* ſcribunt, Cœlius Κοίλιος, fortè ἀπὸ τοῦ κοιλοῦ, id eſt concavo. Pœni Ποινοί.

Quin etiam ea ſcribendi ratio ut *οι* pro *œ* pingeretur, veteribus uſitata fuit, ut annotant Grammatici, quemadmodum *αι* pro *æ*. Hinc Martianus Capella, *I*, inquit, *copulatur o litteræ in nomine Jovis & Oinone: Oiſus etiam dicitur: ſic enim veteres uſum dixere.* Hæc ille.

Caput XLV.

O Y, *u vocalis.*

OY proferetur ut *u* vocalis, id eſt *ou.*
μοῦσα Muſa,
τοὺς λόγους, tous logous.
u enim, licet nonnullis, præſertim Gallis, hodie corrupte ſonet ut *υ* ſive *u* Gallicum, omnino Latine proferendum ut hæc diphthongus ȣ, quæ inter proprias ſola rectè ab omnibus pro-

nuntiatur, & pura puta in ſono relinquitur. Reliquarum pronuntiatio, ut ſupra oſtendimus, peſſimè eſt vitiata. Igitur *u* Latinum ſcriptura ſimplex, ſono conjunctum eſt: quare diphongus potius quam vocalis cenſenda videtur. Ita enim ſonat quaſi cum *ο* conjuncta eſſet, quemadmodum recte proferunt Itali. Itaque quod Græcis *ȣ* diphthongus eſt, illud Latinis *u* eſt. Unde apte Terentianus,

Quam ſcribere Graius niſi jungat u nequibit.

Et iterum,

Græca diphthongus ſed ȣ litteris noſtris vacat,
Sola vocalis quod u complet hunc ſatis ſonum.

Niſi enim *ο* in *u* ſonaremus, à Latino *u* ad Græcum *υ* veniremus, Hoc autem inter ſe diſtant, quod *υ* ſimplex eſt, nihil admixtum, nihil alienum adjunctum habet: *u* verò perpetuum *ο* ducem ſoni habet, ac eum in ſono comitatur, & junctus cum illo perpetuo in ore exit. Quum igitur Gallicè *mule*, id eſt mula, Belgicè *duken*, id eſt abſcondere, μυλ, δυκ, dicimus, Græcum *υ* ſonamus: *moule* concha, *douken* panni, μȣλ, δȣκ, *mul*, *duk*, *u* Latinum eſt. At *mil* mille, *diken* aggerem ducere, μιλ, δικ, ἰῶτα eſt. In hoc autem verbo Θȣκυδίδης Thucydides hæc tria cernuntur, ac etiam *η*: duo enim in eo *u* ſunt, è quibus primum Latinum *u*, ſecundum *υ* Græcum

cum eſt, tertia ſyllaba *ἰῶτα* habet, quarta *η* ſive *e* longum.

Tradunt quoque aliquando pro *u* longo ſcriptum ab antiquis fuiſſe *ȣ* ut *lȣmen*, *nȣntiis*: & Græci fere *ȣ* diphthongo reddunt vocalem *u* Latinam idem ſonantem:

Tullius Τȣ́λλιος: Gaza & Planudes Τύλλιος,
Junius Ἰȣ́νιος,
Brutus Βρȣ̃τος,
Cuſtodia *κȣςωδία*.

Itemque *v* conſonantem creſcente numero ſyllabarum, ut in *αυ* monuimus:

Valerius Οὐαλέριος,
Varro Οὐάῤῥων vel Βάῤῥων,
Servius Σερȣ́ιος,
Helvetii Ἑλȣέτιοι, Plutarch. Ἑλβίτιοι.

Latini *ȣ* Græcum per *u* ſuum reddunt,
ὁμȣ́σιον homuſion,
Λυκȣ̃ργος Lycurgus,
Πλȣ́ταρχος Plutarchus.

Mirum eſt igitur *υ* vulgo in *αυ ευ ωυ ηυ* aliter ſonare, quam in hac diphthongo *ȣ*, quum ex Analogia pronuntianda ſint *au eu oou eeu*: non *af ef of if*.

Quomodo ergo *υ* ab *ι* & *u* differat, quomodo conſentiat, quibus notis propriis alterum ab altero ſeparetur, ſatis ad totius rei formam paucis deſcribendam, ſupra capite de *υ*, & hoc loco dictum ſit.

C A-

Caput XLVI.

Υ I.

TRes quæ ſequuntur diphthongi, licet propriæ, rariores tamen ſunt, & κακόφωνοι vocantur, hoc eſt maleſonantes, quod difficilioris ſint prolationis: quæ videtur eſſe cauſſa cur à Grammaticis inter improprias numeratæ ſint, quum tamen ut propriæ diphongi duos φθόγγους, id eſt ſonos, efficiant, & definitioni diphthongorum probè reſpondeant. Ex eo vero quod κακόφωνοι vocantur, perſpicuum fit eas aliter nunc proferri quam olim. Nam ſi υι, quæ nunc eo ſono profertur quo ει & οι, hoc eſt ι, malè ſonet, & ει ac οι bene, nunc ergo υι profertur alia voce quam olim, alioque ſono quam ει vel οι. Hic dices nullam harum nunc recte proferri. Idipſum equidem tibi aſſentior, & hactenus conatus ſum efficere.

υι igitur ſive υι ſonat *ui* per *u* Gallicum una ſyllaba comprehenſum, non ι longum, ut vulgo ſolent efferre: ut ἅρπυια harpuia, non harpia. Quam diphthongum vides in his dictionibus Gallicis,

puis, puteus,
pluie, pluvia,
huis, oſtium,
lui, illi in dativo,

huile,

huille, oleum,
fruit, fructus,
bruit, rumor.
Quæ Græcè ſcriberentur πυις, πλυιε, ὑις, κυι, ὕιλε, φρυιτ, βρυιτ.
Item in dativis *cui* & *huic* in unam ſyllabam contractis, ex *cuï* & *huïc* diviſis ſyllabis, quemadmodum eos vulgo ſonant Galli, ut in illo Virgilii,

Cui pendere ſuos pateremur in arbore fructus.
&
Huic conjux Sichæus erat.

CAPUT XLVII.

Η Υ.

HY ſonandum *eſſe eeu*, non *if* quemadmodum vulgo, tum ex iis quæ ſupra in η υ αυ ευ ȣ υι diximus, conſtat, tum quod ſit facta ex ευ, id eſt *eu*, ε in η mutato, ut ab εὔχομαι ηὐχόμην eeuchomeen, non ifchomin.

CAPUT XLVIII.

Ω Υ.

ΩΥ profertur eodem fere modo ut ȣ, ſed vaſtiori ſono, nempe *oou* non *of*. Jonum propria eſt: illi enim pro αὐτός di-

dicunt ωὐτός, hoc eſt ooutos, non oſtos ut vulgo. Hoc tamen intereſt inter ευ ȣ & ηυ ωυ, quod η & ω in iſtis, quum longa ſint, pronuntiationem ita retinent ut hiatum vitare non poſſis.

Caput XLIX.

De quibus diphthongis impropriis.

Impropriæ diphthongi dicuntur, quod licet ex duabus conſtent vocalibus, non tamen duos ſonos in unum coactos exprimant, ſed unius tantum vocalis ſonum edant. Ideoque abuſive & καταχρηστικῶς diphthongi vocantur.

Caput L.

ᾳ.

A id eſt Alpha ι parvulo ſubſcripto, ſonat α longum: neque enim aliter ᾳ atque α ſimplex vocalis effertur, φιλίᾳ philia,

ᾅδης hadees, id eſt Pluto: ſæpe pro inferis & terra ponitur. Quomodo utitur Polyxena apud Euripidem in Hecuba,

Ἐκεῖ δ' ἐν ᾅδȣ κείσομαι χωρὶς σέθεν.

Porro

Porro ᾅδης creditus est esse aër, sic dictus quasi ἀΐδης, id est *obscurus & invisibilis*, (& ᾅδε κυνῆ *Orci galea*, invisibiles reddere putabatur,) quod aër omnis suapte natura opacus & caliginosus sit, nisi extrinsecus illustretur: Juno vero, terra: unde & φερέσβιος Ephitheton ei attribuitur, & terra ab Homero ζείδωρος cognominatur, quod fruges & alia omnia ad vitam victumque necessaria producat. Stoïcis tamen ἥρα aërem significat.

Caput LI.

ῃ.

H id est ἦτα subscripto ἰῶτα, sonat ut η, hoc est *ee*.

τῇ τιμῇ tee timee, non ti timi.

λῃστὴς leestes, καλὰ διαίρησιν ληϊστής.

Caput LII.

ῳ.

Ω id est o mega ἰῶτα subscripto, sonat ω. τῷ λόγῳ too logoo. Pro hac Latini *æ* utúntur,

κωμῳδία comœdia,

τραγῳδία tragœdia.

Olim ἰῶτα ipsum litteris adscribebatur, non subscribebatur, minori tamen forma quam præ-

præcedens littera, quaſi dimidiatum ἰῶτα, hoc modo, αι ηι ωι. Quæ ſcribendi ad latus conſuetudo remanſit in litteris capitalibus Αι Ηι Ωι.

Caput LIII.

De τ *poſt* ν: ν *ante* β: π *poſt* μ: γ *ante* γ, *& ſimilibus.*

Hactenus de litteris & diphthongis. Quoniam autem recentiores Grammatici novos quosdam pronuntiationis canones hic ſolent ſubjicere, eorum tractationem viſum fuit in hunc locum reſervare, & ſigillatim excutere. Illi enim tanquam edicto perpetuo caverunt, litteras τ ν π γ κ alios atque alios ſonos admittere, τ enim poſt ν ſonare ut *d*: ν ante β, μ, π, ut *m*: π poſt μ, ut *b* Latinum, itidem poſt ν in diverſis dictionibus: γ ante γ ξ χ ſonare perinde ut *n*; ſic ante κ, ſed ipſum κ ſonandum ut γ. Sed hujus edicti æquitatem non video qua ratione tueri, vel auctoritate veterum poſſint defendere. Ceterum ne quid ſine ratione inveniſſe dicantur, εὐφωνίαν prætexunt, ſicut in omnium litterarum & diphthongorum ſonis quos ſuis inventis corruperunt, quibuſque novam pronuntiationem affinxerunt: quum tamen manifeſtum ſit eos loco Euphoniæ mille nobis κακοφωνίας obtruſiſſe, & linguam ſui plane diſſimilem,

milem, nervis ac viribus destitutam reddidisse. Qua si Homerus, Plato, Demosthenes, Plutarchus, Galenus, Basilius, Chrysostomus, & alii veteres scriptores audirent suos libros recitari, ipsi se non intelligerent, nec sua scripta agnoscerent.

Quorsum autem τ post ν opus est sonare ut *d*? Quorsum inquam, τὸν Τάνταλον & Ἀντώνιον proferemus *ton Dandalon* & *Andonion*? cur non potius τ litteræ genuino sono retento more Latinorum *ton Tantalon* & *Antonion?* quæ hic ratio Grammatica, quæ veterum auctoritas, quæ εὐφωνία suffragatur? Præterea quis quæso discernet inter τὸν τρόμον, id est *tremorem*, & τὸν δρόμον *cursum*: item inter οἴκόνδε adverbium ad locum, id est *domum*, sive ad domum, & οἶκόντε *domumque*, si eadem utrobique est pronuntiatio? Quorsum denique attinebat illa disputatio περὶ ἐντελεχείας, ἢ ἐνδελεχείας, quæ tot tantorumque virorum ingenia & labores in utramque partem torsit, dum hic per τ, ille per δ scribendum putat, nisi quia non eadem utriusque significatio, nec prolatio? Sed quid multis? Vel sola auctoritas Constantini Harmenopuli ac Theophili Antecessoris sufficiet, qui passim in libris Juris Græcè à se conscriptis utuntur dictione τεςαμέντῳ, quam non est verisimile aliter sonuisse quam Latinam vocem *testamento*, non autem *testamendo*, præsertim quum Jurisconsulti definiant esse testationem mentis, seu μαρτυρίαν διανοίας.

Quod autem ν perpetuo ſit pronuntianda ut *n*, nec ante β μ π ſonus ejus mutetur in *m*, ſufficit vel ſupradicta ratio, quod neque veterum auctoritas neque Euphonia id ſuadeat, quodque omnes litteræ ſonant ut ſcribuntur, & pronuntiatio litteraria ſit elegans minimeque difficilis. Longè ſiquidem commodius τὸν βίον ſonamus *ton bion*, quam *tom vion*, quemadmodum Latinis *nomen bonum*, non *nomen vonum:* item facilius τὸν Παῦλον *ton Paulon*, quam *tom Baflon.* Ad quod etiam facit ſententia Fabii, qui ait apud Græcos nullam dictionem in μ finiri, nempe quia moleſta ejus ſit pronuntiatio. Cur ergo ubi μ non eſt, illic μ fingimus, & germano ſono quaſi de poſſeſſione exturbato, eum qui proprietati linguæ repugnat, per vim intrudimus? Sed ego arbitror ſciolos quoſdam Latinè potius quam Græcè peritos, hinc mutandæ hujus pronuntiationis occaſionem ſumſiſſe, quia viderent Latinos præpoſitiones *an*, *in*, & *con*, in compoſitione, dum præcedunt *b m p*, mutare in *am im com :* ut *ambedo*, *ambuſtus*, *amputo*, *imbibo*, *immuto*, *impono*, *combibo*, *commeo*, *complector.* At hi etiam meminiſſe debuerant Romanos *m* litteram ſcriptura exprimere, non *n* ſcribere & *m* proferre: præterea Græcos non adſtringi legibus Romanorum.

Vel hinc etiam colligi poteſt, quam ridiculum ſit ϖ poſt μ ſonare ut *b* Latinum, idque etiam in diverſis dictionibus: præſertim quum

quum vulgata pronuntiatio adeo ubique odio habeat ſonum *b*, ut etiam ubi maxime debet pronuntiari, tum loco β ſubſtituat ſonum *v* conſonantis, etiam ſi præcedat μ. τύμβη ſiquidem vulgo ſonat *timvi* pro *tumbee*. Eadem igitur facilitate πέμπω ſonabimus *pempoo*, vocemque inde derivatam τὴν πομπὴν, *teen pompeen*, qua Romani *pompam* : non autem *tim bombin*.

Reſtat γ ante alterum γ, vel κ, vel χ, vel ξ, quod docent Grammatici ſicut ν pronuntiari ſolere, ut ἄγγελος, ἀγκίλια, Ἀγχίσης, *Angelus*, *Ancilia*, *Anchiſes*, quo modo proferre ſolent Latini: ſed ne hoc quidem controverſia caret. Nam profectò probabile eſt, Græcos, ſi pronuntiationem mutaſſent, ipſam quoque litteram fuiſſe mutaturos, ſicut in συμπληγάδες pro συνπληγάδες, κάββαλε, pro κάτβαλη, & ſimilibus: quod ν ante π, & τ ante β collocari non poſſit, ut teſtatur Dionyſius. Atqui tantum abeſt ut ſuum γ ſequentibus illis litteris mutarint in ν, ut contra ſi ipſum ν occurrerit, ſonum illius averſati & mollitiem illam adſpernati, ſoleant convertere in γ, uſitata illa orthographiæ regula, quod ſmper ν ante γ κ ξ χ migrat in γ, quam ita tradit Gaza, τὸ ν, οὔτε πρὸ τοῦ γ, ἢ χ, ἢ κ ἢ ξ σώζεται συντιθέμενον, ἀλλὰ τρέπεται εἰς τὸ γ. Cedo qua ratione dici poteſt ν converti in γ, ut deinde ipſum γ ſicut ν pronuntietur? Nam certè potius ipſum ν ſervari, & γ, ſi occurriſſet, in ν converti opportuerat. Quod ſi

Latinam pronuntiationem objicias, reſpondeo, non de Latina, ſed de Græca lingua hic à nobis quæri. Γ autem in ν à Latinis mutari non magis miror, quam δ in *l*, ut ὀ-δυσσεὺς *Ulyſſes*, & in β, ut δὶς *bis*. Quod ſi rurſum opponas, id poſtulare pronuntiationis rationem: iterum quæram, cur igitur ν quum ejuſmodi locis occurrit, in γ convertatur, ac non potius retineatur? deinde quid tandem cauſſæ ſit, cur hoc dicamus poſcere pronuntiandi rationem: quum ipſum potius ν cum illis litteris cohærere non poſſe Dionyſius doceat, & regula illa orthographiæ id apertè declaret? Certe Priſcianus auctor eſt vetuſtiſſimos ſcriptores Romanorum Euphoniæ cauſſa pro *n* ſcripſiſſe *g*, ut *Aghiſes*, *agceps*, *aggelus*, *aggens*: quod oſtendit Varro I. de Origine linguæ Latinæ, his verbis. *Aggulus, aggens, agguilla, iggerunt, in ejuſmodi Græci & Actius noſter binam g ſcribunt, alii n & g, quod in hoc veritatem facile videre non eſt, ſimiliter agceps & agcora.* Victorinus autem, cui propter antiquitatem plurimum tribuimus, ait γ ante γ & ante κ ſonandum potius ut *n*. Idem vult duo *g* ſcribi quoties duorum *g* ſonum aures exigent, ut in agger, aggredior, ſuggero, oggannio, & ſimilibus. Cur enim non conſulatur auribus? quarum eſſe judicium ſuperbiſſimum dixit Cicero in Oratore. Duplex igitur γγ Græcè efferendum quemadmodum ipſi Latini pronuntiant in *aggrego* & *aggero*: & tanto mollius eſſe videtur quam duplex

duplex κ, quanto mollius pronuntiatur γ quam κ. Illud autem κκ & Latini & Græci uſurpant, ut ἐκκλησία *Eccleſia.* Sic igitur ſentio quod ad duplex γγ attinet.

Sed ſane fateor ante χ vel κ, vel ξ, γ proferri non poſſe, præſertim in ultimis ſyllabis, ut σύριγξ, φάλαγξ, λύγξ, *Syrinx*, *Phalanx*, *Lynx*, quia nimirum ς nullam habet conjunctam vocalem cum qua cohæreat. Sed quid hic facias, quum diſertè dicant Græci ipſum ν iiſdem his litteris præponi non poſſe? quod ſi verum eſt, cur Latini tamen id faciunt? (ſcribunt enim Ancillæ, Anxur, Anchiſes) & Græci Grammatici cur γ ante has litteras ut ν pronuntiandum eſſe docent? Nam ſi pronuntiari poteſt ut debet, certe etiam ſcribi. Reſpondeo, in hujuſmodi vocabulis litteram quidem *n*, & à Latinis ſcribi, & à Græcis pronuntiari, ſed adulterinam, ſicut Gellius ex Nigidio obſervavit. *Nam n non eſſe* (inquit Nigidius) *lingua indicio eſt: nam ſi ea littera eſſet, lingua palatum tangeret.* Hanc ergo doctiſſimi Grammatici præceptionem ſi ſequamur, dicemus ν ante γ κ χ ξ, mutari a Græcis in γ, non ut ipſum γ enuntietur, (nam id fieri non poteſt) ſed ut ſignificetur illud ν peregrino quodam ſono eſſe pronuntiandum, id eſt infracto, ita ut lingua palatum non feriat, quomodo etiamnum hodie à Gallis pronuntiari ſolet *m* vel *n*, in mediis præſertim dictionibus quum ſyllabam claudunt:

manier edere,
Anvers Andoverpia,
encre atramentum,
Anglois Anglus ſive Britannus,
Anjou Andegavum,
trembler tremere,
ſomne ſomnus,
colomne columna,
combatre pugnare,
Comte comes vel computus.

Sed hic quæri poteſt, quum nulla ſit iſtius ſoni affinitas cum γ, cur potiſſimum eam litteram Græci delegerint, in quam ipſum ν mutaretur; Reſpondeo, non temere id factum videri. Nam primum omnium, quia ν ante has litteras non erat pronuntiandum ſuo illo legitimo ſono, linguæ ſcilicet mucrone palatum feriente, Græci mutandum cenſuerunt, quum Latini nihilominus retinuerint. Jam vero ad hanc mutationem deligenda fuit littera, cujus germana pronuntiatio nullum hic locum habere poſſet. Nam alioqui futurum erat ut lectoribus imponeretur: veluti ſi pro φάλανξ ſcripſiſſem φάλαλξ, vel φάλαδξ, vel aliquid ejusmodi, nata fuiſſet diverſa pronuntiatio ab ea quam debet illud ν infractum ſignificare. Eam igitur litteram delegerunt, quæ, etiam ut velis, pronuntiari legitimo ſuo ſono non poſſit, γ ſcilicet ante κ vel χ, vel ξ. Nam ante γ (ſicut dixi) ſane videtur ea ratio nullum habere locum. Mihi tamen (ut dicam quod ſentio) ſapientiores in eo Latini viden-

videntur, quod ſuum *n* retinuerint, ſicut & Græci ſuum ν ante τ δ ϑ. Sed de his eruditi dijudicent.

Caput LIV.

Summaria omnium fere quæ dicta ſunt ἀνακεφαλαίωσις *exemplo perſtringitur.*

Hæc ſunt quæ ad repurgandam vulgarem pronuntiationem viſum fuit in medium adferre. Proinde quoniam

Jam pervenimus uſque ad umbilicum,

quo res fiat dilucidior, exemplo propoſito, quatenus calamo fieri poteſt, lingua enim id apertius explicaretur,) ceu per tranſennam oſtendemus, quantum vera à falſa, vetus à recentiori, priſca à nuper inventa pronuntiatione differat.

Ιλ. α.

Αὖταρ ἐπεὶ κατέδυ λαμπρὸν φάος ἠελίοïο,
Οἱ μὲν κακκείοντες ἔβαν οἶκόνδε ἕκαστος,
Ἧχι ἑκάστῳ δῶμα περικλυτὸς ἀμφιγυήεις
Ἥφαιστος ποίησ' εἰδυίῃσι πραπίδεσσι.

Quod ſic vulgo exiliter & quaſi pipiendo ſonat,

Aftar epi catedi lambron phaos ieliio,
Hi men cacciondes evan iconde hecaſtos,
Hichi hecaſto doma periclitos amphigiiis
Hipheſtos piiz' idiizi prapideſſi.

Ego me hercle demiror quenquam reperiri qui hanc enervem pronuntiationem patientibus auribus ferre poſſit. Audi igitur quanta majeſtate, & quam ſonore veteres protulerint, hoc modo:

Autar epei catedu lampron phaos êelioio,
Hoi men kakkeiontes eban oiconde hecaſtos.
Hêchi hecaſto dooma periclutos amphiguêeis
Hêphaiſtos poiês' eiduiêſi prapideſſi.

In αὖταϱ vides αυ ſonare ut *au* in *audax*. In poſteriori ſyllaba dictionis ἐπεὶ & aliis quæ per ει ſcribuntur, audis ſonum ex ε & ι conflatum, multumque differentem ab ultima in κατέδυ quæ refert υ Gallicum, à priore in ἠελίοι quæ ſonat *ee* longum, quemadmodum prior dictionis Gallicæ *eſtre*, quod *eſſe* ſignificat: ab ejus antepenultima λι, quæ ſonat ut *ligo*: & penultima οι cum articulo οἱ, quod plane ſonat ut Gallicè *moi*, id eſt μοὶ ſive mihi, *loi* lex. *Lampron* etiam integre profertur per *p*, ut λαμπὰς *lampas*, non *lambas*. Deinde in κακκείοντες, trium κ uniuſmodi & per omnia ſimilis eſt pronuntiatio, nempe *k* vel *q* Latini: & in ejuſdem ultima τ retinet ſonum ſuum præcedente nihilominus ν, nec in δ mutatur. In δῶμα audis

audis longam ex duabus ο minutis conflatam, qualis eſt in Belgica voce *doom* quæ vaporem ſignificat : quum in dictione *dom* quæ dominicam ſive templum cathedrale denotat, ſolum unicum ο, idque breve, audiatur. Rurſus in ἀμφιγυήεις, ποίησε, & εἰδυίῃσι quanta differentia in φι, γυ, η, ποι, ει, δυ, & σι? Inter quas vocales & diphthongos vulgo nihil diſtinguitur, nulloque diſcrimine proferuntur ut ι. In media dictionis ἥφαιστος alium audis ſonum in αι quam in τε aut δε: nempe propemodum eam vocem quam edunt Suevi ſua lingua ſonantes καίζαρ *Kaiſer* : in qua nec α prorſus, nec ι prorſus, ſed tamen utramque agnoſcis litteram. Præterea in ἀμφιγυήεις, in γυ audis γ ſonare ut in *guberno.* Nam γ ante nullas vocales ſonum mutat. Poſtremo in ultimis ποίησε & εἰδυίῃσι, ζ non aliud ſonat quàm prima in *ſedeo* & *ſibilo*, vel ultima in περιπίδεσσι, nec aliquo modo ad ſonum ξ ζῆτα accedit.

Dum hæc meditor, intellexi Dionyſium Lambinum Gallum Lutetiæ, & Petrejum Tiaram Friſium in naſcente Duacenſium Academia, Profeſſores Græcos, hanc emendatam noſtram pronuntiationem ſerio amplecti, promovere, ac ſuos auditores docere. Quod ſi verum eſt, uti ſpero, videbimus brevi ex Academiis tanquam ex equo Trojano prodeuntes adoleſcentes, qui æque expedite Græcè loqui, declamare, & ſcribere poterunt, atque Latine. Et in hac noſtra Brugenſi ci-

 vitate

vitate omnes fere docti hortatu noſtro huic emendatæ pronuntiationi ſe totos dediderunt: atque adeo ipſi ludimagiſtri ſuis diſcipulis viva voce inter Grammatices elementa Studioſe eam inculcant & prælegunt. Qua ratione dici nequeat quantum aliquot hebdomadibus profecerint. Quocirca non eſt mihi multum moleſtiæ ſubeundum, ut ſtudioſos horter ad hanc ſedulo capeſſendam; quum ipſa utilitas cum ſumma facilitate, diſtinctione, & amœnitate conjuncta, ſatis per ſe invitet, & ad hanc rem aditum faciat: quod experientia ipſa, optima rerum magiſtra, vel me tacente, loquitur & declarat.

FINIS.

HUBERTUS GOLTIUS,

TYPOGRAPHUS,

LECTORI.

Hanc de Græcorum Accentibus Appendicem ab homine doctiſſimo conſcriptam Scholiiſque Illuſtratam, ideo hic adjecimus, quod cum Auctoris noſtri inſtituto mirum in modum quadrare videatur. Vale.

DE GRÆCORUM ACCENTIBUS

APPENDIX.

Proſodiæ, id eſt Accentus, pronuntiationi mirifice conducunt. Sunt autem apud Græcos numero ſeptem, ex quibus Toni tres ſunt, nempe Acutus, Gravis, Circumflexus: quibus vocis altitudinem, ſive, ut Græci vocant, τόνον, id eſt intentionem metimur. Sed intentionis nomine Grammatici etiam quod illi oppoſitum eſt, id eſt æquabilitatem & remiſſionem vocis, ipſamque adeo circumductionem comprehendunt.

Ex his igitur

Acutus acuendam & attollendam vocem ſignifi-

gnificat, vocali impoſitus, figura cadentis rectæ lineolæ, ſed ita ut in ſiniſtrum latus vergat ´, ut θεός.

Gravis depreſſionem aut æquabilitatem vocis declarat, eadem linea in contrarium latus propendente `, ut τιμὴ.

Circunflexus monet flectendam & circunducendam vocem: quod fit ſi ſenſim attollas, deinde deprimas. Itaque figuram habet ex Acuto & Gravi conjunctis conflatam, hoc modo ^, vel ex inverſo ypſilo ∩, quæ nota poſtea in iſtam degeneravit ˜, ut ποιῶ.

Tempora ſunt duo, quæ vocalis pronuntiandæ longitudinem declarant, vel brevitatem. Ex iis, longum porrecta longa linea ¯, breve quaſi ypſili nota ˘ pingitur.

Spiritus duo, ſic appellati quod ſignificent, quæ Vocales in quibus dictionibus naturali ſuo ſpiritu, id eſt tenui, ſint contentæ: item quæ denſiorem ſpiritum extrinſecus aſſumant.

Ex his igitur

Denſus in majuſculis litteris pingitur H dimidio ⊢ ut ⊢῀Απτομαι: in minoribus, dimidio circulo ʽ ut ἅπτομαι, ῥήτωρ.

Tenuis ſignatur altero dimidio H: ut ⊣Αὐτὸς: vel hemicyclo ʼ, ut αὐτός.

Loci accentuum.

Nulli olim accentus ſignabantur, ſicut ex vetu-

vetuſtis codicibus apparet. Nunc autem Acutus ſignatur vel in antepenultima, ut κύριος: vel penultima, ut ἀκούω: vel ultima, ut θεός: unde factum ut dictiones vocentur à Grammaticis proparoxytonæ, paroxytonæ, vel oxytonæ, id eſt antepenacutæ, penacutæ, vel acutæ.

Gravem imponi quidem oportuit omnibus ſyllabis quæ neque acuuntur neque circumflectuntur: ſed ne tanta accentuum multitudo lectionem impediret, uſus obtinuit ut in ſola ultima ſignetur, idque in iis tantum dictionibus, quæ, quum natura ſint oxytonæ, in contextu orationis ponuntur, ut ἡ ἀρετὴ τὸν θεὸν τέρπει. Ab hoc accentu dictio dicitur βαρυνομένη, id eſt ad verbum, *gravata*.

Circunflexus inſcribitur vel penultimæ ut βοᾶτε, vel ultimæ ut βοᾷ, à quo dictiones vocantur properiſpomenæ, vel periſpomenæ, id eſt penultima vel ultima circunflexæ.

Temporum nullus eſt uſus in ε & ο, repertis η & ω. In ancipitibus autem α ι υ, negliguntur maximo cum incommodo, invectis in eorum locum tonis, ſicut in Scholiis copioſe oſtendimus.

Spiritus imponuntur Vocalibus omnibus, ſed initio tantum dictionis. In conſonantibus autem nullus eſt illorum uſus: omnes enim ſuo ſpiritu naturali contentæ ſunt. Excipiuntur tantum quatuor, π κ τ & ρ, quæ denſiore aliquando ſpiritu efferuntur. Sed ex illis tres primæ ſuos habent peculiares characteres.

racteres. Ipſum autem ρ quum dictionem inchoat, denſo ſpiritu ſemper ſignatur, ut ῥάπτω: in medio vero non item, ut χρῶμαι, χαρακτήρ. Si tamen geminetur, priori ſpiritus tenuis, poſteriori denſus inſcribi ſolet, ut ἄῤῥην. Dictio igitur denſo ſpiritu notata, dicitur à Græcis δαϛυνομένη, id eſt *denſata*, cui opponitur ψιλουμένη, id eſt *tenuata*.

SCHOLIA IN QUIBUS

diſputatur de germana accentuum pronuntiatione.

Sicut Proſodiarum, id eſt (ut Fabius ad verbum interpretatur) Accentuum maxima eſt in pronuntiando utilitas, ſi quidem recte uſurpentur, quamobrem etiam ab Hebræis Guſtus tranſlatitie vocantur: ita nihil æque pronuntiationem corrumpit atque perverſus earum uſus: de quo paucis mihi putavi aliquid dicendum. Itaque quod ad tonos pertinet (quo vocabulo etiam pro intentione vocis utitur Demoſthenes in oratione περὶ στεφάνου*) quum repertos eſſe conſtet non ut longitudinem, ſed ut altitudinem, æquabilitatem, depreſſionem, circumductionem ſyllabarum metian-*

tiantur, manifeſtus eſt eorum error qui cum alia ſpecie accentuum, id eſt cum temporibus confundunt, ita ut quæcunque acuenda vel flectenda eſt ſyllaba eam producant: quæcunque deprimenda vel æquabiliter pronuntianda, eam corripiant. Ex quo fit ut in Græca oratione vel nullum, vel prorſus corruptum numerum intelligas, dum multæ breves producuntur, & contra plurimæ longæ corripiuntur: ut penè præſtiterit Græca vel Latina non legere, quam ita fœdè depravare. Id autem quam verè dicam, poterit ex Græcorum præſertim exemplis apparere, apud quos penultimæ quantitas ſæpe ab acuto tono diſcrepat, etiam quum longa eſt, contra quam apud Latinos. Age igitur, primum Homeri verſiculum ita pronunties ut vulgo ſolent,

— υ — υυ υ — υυ — υυ υυ —
Μηνιν αειδε θεα Πηλη ιαδεω Αχιληος

Minin a i de thea Pi li i adeo Achilios,

ut de e longo nihil dicam quatuor locis, ſumma cum excellentiſſimi & numeroſiſſimi Poëtæ injuria, in i tenuiſſimam vocalem mutato, quis verſum heroicum eſſe ſentiet, in quo neque Spondeum, neque Dactylum audias? Sequentem autem verſum multo minus etiam percipias, quia non in Spondeum, ſed in Dactylum cadet. Sic enim pronuntiant,

υυ— υ —υ υυ — —υ υ
Ουλομενην η μυρὶ Αχαιοις αλγὲ εθηκεν
oulomenin hi myri Achæis alge ethicen

Age vero cum his Græcis duos etiam primos Æneidos versus componamus, in quibus ingeniosissimus Poëta tanto studio est Homerum imitatus, ut (si unum pedem excipias, in quo etiam sonorum vocalium concursum voluit æmulari) longas longis & breves brevibus opposuerit: quod haud scio an à quoquam sit animadversum, quum tamen (ni fallor) casu id factum videri non possit. Sic ergo pueri in ludis litterariis hodie docentur pronuntiare, aut potius ineptissime cantare:

—υ υ—υ —υ —υυ υ—υ υ—

Arma virumque cano Trojæ qui primus ab oris

υ—υ—υ —υυ υ—υ υ—

Italiam fato profugus, Lavinaque venit

Hac autem ineptissima pronuntiatione quis non sentiat gravissimos horum versuum numeros ita frangi, ut, si duos ultimos pedes excipias, versus videri non possint, contra vero si ita ut par est pronuntiaris,

—υ υ—υ υ— ——υυ υυ—
Μηνιν αειδε θεα Πηληια δεω Αχιληος
Arma virumque cano Trojæ qui primus ab oris

—υυ

— ∪ ∪ — — ∪ ∪ — — ∪ ∪ — ∪
Οὐλομένην η μυρὶ Αχαιοις αλγὲ εθηκεν

Ita li am fa to profugus La vinaque venit.

Si hoc inquam modo pronuntiaris, ſervata ſyllabarum quantitate, etiam ut verſus non digeras in pedes, quis tamen ἄρσιν *&* θέσιν *non audiat, & ſuaviſſima horum verſuum gravitate non capiatur? Certè non minus vitium eſt* ἔθηκην *penultima brevi, aut* οὐλομένην *penultima longa Græcè efferre, quam ſi Latinè dicas*

— ∪ ∪ ∪ — ∪

docere & legere,

ita ut in illo Dactylus, in hoc Amphibrachus audiatur, & tamen ita pronuntiare conſuevimus. Jam vero in Jambicis verſibus, præſertim Latinis, quis Jambum ullum percipiat? cujus tamen pedis repetitione tota eorum verſuum venuſtas conſtat. Solent enim pædagogi vulgo ita ſuos erudire, ut in omnibus diſſyllabis penultimam producant. Itaque ſic recitant hunc Catulli verſum,

∪ – – – ∪ – ∪ – – – –
Quis hoc poteſt videre, quis poteſt pati?

Ego vero putidam istam pronuntiationem miror quenquam esse posse qui possit audire, qui possit pati. Etsi autem hic error legendis versibus facilius percipitur, nihilo tamen est minor in oratione soluta: de cujus numerosa compositione frustra apud Græcos Aristoteles, Dionysius, & alii doctissimi homines, frustra Cicero & Fabius apud Latinos præceperunt, si Tonos cum Temporibus confundamus. Quid igitur? dices. Nempe hoc postulo, aut ratio potius ipsa flagitat, ut acuatur syllaba cui tonus acutus imponitur: æquabili aut depressiore sono proferatur quæ gravem habet: partim acuantur, partim deprimantur quæ signantur circunflexo: sed ita ut (quemadmodum Musici solent in suo illo quinque linearum diagrammate, & nos quoque in vernaculo nostro sermone) solæ longæ syllabæ producantur, solæ breves corripiantur, sive tolli, sive deprimi, vel æquabiliter pronuntiari oportuerit. Tonorum enim & temporum quum diversa sint officia, diversum quoque usum esse par est. Neque tamen nego, brevi syllabæ temporis aliquid accedere quando acuto signo signatur, quantum scilicet necesse est in acuenda syllaba consumi. Sed ut minus sit brevis quam antea, minimè tamen consequitur habendam pro longa, sicut ab iis haberi solet qui Malus arborem à Malus adjectivo non distinguunt: & Dominus perinde pronuntiant acsi Dactylus esset, pro Tribracho. Item ut longa syllaba non acuatur, tamen longa esse non desinit: quod non observant qui ex ἔθηκεν

Da-

Dactylum conſtituunt. Rurſum vero quamvis quæcunque ſyllaba circunflectitur, ea etiam natura longa ſit, quia tamen multæ ſunt ſyllabæ natura longæ quæ non circunflectuntur, Tonus circunflexus à tempore longo ſic diſtingui debet, ut ille quidem altitudinem ac depreſſionem, id eſt circunductionem, hoc vero longitudinem ſolam metiatur, id eſt ut circunflexa ſyllaba ita producatur, ut ſimul initio acuatur, deinde ſenſim deprimatur: ſicut facere ſolent Muſici, quum uni ſyllabæ duas quas vocant breves, unam altiorem, alteram depreſſiorem tribuunt: ceteræ vero longæ, ſi quidem acuto ſignatæ fuerint, tantum acuantur: ſin autem gravi, æquabiliter producantur. At enim, dices, iſta ſunt perdifficilia, & fortaſſis etiam ἀδύνατα, iis quidem qui diverſæ pronuntiationi aſſueverunt. Id ego vero fateor, & in meipſo non invitus agnoſco. Sed nihil vetat rectam viam aliis oſtendere, etiam ut illam ingredi non poſſis. Certè veritas mihi diſſimulanda non fuit, ut paullatim meliora probare & ſequi condiſcamus. Ergo, ut libere dicam quod ſentio, vel Tonos prorſus ſublatos eſſe velim tantiſper dum depravata illa pronuntiatio Tonorum pro temporibus emendetur (quum præſertim veteres conſtet iſtos apices in ſcribendo non uſurpaſſe) vel nullam eorum rationem haberi. Cuperem autem in eorum locum alterum ex temporibus in tribus illis ancipitibus α ι υ, ſubſtitui. & diligenter adnotari. Hoc ego, inquam, ut fiat ſuadeo, quod nullam aliam viæ reſtituen-

dæ pronuntiationis rationem habeam aut meliorem, aut promptiorem : paratus tamen de sententia mea decedere, ſiquis certiora docuerit.

Tempora duo eſſe diximus. Sed ex iis alterutro tantum egemus. Rurſus autem ſyllaba quæ natura longa eſt, ab ea diſtingui debet quæ ſola poſitione longa exiſtit, id eſt idcirco tantum quod duabus conſonantibus adjuncta ſit, quibus pronuntiandis neceſſe eſt moram interponi, ut in τύπτητον *productior eſt penultima quam in* τύπτεσθαι. *Præterea pro qualitate conſonantium quæ vocales ipſas præcedunt vel conſequuntur, inter longas aliæ aliis longiores, inter breves aliæ aliis breviores reperiuntur. Sed hæc ſubtilius perſequi, noſtri non eſt inſtituti. Admoneri tamen pueri debent & aſſuefieri, ut hæc omnia diſcrimina expedite obſervent, ſine quorum cognitione & uſu fieri non poſſe puto ut de numeris orationis recte judicent, & magno cum fructu ſeſe ad virtutes aliorum imitandas componant. Tanti eſt momenti iſta non neglexiſſe, quibus alioquin nihil abjectius videri poſſit.*

Spirituum quoque alteruter videtur abundare, quamobrem etiam apud Latinos ſolus denſus ſignatur, quem adſpirationem vocant, quaſi ſpiritus acceſſionem. Itaque quod in tribus illis adſpiratis litteris diximus, iterum eſt nobis repetendum, eos mihi quidem videri non ſatis recte facere, qui pro adſpirato vel denſo ſpiritu aſperum, pro tenui vel lenem vel lævem ſpiritum dicunt. Neque enim reperti ſunt ſpiritus vel aſperitati vel lenitati, (ut alii volunt) lævitati litterra-

terarum ſignificandæ: ſed ut latitudinem pronuntiationis declarent, quæ quidem vel à copioſo vel à raro ſpiritu proficiſcitur. Id autem vel ex eo liquet, quod hæc proſodia vocalibus eſt dicata, etiam quando adſpiratis litteris adjungitur, nempe φ χ θ ϱ, ut nonnulli volunt.

Vocales autem neque aſperæ neque lenes dici poſſunt, ſed ſyllabæ, ex earum conſonantium natura, quæ vocali adjunguntur. Denſæ tamen dici poſſunt, quando ſcilicet naturali illo ſuo tenuiſſimo ſpiritu non contentæ, alium extrinſecus accerſunt, ut jam quodammodo tenuis ille ſpiritus duplicetur. Quod ſi mihi divinare licet, hujus erroris duplex fuit occaſio. Una, quod aſper ab adſpirato non multum videatur differre, ſi nomina potius quam rem ipſam conſideres: ut plane ſit probabile nonnullos iſta paronomaſia fuiſſe deceptos. Altera quod pro levi ſpiritu nonnulli lenem vel lævem legerunt, quod utrunque aſpero opponitur. Ego vero exiſtimo eos qui tenuem ſpiritum primi levem vocarunt, ejus naturam exprimere voluiſſe. Nam quæ ψιλὰ ſunt, id eſt tenuia & exilia, illa quoque levia ſunt: ſicut è contrario quæ ſunt δαςέα, id eſt denſa & craſſa, illa quoque neceſſe eſt ut gravia exiſtant. Hæc autem ad aſperitatem vel lenitatem ſeu lævitatem, aut (ut nonnulli loquuntur) lævigationem ſane nihil pertinent.

DE CETERIS NOTIS QUÆ partim inſcribi, partim ſubſcribi, partim adſcribi ſolent.

Pinguntur & aliæ notæ, quarum maximus eſt uſus & neceſſaria cognitio, quamvis inter Proſodias non debeant numerari. Ex iis

Inscribuntur duæ, Apoſtrophus & Dialyſis.

Apoſtrophus, id eſt averſio, Vocalium eliſionem oſtendit: & inſcribitur ad latus litteræ eadem forma, qua tenuis ſpiritus: idque plerunque in fine, ut παρ' ἐμοῦ, pro παρὰ ἐμοῦ. Interdum in initio ut ὦ 'γαθέ, pro ὦ ἀγαθὲ: & in medio unius dictionis ex duabus compoſitæ, ut τοὔργον, pro τὸ ἔργον. κἀγώ, pro καὶ ἐγώ. Habet autem hanc vim ut præcedentem conſonantem cui adhæret, ſi tenuis ſit, & proximè conſequatur ſpiritus denſus, mutet in adſpiratam ἀντίστοιχον, ut καθ' ἡμέραν, pro κατὰ ἡμέραν. Idque etiam in duabus conſonantibus conjunctis accidit, ut νύχθ' ὅλην, pro νύκτα ὅλην.

Dialyſis, id eſt Diſſolutio, duabus vocalibus diſtincte pronuntiandis imponitur, duplici puncto ſignatur, ut ἀΐδιος, ἰάκωβος, ἰωάννης. Tetraſyllaba: ἰησοῦς triſyllabum.

Subscribitur una, quam ὑφὲν quaſi Subunionem vocant, quod duo vocabula ſignificet in unum coaluiſſe, pingiturque duabus in lon-

longum porrectis lineolis medio quaſi ypſilo conjunctis ‿ ut μεθ‿ἡμέραν, pro μεθ' ἡμέραν.

Adſcribuntur quinque, nempe

Διαστολὴ, id eſt Diſparatio, tenuis ſpiritus figura, ad imam litteram, idque intra ipſum vocabulum, ut quum ὅ τι relativum ſcribo ad vitandam homonymiam Conjunctionis ὅτι.

Στιγμὴ τελεία, id eſt Punctum perfectum, quo ad imum ultimæ litteræ appoſito, terminantur à Græcis & Latinis periodi, ut ſignificetur, perfecta jam ſententia, quieſcendum.

Στιγμὴ μέση, id eſt Punctum medium, quo terminantur orationis membra quæ Græci κῶλα vocant. Medium autem vocatur, tum quia in media periodo & mediæ litteræ præcedenti adſcribitur, tum etiam quod mediocriter quieſcendum eſſe admoneat, nondum ſcilicet perfecto orationis ambitu. Latini minus proprie id ſignificant uno puncto alteri impoſito, hac figura:

Ὑποστιγμὴ, ſive ὑποδιαστολὴ, id eſt Subdiſtinctio, qua diſtinguuntur orationis Commata, quæ à Latinis Inciſa nominantur. Adſcribitur autem eadem nota qua Diaſtole, ſed diverſo ſitu, ultimæ ſcilicet Commatis litteræ, declaratque non tam quieſcendum quam reſpirandum. Sed à pleriſque Typographis hodie hæc nota etiam Colis diſtinguendis adhibetur.

Ha-


Harum autem trium quibus periodos metimur, exemplum hoc esto ex Demosthene:


Πρῶτον μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις· ὅσην εὔνοιαν ἔχων ἐγὼ διατελῶ τῇτε πόλει καὶ πᾶσιν ὑμῖν· τοσαύτην ὑπάρξαι μοι παρ' ὑμῶν, εἰς τουτονὶ τὸν ἀγῶνα.


Ἐπερώτησις, id est Interrogationis signum, quod apud Græcos pingitur tenuis spiritus nota puncto subscripta, hoc modo;


Parenthesis signum neque in Græcis neque in Latinis codicibus vetustis reperias: sed quæ interjiciuntur, ea solent adhibita utrinque hypostigme distingui.


Solet etiam iis quæ τεχνικῶς, id est, ut Latini Grammatici loquuntur, materialiter accipiuntur, linea imponi. Idque etiam usurpatur ad ea distinguenda quæ & appellativa & propria nomina esse possunt. Sed de his hactenus.



1



2


3



4



5
ΟΒΟΛΟΣ


6


7


8
ΕΛΕΝΙΤΩΝ


9
ΕΛΕΝΙ
ΤΩΝ


ΗΙΣ
ΜΕΝ
10


11


12
Α
Ι
Τ
ΙΣ

13

ΑΤ ΝΙΣΙΟΣ

14

ΠΛΙΤΑ

15

ΡΑΙΚΙΝΕ

16

ΑΚΓΟΥΙΒΤΡΕΒΓΑΛΛΟΣΕΥΣΕΒ

17

ΑΥΚΠΛΙΚΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟΣ


ΚΥ ΖΙΚΗΝΩ ΝΕΩΚΟΡΩ ΓΤΑ ΑΠΟ ΛΛΩΝΙ ΔΟΥ


ΑΑΑ Β Γ Δ Ε Ε Є Ζ Ι Ν Η

Θ Θ Θ Θ Θ Ι Ο Κ Λ Λ Λ Μ Μ


Ν Ν Ο Ο Γ Π Ρ Ρ Ρ Ρ Ε Σ С Τ Υ


Υ Υ Υ Φ Φ Φ Φ Φ Χ Ψ Ω Ω Ω ω



ΑΥΤ·Κ·Π·ΛΙΚ·ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟϹ ϹΕ
18
*



19
*


20
*
Α ΘΕ


21
*



ΚΥ ΖΙΚΟϹ
22
ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΝΕΟΚΟΡΩ


23
*



37
*



38
*



39
*



40
*



41
*



42
ΥΕΛΗΤΩΝ



43
ΥΕΛΗΤΩΝ



ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ
44
ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ
ΒΙC ΝΕΩΚ



45



46



47
VOLKA
AISERNINO



24


25



26
HM
I Λ



27



28



29



30
IO SAT
IO



31
FAΞ
ΙΩΝ



32
FA
ΛΕΙ
ΩΝ


ΠΟΛΥ ΡΗΝΙΩΝ
33
ΠΟΛΥ
ΡΗΝΙ


34
ΦAR


35


ΑΥΤΤΙΜΚΤΡΑΙΑΝΟϹΔΕΚ
36
ϹΑΜΙΩΝ


ΑΥΤ·Κ·Μ·ΑΥΡ·ΑΝ
ΤΩΝΕΙΝΟϹ

48


ΦΡΥΓΙΑ
ΚΑΡΙΑ
ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ
ΝΕΩΚΟΡΩΝ


ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΚΑΙϹΑΡ ΟΥΕϹΠΑϹΙΑΝΟϹ ϹΕΒΑϹΤΟϹ

49


ΖΜΥΡ


O

C · PLACENTIOS · HER · F ·
· MARTE · SACROM ·

aversâ . parte

C · PLACENTIVS · HER · F
· MARTE DONV · DEDET ·

p. 292









SIGEBERTI HAVERCAMPI,

De Veteri & Varia Literarum apud Græcos Scriptura & Usu,

DISSERTATIO.

Caput I.

Phœnices literas inveniſſe creduntur, unde φοινικήια literæ dictæ, & ἐκφοινίξαι pro ἀναγνῶσαι. Suidas illuſtratus. Laus Edmundi Chishul. Teïorum Diræ. Cadmus literarum Phœniciarum uſum in Græciam ſecum tulit, unde Cadmeiæ ab illo dictæ, præſertim poſt mutationem picturæ in iiſdem ab Ionibus introductæ. Æoles longius Cadmeia ſcriptura uſi ſunt, eamque per colonias ſuas in Italiam & Siciliam uſque pro-

pagarunt; unde Nummi Siculi, aliique plures, Æolum more, literis Cadmeiis, non Ionicis, cuſi, & a dextra orſi verſus ſiniſtram, more ex Oriente & Phœnicia advecto, ſcripti ſunt.

Phœnices primi, famæ ſi credimus, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.


D ſcilicet, incognita vetuſtiorum temporum ratione, conſtans ferebat diffita per omnes fama, Phœnices primos fuiſſe, qui literarum figuras pinxerint, earumque formam & uſum excogitaverint; quum antea, ne apud Ægyptios quidem, nondum invento plantæ papyri uſu, ulla alia ſignificandi poſteris res geſtas excogitata fuiſſet ars, niſi animalium picturis & magica earundem, ut Lucanus Lib. III. vſ. 226. vocat, lingua. Hinc ipſæ literæ & ſcribendi uſus apud Græcos nomen eorum, a quibus inventæ atque in Græciam invectæ fuerunt, adpellatione ſua indicant, dum Φοινικήϊα vocantur, ut vetuſtiorem vocem, per recentiorem γράμματα explicat Heſychius, & verbum ἐκφοινίξαι per ἀναγνῶναι. Nam apud Suidam Tom. III. p. 639. in Φοινικήϊα γράμματα, voces illæ aliqua nota diſtingui debent, ut non deſignent *Phœnicias literas*, prout in Verſione legitur, ſed literas antiqu-

quitus illam habuisse adpellationem, φοινικήϊα, γράμματα. *Phœnicia, literæ* Quod recte quoque apud Hesychium in φοινικίοις, γράμμασι, ex Sophocle in Ποιμέσιν adlatis, vidit, atque ex Herodoto, Diodoro & Clemente Alexandrino illustravit, raræ eruditionis vir, Edmundus Chishul in Antiq. Asiat. Christianam Æram antecedentibus. Invenerat is φοινικήϊα vocem in Inscriptione antiquissima Teïorum Diris ab ipso dicta, in qua quidem diris quoque subjicitur is, qui columnas inscriptas diffregerit, ἢ φοινικήϊα ἐκκόψῃ, ἤ πῃ ἀφανέας ποιήσῃ. *qui Phœnicias* (id est literas) *exciderit, aut aliquo modo evanidas reddiderit columnas.* vs. 37. Herodoti aliorumque locis eam significationem illustat. Scripserat enim hic Lib. V. Cap. 58. Ἴωνες παραδέξαντες διδαχῇ παρὰ τῶν Φοινίκων τὰ γράμματα... ἐφάτισαν, ὥσπερ τὸ δίκαιον ἔφερε, ἐσαγαγόντων Φοινίκων ἐς τὴν Ἑλλάδα, φοινικήϊα κεκλῆσθαι. *Confessi sunt Iones, literas, prout æquum fuit, ratione Phœnicum, eas Græciæ inferentium, nomen habuisse* φοινικήϊα. Diod. Siculus Lib. III. pag. 340. Κοινῇ τὰ γράμματα Φοινίκια κληθῆναι, *Vocatas fuisse literas vulgariter* φοινίκια. Clemens denique Stromat. Lib. I. p. 132. Herodoti testimonio usus, adfirmat, eundem scripsisse Φοινικήϊα τὰ γράμματα κεκλῆσθαι *literas* φοινικήϊα *vocari*,

Ex Phœnicia in Græciam literas Cadmus inportasse legitur, unde Cadmeiæ eædem vocatæ sunt, non quidem eo vocabuli usu quo

ipsa γϱάμματα, ante ejus vocis ab arte sculptoria derivationem, dicta fuerant φοινικήϊα, sive φοινίκια, sed in honorem monstratoris Cadmi, quod tanto magis factum fuit aliquanto post, ad distinctionem novæ reformationis, a Græcis, qui Iones dicebantur, in iis, quas incolebant, terris, introductæ; quum Æoles, alia Græcorum natio, vagis sedibus fatigata, & colonis in Italiam & Etruriam usque una cum lingua propagatis, inclyta, primævam & antiquam scripturam longius retinuerit. Neque enim ipsa modo literarum figura, sed & scripturæ ordo mutationem apud Iones passa fuit. Quum enim Cadmus secum ex Phœnicia illum scribendi ritum adtulisset, quo, incipiendo a dextra sinistram versus omnes Orientis populi, & inter illos Phœnices, Ægyptii quoque, teste Herodoto Lib. II. Cap. 36. exarare literas solebant, Iones ordinem mutarunt, primique omnium a sinistra versus dextram scribere instituerunt. At Æoles, illorumque coloni, diutius veteri scripturæ adhæserunt, atque Phœnicum scribendi morem colonis non modo in Græciam, sic proprie dictam, sed & in Italiam & Siciliam missis, late propagarunt. Et hæc quidem caussa est, quod in quibusdam Siciliæ nummis ejusmodi scripturam hodieque observemus, sicuti docent inscriptiones nummorum qui in urbe Gela, Himera, Segesta, aliisque cusi sunt.

Cap.

Caput II.

Exempla Cadmeiæ ſcripturæ & Cadmi literarum in variis Græciæ, Magnæ Græciæ & Siciliæ, nummis. Nummus Tyliſiorum in Thracia, Symbolum in eo Apollinis cum pelle detracta Marſyæ. Singularis urbis Pomeſiæ nummus & ineditus. Taurus cur Neptuno jungatur. Pertinet ad Sueſſam Pometiam, antiquitus Pomeſiam dictam. Litera S. duplicem paſſa apud Latinos mutationem. Hyriæ ſive Hyrinæ nummus valde ſingularis. Minotaurus cur in multis Magnæ Græciæ nummis. Literarum in Hyriæ nummo ſingularis pictura. Apices literis Υ. *&* Ι. *inſcripti, hactenus non obſervati. Quid ſignificent. Strabo emendatus. Hyrii Cretenſium coloni. Strabo, ejuſque librarii defenduntur. Hyria antiquitus videtur Ouroina dicta fuiſſe. Nova de his apicibus conjectura ex antiquo marmore confirmata. Begerus refutatur. Hyria, & Hyrium, unum oppidum &*

ubi situm. Nummus Parutæ ad Hyrium pertinens, perperam inter Siculos relatus. Facies in eo Pasiphaes, cum Minotauro prole ejusdem.

Exemplum quoque hujus scripturæ, non modo urbium Magnæ Græciæ, sed & proprie dictæ, numismata servant, quod exemplis rariorum quorundam, ad ipsos nummos, accurate delineatorum, illustrare juvat.

Num 1. Caput elegans muliebre, peculiari capitis tegmine ornatum, Junonis, ut arbitror; ab altera parte Apollo nudus cernitur, stans, capite laureato, dextra, ut mihi videtur, exuvias de devicto adversario, Marsyæ pellem, tenens, læva arcum; ante pedes arbor laurus est, inscriptio & literarum forma & Phœnicia scriptura notabilis sic concipitur, NOIΞIAYT pro TYAIΣION. *Explicavit hunc nummum atque edidit in Thesauro Frid. sive Gotha Numm. Chr. Sig. Liebe, nitidiorem vero pulcherrimi nummi, qui in Museo nostro adservatur, hîc typum damus. Argenteum esse adposita lunula indicat.*

Credidit doctissimus Antiquarius bacchantem depingi, larvam manu dextra, læva tympanum tenentem; adponi vero arbusculum, quod oscilla bacchantes ex arbore suspendere solerent. Nummo integerrimo peni-

penitius inſpecto, figura virilis ſatis ſeſe prodere viſa fuit, caput laurea cingi, quod læva tenet, longitudine & curvitate ſua, arcus non tympanum vel crotalum eſſe deprehenditur; quare quod, dependente lacinia, dextræ impoſitum cernimus, Marſyæ pellem deſignare crediderim; arborem, quæ ante pedes eſt, laurum; ſigna, quæ cuncta Apollini eximie conveniunt. Tylis autem urbs fuit Thraciæ, Gallorum, qui Brennum ſecuti fuerant, ſedes; de qua meretur conſuli Liebeus lib. cit. p. 202. De literarum figura ſuo loco acturi ſumus; ſufficit nunc Cadmeiam ſive Phœniciam ſcripturam in Thracicæ Urbis, quæ Æolum propterea videtur fuiſſe colonia, inveniri. Succedunt Græcæ in Thracia urbis nummo, duo alii in Magna Græcia cuſi, atque eodem modo, prior quidem ab utraque parte, poſterior ab una tantum, vetuſtam Æolum, conditorum ſuorum, Phœniciam retinentes ſcripturam.

Num. 2. A parte nummi priore cernitur ſtans Neptunus, maris Deus, tridente, quem ſupra caput, vibrantis more attollit, minax. Ab altera parte taurus cernitur, ſolita feroci deo offerri hoſtia; inſcriptio ab utraque parte literis & ſcriptura eadem eſt, ΞƎΜΟΠ pro ΠΟΜΕΣ. id eſt, *Pomeſiorum*. Neque omittendum videtur, ſic ab utraque parte deprimi ſignatas cum area ſua figuras, ut circulus ille rotundus latuſque alte emi-

 neat,

neat. *Ex Museo nostro, Antiquariis hactenus incognitus & ineditus.*

Suessa Pometia, nobile olim Volscorum fuit oppidum. Hanc ἡγεμόνα τȣ̃ ἔθνȣς, *primariam gentis urbem* Dionys. Halicarn. Lib. VI. p. 364. vocat, & μετρόπολιν τῶν Οὐόλσκων, *Volscorum metropolin*, Strabo Lib. III. p. 159. *Pomesii* non *Pometii* in hoc nummo cives vocantur, antiqua literæ Σ. scriptura. Unde adparet ea ætate, quo cusus insignis hic nummus fuit, Pomesiam non Pometiam dictam hanc urbem fuisse; literam vero Σ. mutationem passam fuisse in T. sicuti S. Latin. in nominibus *Valesiorum*, *Fusiorumque* ubi mutata fuit in R. dictis iisdem *Valeriis*, & *Furiis*, prout, teste Servio ad Virg. IV. 219. *asas* non *aras* veteres dixerunt. Sic pro Pomesiis antiquis recentiores Pometios se vocarunt, inque Historia Romana urbs ipsa non Pomesia sed Pometia audit. Quod haud longe a mari aberat, cultuque Neptuni, ut videtur, illustris, Neptunum Deum, & marino deo dicatam victimam taurum, monetæ suæ impressit.

Num. 3. Suessæ Pometiæ succedit Hyria, sive, ut in nummis constanter vocatur, Hyrina; exhibent enim illi a parte priore Minervæ caput galeatum. In deæ galea, præter cristam insignem, oleagina corona, & sacra avis, noctua, conspicitur. Posterior pars Minotaurum exhibet gradientem, cum inscriptione, eodem, ut præcedentes, more posita,

ſita, ANIqY pro YPINA, quæ quidem communis nummorum hujus urbis apud eorundem editores Laurentium Begerum, Proſperum Pariſium, Marcum Majorem, atque Albericum de la Motraye, eſt lectio, ſed in hoc nummo argenteo, ut ſunt hujus urbis omnes, peculiaris pictura literarum obſervanda inſuper venit. *Ex Muſeo noſtro.*

Quod propter literarum picturam notabilem hunc dixerimus nummum, haud immerito a nobis factum eſt; ſingulæ enim ab Ionico alphabeto diſcrepant, atque diverſa ratione formantur, prout ſingulas alphabeti ordine examinaturi ſumus. Sed & haud prætereundi ſunt apices, qui clariſſime in hoc nummo ſeſe manifeſtant, atque ſupra primam & tertiam literam conſpicui exiſtunt. Et quidem certiſſimum eſſe puto haud fruſtra hæc puncta poni, itaque quid ſibi velint, inquirendum eſt. Urbs ipſa, Hyria vocatur ab Herodoto, qui illam adſerit in Meſſapia fuiſſe ſitam; teſtatur enim Lib. VII. cap. 170. Cretenſes, poſt mortem Minois regis, qui in Sicilia occubuerat, iterum patria ſua egreſſos, tempeſtatibus in reditu vexatos fuiſſe, atque in Iapigum litore naufragio facto, amiſſa redeundi in patriam ſpe, in nova terra conſediſſe, urbem Hyriam ibidem condidiſſe, & deinceps, mutato patrio Cretenſium nomine, Iapiges Meſſapios dictos fuiſſe. Verum eandem hanc urbem Οὐρίαν ſive *Ourian* vel *Urian* Strabo vocat Lib. VI.

 p. 431.

p. 431. Verba Strabonis, quæ levi emendatione indigent, propter fidem auctoris, quæ hujus nummi ſcriptura contra magni Commentatoris dubitationem videtur defendi poſſe, ipſa adſcribam. Ἐπὶ δὲ τῷ ἰσθμῷ μέσῳ Οὐερίοι (MSS. habent Θυερίαι, editi Θυερίοι, ſed punctum ex litera Θ. tolli debet) ἐν ᾧ βασίλειον ἐπιδείκνυται τῶν δυνατῶν τινός. Εἰρηκότος δ' Ἡροδότου Οὐρίαν εἶναι ἐν τῇ Ἰαπυγίᾳ, κτίσμα Κρητῶν πλανηθέντων ἐκ τοῦ Μίνω στόλου εἰς Σικελίαν, ἤτοι αὐτὴν δεῖ δέχεσθαι, ἢ τὸ Οὐερητόν. *In medio iſthmo Urei, ubi regia oſtenditur cujusdam quondam ditione aliqua præditi. Enimvero quum Herodotus dixerit Urian eſſe in Iapygia conditam a Cretenſibus, qui a claſſe Minois in Siciliam profecta, eo evagati ſunt; aut illam urbem obtinuerint oportet, aut Veretum.* Ad hæc Strabonis verba edit. Almeloven. p. 431. in Notis hæc leguntur verba: " Strabo apud Herodotum Οὐρίην, non Ὑρίην, legiſſe videtur, ſed ſcripſiſſe eum Ὑρίαν potius quam Οὐρίαν cenſeo, ad Herodoti exemplum, & corruptum a librario eum locum. " At ego librarios corruptelæ crimine abſolvi poſſe puto, oculos Strabonis non fuiſſe deceptos, vrbemque ipſam ſic fuiſſe dictam prout ipſe vocavit, nempe Ouriam ſive Uriam, &, ut in nummo exſtat, Ouroinam. Puncta enim hæc, quæ primæ atque tertiæ literæ ſuperponuntur, minime otioſe poni exiſtimo, ſed, literæ O. vicem explere, atque O μικρὸν deſignare. Nam, quum, ut in

in ultima Alphabeti litera demonſtraturi ſumus, antequam literæ o μέγα dictæ nova ſcriptura, atque ab illa, quæ tenuiori proferebatur ſono, atque inde nomen traxit, diſcrepans, inveheretur a Simonide, ſcriptura majoris minoriſque literæ O. erat eadem, pronunciatio differens. Exilem igitur literam, tenuioriſque, quam germana quaſi ſua, gemellaque habebat ſoror, Cretenſes Hyrini, antiquitus Urini, Ourini, imo Ouroini vocati, in vetuſto hoc nummo ſupra proximas ipſi collocarunt vocales, quaſi hac poſitione ejus vis a litera quæ o μέγα erat, diſtingueretur. Quod ne temere ſuſpicari & nimis religioſe ex unius nummi ſcriptura videar, antiquiſſimum adducam alterius generis teſtem, quo itidem punctum hoc ſive o μικρὸν ſupra Υ. literam adſcribi obſervavi. Neque ficulneus is ſed marmoreus eſt, Heracliti Philoſophi marmoreum caput, cum hac inſcriptione ΗΡΑΚΛΕΙΤΟϹ ΒΛΥ̊ϹΩΝΟϹ ΕΦΕΣΙΟΣ. Id eſt, *Heraclitus, Blouſonis filius, Epheſius.* Ex qua nominis hujus veteri pronunciatione factum eſt, ut Βλύσωνος, *Blyſonis* filium dixerit Diogenes Laertius p. 548. Βλόσωνος, *Bloſonis* Suidas Tom. II. p. 72. Exſtat marmor apud Fulvium Urſin. fig. 65. Begerus Tom. I. Theſ. Brand. p. 321. diſputat, num inſcriptio hujus urbis nummorum recte legi poſſit ΥΡΙΝΑιων. quemadmodum ΜΥΡΙΝΑίων, in nummis urbis Myrinæ in Æolide.

Et

Et hanc quidem rejicit ſententiam, non alia de cauſſa, niſi quod conſtanter ſcriptores urbem hanc Uriam ſive Hyriam, non vero Urinam vel Hyrinam vocent. Itaque ſecus aliquid comminiſcitur, quod an magis placere poſſit, magnopere dubito. Quoniam ſcilicet Minervæ (quæ non modo Athenis aliisque in Græcis urbibus, ſed & in Creta culta fuit) caput in priore nummi parte viſitur, conjicit ad deam pertinere alterius partis inſcriptionem, ejuſque deſignare epitheton, quo ab urbe Hyria, ubi colebatur, Hyrina dicta fuerit. Verum, non animadvertit ſcrupuloſus conjectator, ab Hyra derivari Hyrinam, ſicut a Myrrha derivatur Myrrhina & ſimilia, verum ab Hyria non Hyrinam, ſed Hyrianam dici oportuiſſe Minervam. Scio Hyrinos populos in Italia a Plinio recenſeri Lib. III. cap. 11. p. 168. edit. Hard. *Corinenſes, & nobiles clade Romana Cannenſes, Dirini, Forentani, Genuſini, Herdonienſes, Hyrini, Larinates cognomine Frentani*, Verum hos non a nomine hujus Urbis Uria ſeu Hyria, cum Harduino, ſed ab Hyrio, ſicuti Netinos a Netio dictos fuiſſe puto.. Hyrium enim, cujus oppidi Ptolemeus mentionem facit, vocari hæc urbs quoque videtur a Dionyſio Periegete vſ. 379.

Φύλατ' Ιηπύγων τεζανυσμένα μέσφ' Ὑρίοιο
Παρραλίας Ὑρίȣ, τότε σύρεται Ἀδριὰς ἅλμη
Πόντον ἐς ἀγχίπορον Ἀκυλήϊον.

Uſ-

Usque sub æquoreas Hyrii tendentia sedes
Gentis Iapygiæ: qua volvitur Adria vastus
In freta vicini subiens Aquileïa ponti.

Quod quidem Hyrium, quum, sicuti ex ipsa loci positione, facile colligatur non aliud fuisse oppidum, quam quod Hyria adpellaretur, constantem veterem scriptorum auctoritatem in partes immerito vocavit Begerus; ut taceam cognomen Deæ, si tribui illi deberet, potius a fronte ejusdem, & priore nummi parte, collocandum fuisse, non ubi Cretensis coloniæ adsit symbolum Minotaurus.

Atque hæc de urbe Hyrio, Hyria, sive Uria & Urio, quæ insuper in nummis ΥΡΙΝΑ & ΟΥΡΟΙΝΑ dici videtur, sufficerent, nisi antiquissima pariter nominis scriptura nobis obversari videretur in argenteo paritur nummo, quondam a Philippo Paruta vulgato, atque inter Panormitanos Tab. XIII. num. 139. relato. Jam ante annos undecim, quum Commentarios in Numismata Parutæ, Thesauro Italiæ & Siciliæ insertos, ederemus, suspicati fuimus nummum illum non ad Panormum vel Carthaginenses sed ad Hyrinos sive Hyrinæos pertinere. Qui quidem spectabilis est nummus, quod sicuti Minotaurum ab altera parte, sic non Minervæ, ut passim hujus urbis nummi, sed Pasiphaës, nivei amore juvenci infamis, faciem a priore referat; sic ut duo monstra idem nummus depingat,

furiali

furiali libidine accensam mulierem, & fœtum biformem; quando, ut canit Ovid. Metam. Lib. VIII. vs. 132.

—— —— torvum ligno decepit adultera
taurum,
Dissortemque utero fœtum tulit.

In illo certe nummo ΥΡΙΝΑ cognomen Minervæ esse haud potuit, quum & alia conditione virgo, & longe alius faciei ornatus in eodem conspiciatur, quem, ipso quoque literarum ductu notabilem, operæ pretium est apud Parutam inspicere.

CAPUT III.

Nummus Rhodius. Litera O *medio literæ* Υ *inserta. Nova observatio de hoc more, qua illa de Apicibus ad nummum præcedentem confirmatur. Ialyssus Heros in nummo expressus, Rhodius, Solis nepos, pater Cercaphus inter Heliades. Urbs ejus nomine Ialyssus dicta, Rhodo antiquior, cum nova urbe Rhodo coaluit; Homero cognita. Pictura Ialysi, Protogenis mirandum opus, Rhodi*

Rhodi decus; hiſtoria Demetrii urbem obſidentis, pictura Romam tranſlata, cum templo Pacis arſit. Picturæ damnum aliquatenus nummo reſarcitur.

Saltum nunc faciamus longiſſimum, &, ſi vera noſtra eſt conjectura, quam viriſimillimam putamus, in Aſiam uſque, claramque ſuo Sole Rhodon.

Num. 4. Caput Apollinis laurea corona cinctum. Ab altera nummi parte cernitur figura nuda, virilis, neſcio quid manu tenens, dextram (ibi enim detritior nummus erat) extendens; læva manu, lævoque cubito lyræ innititur, adeſt inſcripto ΙΑΛΑΣΟΥΣ. *Ialaſous.* Ο μικρὸν enim, ſingulari prorſus more, prouti in præcedenti nummo Hyrinæ, vocali Ι & Υ ſuperponebatur, ſic in hoc nummo more haud minus notabili, literæ Υ ſic inſeritur, ut, ubi ejusdem cornua ſurgunt, clare poſitum in medio agnoſcatur. *Nummus æreus, quod adpoſitus aſteriſcus docet, eſt, ex Muſeo Goſuini Uilenbroekii, quod Amſtelodami apud poſſeſſorem, valde conſpicuum rarioribus in quocunque genere numiſmatis, exſtat.*

Ineditus hic atque Antiquariis incognitus nummus, ſicut præclare nos docet, ſolitos aliquando fuiſſe veteres literam, Ο μικρὸν dictam, alteri literæ inſerere, atque cum illa ſociare, ita viciſſim a nobis lucem capere mere-

meretur. Figuram, heroum more, nudam in hoc nummo expressam, non alium designare opinamur, quam Jalysum. Habebatur is Rhodius, a quo vetusta urbs ejus insulæ Ialysi nomen traxit. Erat ista septentrionem versus, haud longe a recentiore Rhodiorum urbe, cognita veteribus, qui passim illam cum duabus aliis, Lindo & Camiro jungunt. Prima vetustæ hujus urbis mentio apud Homerum occurrit, in cujus codicibus Ἰηλυσσὸς vocatur Catalogo Navium, qui exstat in fine Libri II. vs. 163.

Λίνδον, Ἰηλυσσόν τε, καὶ ἀργινόεντα Κάμειρον.

Lyndum, Ielysumque, & splendidam Camirum.

Idem urbi nomen apud Ptolemæum est. Diodoro Siculo Lib. IV. cap. 60. Ἰάλυσος adpellatur, ut & Straboni, quos deinde alii, Latinique passim, *Ialysum* vocantes, sequuntur. Regio quoque circumjacens Ἰαλυσία, *Ialysia*, Diodoro Lib. V. cap. 57. Athenæo Lib. VIII. cap. 16. Ἰάλυσος, Ialysus dicebatur. Amisit & nomen, & sedem & incolas una cum reliquis, nova urbe Rhodo in eadem insula condita, cui, sicuti proxima erat Ialysus, ita prima cum eadem coaluit. Ialysum Solis sive Apollinis filium vel nepotem perhibent fabulæ, de cujus avo vel patre hæc habet Cicero Lib. III. de Nat.

Deor.

Deor. cap. 21. *Quartus is, quem heroicis temporibus Achanto Rhodi peperisse dicitur, Ialysi, Camiri & Lindi.* Plures videlicet ibi Soles seu Apollines, diversis patribus natos, ex Theologorum mente commemorat Cicero; quem ante oculos, ut recte notavit Jac. Gronovius, habuit Arnobius, quum scriberet Libro IV. *Quartus, Ialysi pater quem Rhodi peperit heroicis temporibus Acantho.* Qui nepotem Solis faciunt, Cercaphum illi & fratribus patrem dant, Solis ex Cydippe nympha filium. Hi fratres Ἡλιάδαι *Heliadæ*, quasi *Soligenæ*, veteribus dicti fuerunt, teste Strabone Lib. IV. p. 966. Ex quibus omnibus patet, haud vanam esse conjecturam nostram de figura illa nuda stante, quam de Ialyso, Solis filio sive nepote, interpretamur. Nam & patris seu avi, Solis, sive Apollinis, caput in parte nummi anteriore adparet, & lyræ, Apollini sacræ, inniti in posteriore nummi parte Heros cernitur. Denique, ut omne tollatur dubium, adscriptum ipsius Ialysi id nomen evincit, sive in antiquissima, ante conditam Rhodon, urbe, is nummus cusus fuerit, ut sic urbis signetur nomen, sive Rhodii percusserint nummum, Ialyso nimium quantum superbientes, atque imagini ejus nomen Jalysi adscribentes. Notus enim Ialysus est Rhodiorum, Protegenis, summi pictoris, opus; quæ pictura parietina, in suburbio posita, ne aliquam in accerrima urbis per Demetrium

Poliorcetam obsidione labem pateretur, non minus hostes quam cives summopere caverunt, prouti jucunda lectu sunt, quæ hac de re narrant Plutarchus in Demetrio p. 898. & in Apopht. p. 183. Gellius Lib. XV. cap. 31. Ælian. Var. Hist. Lib. XII. cap. 41. Plin. Nat. Hist. Lib. VII. cap. 38. p. 596. & lib. XXXIV. cap. 10. p. 699. Hæc pictura Protogenis, cum aliis ejusmodi artis miraculis Romam translata, & in templo Pacis, a Vespasiano condito, collocata, una cum templo postea, imperante Commodo, arsit atque periit, ut testantur Plinius Lib. XXXIV. cap. 10. & Plutarchus in Demetrio p. 898. Hanc Protogenis tabulam, in qua consummanda, per septem annos insudasse dicitur, quantumvis mire laudent veteres, quo tamen pacto Ialysus depictus fuerit, non docent. Nummus id demonstrare videtur; nudum scilicet fecit, ut heroëm, ut sic summa artis perfectio, in difficillimo labore nudi hominis pingendi, eluceret; stantem deinde atque a parte priore, ut nobilia maxime corporis membra uno obtutu in oculos incurrerent; cytharæ sive lyræ grandiusculæ, & cippo forsitan inpositæ, innitentem, ut originem suam ab inventore ejusdem hoc symbolo indicaret, depinxit Ialysum. Figura dextram extendit, utrum quid manu teneat, adsequi, injuria temporis, non licuit. Inscriptio quoque notabilis est ΙΑΛΑΣοΥΣ *Jalasous*, pro ΙΑΛΥΣΟΣ, *Jalysus*. Inserta scilicet litera O. inter

inter divaricata literæ Υ. cornua. Et quidem hæc vetuſtior nominis pronunciatio videtur fuiſſe, prout conſuetudo mutare multum ſolet, exemplumque ejus rei in Amynta, Macedonico nomine, ex nummo infra 27. peti poſſit, qui enim Amyntas paſſim vocatur a recentioribus, vetuſtiſſimis temporibus Amymtous vel Amyntous dicebatur.

Caput IV.

Thapſus, Siciliæ urbs, ubi ſita, ejus nummus in Sicilia Parutæ nullus comparet. Unus a Paulo Petavio exhibitus. Antiqua & recens in illo ſcriptura, cur utraque. Vox Obolus nummo inſcriptus, ex more recepto, ut in aliis Aſſario; exemplum ſimile in Chiorum nummis. Rauciorum, in Creta, nummus; Neptuni cum Pallade certamen, Neptunus equeſtris. Scriptura Βυϛροφηδὸν *dicta quæ fuerit; exemplum in Rauciorum & Leontinorum nummis; in arca Cypſeli apud Pauſaniam; in Solonis legibus, in Inſcriptione Sigea,* ΡΑΥΚΙΟΙΝ *an* ΡΑΥΚΙΟΜ *legendum. Chiſhulli ſententia proponitur, typi*

explicatio, quam dat, rejicitur. M. *pro* N. *in Nummis & Inscriptionibus antiquis.*

Num. 5. Caput virile barbatum, cui adscribitur ΘΑΨΟΣ. *Thapsus.* Ab altera parte cernuntur arma Herculis, arcus & pharetra cum sagittis; quæ docent, caput barbatum, quod in priore nummi parte est, ad Herculem esse referendum. Sub typo vox ΟΒΟΛΟΣ. *Obolus*, adparet. *Dilineavit nummulum in Portiuncula Vet. Suppell. quæ invenitur Tom. II. Thes. Sallengr. p.* 1038. *Paulus Petavius.*

Duæ hoc nomine urbes apud antiquos memorantur, quarum altera in Africa, altera in Sicilia prope Syracusas, in angulo quodam terræ in mare, adinstar peninsulæ prominentis, sita fuit. Huic posteriori oppido nummulum adjudicamus; is in Philippi Parutæ Sicilia Numismatica non adparet, sed a Paulo Petavio fuit editus in tabulis quibusdam varias antiquitates, sine ulla adjecta explicatione, continentes. Inscriptio nummi observanda venit; differt enim ratione scripturæ prior pars a posteriore. Literæ, quæ capiti adscribuntur, Cadmeo & Phœnicio more, a dextra versus sinistram pergunt; ut in parte altera, ex consuetudine ab Ionibus introducta, a parte sinistra versus dextram sese porrigunt. Cujus rei ratio non ex casu fortuito

sed

ſed conſilio antiquorum quærenda videtur. Antiquum valde eſſe numiſma dubitari nequit, cujusmodi inter numiſmata Sicula plura inveniuntur Phœnicio more inſcripta, ut ſunt Agrigentinorum, Himerenſium, Leontinorum, Segeſtanorum, ipſorumque Syracuſanorum nummi. Non igitur caſu ſed conſilio, ad caput Herculis in hoc nummulo legitur ΣΟΥΑΘ retrogrado ordine pro ΘΑΥΟΣ. in poſteriore vero parte nummi obſervatur recentior ſcribendi mos in voce ΟΒΟΛΟΣ. Hujus differentiæ cauſſam puto quærendam eſſe in antiquitatis imitatione, quam Thapſii adfectaverint (ad originis gloriam & urbis antiquitatem ſignificandam) juxta caput Herculis, quaſi conditorum ſuorum forte progenitoris, adſcribere, quum ex uſu vulgari, monetæ genus & nomen parti alteri adponerent. Ita narratur Solon, Athenienſis legiſlator, quamvis tum Athenienſes Ionica ſcriptura, mutata Cadmea & Phœnicia ſcribendi ratione, diu uſi fuiſſent, in Legum ſuarum tabulis antiquiorem ſcribendi rationem prætuliſſe, ut fuſius ad nummum ſequentem dicturi ſumus.

Vox ΟΒΟΛΟΣ. *Obulus*, in poſteriori nummi parte pretium ejusdem deſignat, quod videlicet obolum valuerit. Neque inſuetum id erat veteribus nummi pretium monetæ inſcribere, plura enim exempla ex ſolis Chiorum nummis ſubminiſtrari poſſunt. Inter quos præter hunc Thapſium atque Siculum

obolum, Petavius duo itidem ſubminiſtrat, qui vocem ΟΒΟΛΟΣ inſcriptam habent, unum itidem in Theſauro Brandenburgico Tomo III. p. 46. vulgavit Begerus. Alii Chiorum nummi pariter monetæ genus inſcribunt, videlicet ΑΣΣΑΡΙΟΝ. *Aſſarium*, ut in octavo Chiorum Tab. XV. apud Goltzium nummo. ΑΣΣΑΡΙΑ ΔΥΟ. *Aſſaria duo*, apud Begerum l. c. & apud Alber. de la Motraye Parte I. Itin. Tab. XIV. num. 11. ΑΣΣΑΡΙΑ ΤΡΙΑ. *Aſſaria tria*, apud Goltzium Tabula citata num. 1. & 3. qualem & ipſe pulcherrimum atque ab iis, quos Goltzius edidit, Archontis nomine, aliisque quibusdam notis diſcrepantem, poſſideo. Is tam magnus & ponderoſus eſt, ut inſpectionem curamque uberiorem mereatur, verum de pondere nummorum nunc ut agamus, neque libelli ſpatium neque tempus permittit.

Num. 6. Neptunus juxta equum ſtans, læva collum equi jubasque permulcet, dextra tridentem erectum tenet. Ab altera parte erecta cernitur ingentis tridentis figura, cum inſcriptione, inſolita literarum forma concepta literisque quæ ΡΑΥΚΙΟΙΝ. *Rauciis.* vel ΡΑΙΚΙΟΜ. *Rauciorum*, videntur legi debere. *Vulgavit hunc nummum N. F. Haimius in Theſ. Britann. Tom. II. p.* 144.

Raucus, Cretæ inſulæ urbs fuit, vicina Gnoſſo & Lycto; maritimam potentiam Neptuni atque tridentis Symbolo in hac moneta ſua ſignificat. Equo Neptunus adſtat maris Deus

pro-

propter decantatam certaminis cum Pallade fabulam, in quo, percuſſa tridenti terra, generoſum equum produxiſſe fertur Neptunus, unde & Neptunus Hippius, tracto inde cognomine, id eſt *Equeſter*, dictus fuit, qualem celebrarunt Raucii. Inſcriptio averſæ partis, præter inſolitam (de quibus ad ſingulas literas acturi ſumus) ſpeciem & figuram literarum, aliquid quoque in ſcriptura peculiare habet; quod videlicet non modo Phœnicio more concepta ſit, ſed & quodammodo repræſentet ſcribendi genus, quod Βȣϛροφηδὸν adpellabant Græci. Similem ſcripturam obſervavi in vetuſtiſſimo Leontinorum nummo apud Philippum Parutam, ex edit. noſtra Tab. XCV. num. 4. ſic inſcripto

ON
ƎΛ

id eſt ΛΕΟΝτίνων. Adpellabatur hoc ſcribendi genus Βȣϛροφηδὸν a Græcis, quod imitaretur boves arantes, ſulcosque, quos retro converſi, ubi ad agri terminum perveniſſent, facerent. Pauſanias, qui Græciæ antiquæ accuratam deſcriptionem dedit, διαύλῳ comparat; erat is curſus ſtadii duplex, ita ut quum curſor ad metam ſive extremum ſtadii perveniſſet, a meta rurſus incipiendo ad carcerem deflecteret. Verba Pauſaniæ, ubi antiquam cedrinæ arcæ, quæ Cypſeli adpellabatur, ſculpturam deſcribit, hæc ſunt, lib.

V. cap. XVII. p. 420. Τῶν δὲ ἐπὶ τῇ λάρνακι ἐπιγραμμάτων ἔπησι τοῖς πλείοσι γράμμασι τοῖς ἀρχαίοις γεγραμμένα. Καὶ τὰ μὲν ἐς εὐθὺ αὐτῶν ἔχει, σχήματα δὲ ἄλλα τῶν γραμμάτων βουστροφηδὸν καλοῦσιν Ἕλληνες· τόδε ἐστὶ τοιόνδε. Ἀπὸ τοῦ πέρατος τοῦ ἔπους ἐπιστρέφει τῶν ἐπῶν τὸ δεύτερον, ὥσπερ ἐν διαύλου δρομῷ. *In arca incisæ sunt priscis literis inscriptiones, recto ordine quædam, aliæ in gyrum revolutæ, βουστροφηδὸν Græci dicunt. A superioris enim versus fine continenter sinuatur ad sequentis initium verborum series, ea nempe forma, quæ est iterati curriculi, quem diaulum adpellant.* Eodem modo leges Solonis, quum eas Archon ipse Athenis conderet quingentesimo octogesimo nono ante Christum anno, novo tabularum genere βουστροφηδὸν inscriptas fuisse notat Edm. Chishul p. 2. ad Inscriptionem nobilem Sigeam, quæ universa ejusmodi scribendi ratione concepta est, atque illustre exemplum hujus scripturæ & antiquitatis exhibet. Ubi quoque hæc idem vir doctus notat. „ Didymus Grammaticus
„ tractatum de Tabulis Solonis περὶ τῶν ἀξόνων
„ τοῦ Σόλωνος, teste Plutarcho edidit. At-
„ que ejusdem auctoris, ex eo forsitan tra-
„ ctatu, non ignobile fragmentum exstat,
„ unde tabulas istas βουστροφηδὸν inscripsas fuis-
„ se discimus. Ὅτι βουστροφηδὸν ἦσαν οἱ ἄξονες καὶ
„ οἱ κύρβεις γεγραμμένοι δεδήλωκεν Εὐφορίων ἐν
„ Ἀπολλοδώρῳ. *Versibus quodammodo aratoriis*
„ *scriptos fuisse axes & cyrbes, Euphorion in A-*
„ *pollodoro prodidit.* Vid. Suidam & Harpocra-

„ tio-

„ tionem in ὁ κάτωθεν νόμος. „ Præterea notandum in nummo occurrit, quod a parte inferiori prima incipiat linea, ſicut in Leontinorum, ſic quoque in Rauciorum nummo, videlicet ſic

KIOM vel KIOIN
VAꟼ

Edm. Chishul p. 126. Antiq. Aſiaticar. hunc nummum ex Haimio profert, atque PAYKIOIN, prout legit Haimius, δυϊκῶς accipiendum putat, & interpretatur *Rauciorum geminorum.* Favet ſententiæ ejus, quod Antenor apud Ælianum Hiſt. Animal. lib. XVII. cap. 35. geminam in Inſula Creta urbem Raucum commemorat, matrem unam, alteram coloniam. Quem vero addit idem typi explicationem probare nequeo, ſitum utriusque urbis exprimi typis partis utriusque, & tridentem ad Raucum maritimam, caballum ad mediterraneam eſſe referendum. Nos diximus jam typum partis prioris ad Neptunum Hippium ſpectare. Valde quoque dubitamus de duabus ultimis literis IN. quæ, ſimul junctæ (& facile olim jungi in nummo potuerunt) literam M. efficiunt. Quæ litera M. & in nummis & in Inſcriptionibus nonnunquam pro N. ponitur, ut infra num. 27. in nummo Amyntæ, Macedonum regis, & in nummo primo Tyliſiorum, ſi recte vidit Cl. Liebeus, nam in meo antiqua figura literæ N. minime M.

adparet. In Inſcriptionibus, ut idem Liebeus obſervavit, exemplum haud unum præbent Marmora Ononienſia, in quibus legitur ΤΗΜ ΠΟΛΙΝ, ΤΩΜ ΓΡΑΓΜΑΤΩΝ, ΤΩΜ ΟΣΙΩΝ. Et hæc de antiquæ ſcripturæ ex more Phœnicio ſufficient, quam apud Græcos antiquiſſimam fuiſſe docet Pauſanias lib. V. p. 444. ubi Agamemnonis nomen in ſtatua ejus Elide, ſcriptum commemorans, ſcribit, γέγραπται ἢ καὶ τοῦτο ἐπὶ τὰ λαιὰ ἐκ δεξιῶν. *Scriptum illud eſt a dextra parte ad lævam excurrentibus literis.*

Caput V.

Heracleæ, Siciliæ urbis, nummus elegans, unde Scyllæ facies cum cane in galea Minervæ Heracleënſis. Urbis conditores Athenienſes, Chalcidenſes & Phienſes; ex alio nummo illuſtrati. Noctua coloniæ Athenienſis Symbolum. Nota adſpirationis veterum Græcorum in initio erat litera Η. *per medium diſſecta. Peculiaria quædam de hac re. Figura diſſectæ literæ in Nummis antiquis; male a Begero lectus nummus Heracleënſinum, qui ex Palatina Gaza in*

in Saxo-Gothanam transiit, unde hoc constet. Nota peculiaris gazæ Mantuæ quondam Ducum. Thesaurus Regius ab Auctore brevi edendus. Laus Chr. Sigism. Libei. Qam antiqua literæ H. *sit dissectio. Duo Insulæ Helenæ nummi, Insula hæc prius Cranae dicta, situs ejusdem. Paridis ibi cum Helena concubitus, unde novum Insulæ nomen. Litera* H *in ordine Alphabeti Græci antiqui ante introductam vocalem* H. *quæ a Simonide inventa fuit. Literæ* H. *scriptura in nummo Hismenæ, aliisque, ut & in Inscriptione antiqua.*

N*um.* 7. Caput elegans Minervæ, galea insigni tectum, quam non modo Nereis in piscem desinens (Tritogeniam enim hanc deam celebravit antiquitas) exornat, sed & emergens ad frontem canis figura; adsunt literæ HPK, ex quibus duæ priores inter se connexæ sunt. Ab altera parte nudis manibus, abjecta clava, leonem suffocans, cernitur Hercules, inter divaricata ejusdem crura sedet noctua, & in margine nummi hæc adest inscriptio, ꟸHPAKΛEIΩN XAΛKιδέων *Heracleensium Chalcidensium*, sic enim

nim conditorum nomen ſimul in nummis ſuis enumerant. *Ex Muſeo noſtro.*

Pulcherrimum hunc nummum plura antiquitatis in eo veſtigia illuſtrant. Nam, quamvis multa urbis Heracleæ, quæ haud ignobilis inter Siculas fuit, numiſmata, cum ab aliis, tum præſertim a Philippo Paruta vulgata ſint, quædam tamen in noſtro inveniuntur notæ, quibus ab omnibus iisdem diſcrepat. Proxime ad hunc noſtrum accedit nummus Parutæ nonus hujus urbis, Tab. CXIX. in quo pars averſa noſtro ſimilis eſt, ſed in parte priore pro literis HPK. inveniuntur A.K.Φ. neque Nereis ſed Triton galeam deæ exornat. Adpictus autem in noſtro catulus ſive canis, oſtendit ſub figura Nereidis depingi Scyllam, illam Siculis naufragiis metuendam, atque apud omnes ſcriptores famoſam. Ovid. lib. III. ex Ponto I. 122.

Scyllave, quæ Siculas inguine terret aquas.

Idem lib. III. Amor. XII. 22.

Pube premit rabidos inguinibusque canes.

Noctua vero Athenienſem, ſicut adjectum Chalcidenſium nomen, Chalcidenſem quoque notat originem; admiſti enim aliis, ut Phienſibus, qui nonnunquam per literam Φ. & adſcripta ſecunda, ΦΙ. in Heracleenſium nummis innuuntur. In illo Parutæ, qui noſtro

ſtro ſimilitudine proximus eſt, tres literæ initiales, a parte capitis A. X. Φ. docent Heracleam Siciliæ, colonos ex urbibus Athenis, Chalcide & Phia, quæ Elidis erat ad Iardanum fluvium, accepiſſe. In noſtro literæ ſunt Heracleam urbem vel cives Heracleenſes denotantes, pro more priſcis uſitatiſſimo, quem jam ad ſecundum nummum vidimus, quo nomen urbis vel civium in utraque nummi parte repeti ſolebat. Sed primaria hujus nummi depingendi cauſſa nota quædam fuit, ſive dimidiata litera, quæ ante vocem ΗΡΑΚΛΗΙΩΝ conſpicitur. Eſt hæc dimidiata pars literæ Η. quæ apud veteres diſſecari ſolebat, hoc pacto Η. ſic ut prior pars, quæ in numiſmate noſtro adparet, aſperum in efferenda voce, poſterior lenem ſpiritum deſignaret. Hanc in initio ipſi lineæ inſerebant, quemadmodum & in litera Ι. quæ poſtea ſubſignari cœpit, ubi tertium vel ſextum caſum ſignificaret, factum fuit. Deinde vero non contiguam reliquis in ipſa linea, ſed deſuper ponere inceperunt, prouti docet Mekirchus cap. XIX. p. 66. ubi, quum ad ipſa Heracleënſium provocet numiſmata, volupe erat unum ex illis, & in eo hanc notam contemplari. Scribitur enim in noſtro clare ͰΗΡΑΚΛΗΙΩΝ. atque in multis Parutæ nummis, non animadverſa ab editore vel ſculptore, reponi debet, ut in hujus urbis adductæ Tabulæ num. 1. 2. 4. 6. 8. 9. 10. punctulo quodam in reliquis, litera Ι. in decimo, quæ

trans

transversim ad dextram in medio extendi debet, rei ejus testibus superstitibus. In nummo quoque, quem ex Thesauro Palatino produxit Begerus p. 204. ita inscripto A. FHPAKAEIΩN. prior quidem litera Athenienses, ut hujus urbis colonos spectat, sed secunda emendari, ablata superiori linea, debet, est enim, ut in nostro, mera nota adspirationis, & litera H dimidia parte sui ablata. Non publicavit nummum hunc idem Begerus in Thesauro Brandenburgico, quoniam una cum gaza Palatina ejus generis, ad novum possessorem haud venit, sed jam ante transierat ad Thesaurum Fridericianum, quod mihi liquido adparet ex inpressa aquilæ nota, qua olim Mantuæ duces, qui pulcherrimorum nummorum, nunc varie dispersorum congeriem collegerunt, omnes suos nummos insigniri fecerant, sic ut in argenteis aurea, in aureis argentea incusa adpareret aquila. Ex ista Ducum Mantuæ gaza præstantissimos nummos Thesaurus noster Regius, propediem, sculptis jam cunctis tercentenum superantibus numerum tabellis, vulgandus, continebit. Denuo, accuratius, quam fecerat Begerus, in Gotha Nummaria edidit amicus noster, candoris atque eruditionis raræ vir Christ. Sigism. Liebe, ubi recte docet veram lectionem horum nummorum esse HPAKAHIΩN. non HPAKAHTΩN, qui Parutæ error evenisse videtur, quod margo nummi in omnibus (quos ego quidem vidi) hisce nummis ita

ita literis ſit contiguus, ut facile dubium I. an T. legi debeat, oriri poſſit. Recte quoque idem pag. ibid. 175. evincit Ariſtophani Byzantio, ut quidam volunt, hanc hujus literæ diſſectionem tribui non poſſe, ut qui hiſce nummis longe poſterior tempore fuiſſe inveniatur. Veritas eadem patet ex ſequentibus Helenitorum nummis.

Num. 8. & 9. Caput elegans muliebre, bene ornatum. Ab altera parte, in primo veſpertilio adverſa, in volatu alas expandens, cernitur, ſubſcribitur ꟷΕΛΕΝΙΤΩΝ. *Helenitarum.* in ſecundo nummo caput a parte priore illi, quod in præcedenti nummo eſt, ſimile cernitur, a poſteriori inſcriptio eſt eadem, ſed depingitur vas utrimque anſatum. *Edidit Goltzius in Græcia Tab. VIII. num.* 1. & 2.

Quæ dicta ſunt de ſpiritu aſpero ejusque figura antiqua, egregie his duobus nummis confirmantur. Cuſi ſunt in inſula Helena, quæ & Cranaë dicebatur. Sita erat ex adverſo Athenarum, ante promontoria Thurium & Sunium. Famoſa fuit primo Paridis cum Helena concubitu, teſte Homero Iliad. lib. III. vſ. 443.

Οὐδ' ὅτε σε πρότερον Λακεδαίμονος ἐξ ἐρατεινῆς
Ἔπλεον ἁρπάξας ἐν ποντοπόροισι νέεσσι
Νήσῳ δ' ἐν Κραναῇ ἐμίγον φιλότητι καὶ εὐνῇ.

Neque quando prius te Lacedæmone ex amabili

Na-

Navigabam, rapturus pontigradis navibus;
Insula in Cranaë, ubi mixtus sum amicitia
& lecto.

Ex quo tempore videtur Helenæ quoque nomen huic insulæ datum fuisse; neque aliam faciem quam ipsius Helenæ in nummis exprimi puto. Vespertilio & vas utrimque ansatum, nos docent, quod sicuti Athenæ noctuis, sic Helena vespertilionibus abundaverit, quodque ibi optima figulina vasa conficerentur.

Num. I. HIΣMEN. id est, HIΣMENίων. *Hismeniorum.* Vas utrimque ansatum. Ab altera parte ingens, sine ulla inscriptione, exprimitur clypeus.

Antequam a Simonide vocalis longa H introduceretur, atque inter alphabeti literas, communi consensu, reciperetur, litera H, sicuti originem suam ח Hebræorum octavæ literæ, sese debere ultro figura sua fatebatur, sic quoque octavum in Alphabeto Græco locum obtinebat, atque sibi proprium sonum edebat, unde HEKATON scribebant veteres, & HΥΨAΣ (prouti docet depictus infra num. 47. nummus) HIMEPAION, HIΣMEN. in veteribus nummis occurrunt, prouti observarunt Ezech. Spanh. de Usu & Præst. Numism. Diff. II. p. 95. & Edm. Chishul ad Inscript. Sigeam pag. 6. & 7. ubi ex eadem observatione docet vocem Ἡθμὸν contra Lexicographorum dubitationem adspirari debere, quum HHΘMON in antiquissimo lapide Sigeo scribatur.

Ad

Ad oculum ſcriptura vetus in depicto Hiſmenæ urbis nummo adparet. Fuit hæc olim in Bœotia, unde Clypeus Bœotorum, & cantharus Bacchi in eodem exprimitur.

Caput VI.

Nummus Athenienſis cum capite Cecropis biformis. Cur talem eum pinxerint. Antiquiſſima literæ A. *Scriptura. An Antiſthenis Philoſophi Athenienſis, Cynicæ ſectæ conditoris, caput in nummis. Haimii Conjectura de iisdem examinatur & refellitur. An Veneris* Πανδήμȣ *vultus in nummo, ſignum ejus æreum Elide, & ejusdem habitus. Nova hujus, & Antiſſæ urbis nummi, explicatio. Pentagoni, quod & Pentalpha dicebatur, figura in nummo urbis Æolidis Pitanes. In ejus typi rationem inquiritur.*

Hiſce præmiſſis ad ipſum Alphabetum nos conferamus, ſingulas illius literas, illarumque figuras ex antiquaria nummorum penu illuſtraturi.

Num. 11. Caput geminum, veluti Jani bifrontis in Romanorum nummis pictura ſolet

 eſſe;

esse; ex binis capitibus alterum virile est, alterum muliebre. Ab altera parte Minervæ cernitur caput galea tectum, depressiori tetragono inclusum, cum epigraphe ΑΘΕναίων. *Atheniensium*, in quo nummo non modo peculiaris literæ A est figura, sed litera E quoque pro H. ponitur. *Edidit Haimius in Thes. Britann. Tom. I. p.* 156.

Antiquissimus hic Atheniensium nummus, qualem & ipse sed ex ære, atque diversum typo posterioris partis, servo, Cecropis celebrat memoriam; qui quum vagam frænarit libidinem, atque conjugii legem inter antiquos Athenienses instituerit, hinc, qui Cecropis solum incolebant Athenienses, hunc conditorem suum depinxerunt biformem, ut qui in unum, sancta conjugii lege, coegisset marem & feminam. Ab altera parte deæ, Athenarum tutelaris, Minervæ, caput cernitur, & adscriptum urbis sive populi nomen. In inscriptione litera A occurrit, non ea qua nunc & alias signari solet figura, neque enim recta inter duas divaricatas procurrit lineas, sed transversim, ab extremo unius incipiens lineæ, ad alterius usque medium pergit, quæ antiquissima primæ Græcorum literæ videtur fuisse figura, sic enim, quotiescunque in Sigea Inscriptione occurrit, scribi solet.

Num. 12. 13. Caput muliebre, fascia cinctum, sine inscriptione, ab altera parte caput virile barbatum cernitur, miro capitis

tis tegmine, infra quod clava porrigitur, literæ ANTIΣθένης, *Antiſthenes*, adſcribuntur. *Haimius publicavit in Theſ. Brit. Tom. I. p.* 128.

Inſignes hi nummuli faciem & memoriam Haimio propagare videntur Antiſthenis, ejus, qui Socratis auditor atque Diogenis fuit magiſter. Hic, patria Athenienſis, Cynicæ ſectæ conditor exſtitit. Ipſe vero tam robuſto fuit corpore, ut, inter luctatores inſigne nomen adeptus, fortiſſime rem geſſerit in pugna ad Tanagram; ubi inter omnes Athenienſes, præconio Socratis, eminuit. Quæ ſi vel Haimio concedantur, in conjectura tamen de ornatu Antiſthenis adſentiri eidem non poſſum. Is clavam de fortitudine ejus explicat, capitis tegmen ad ceſtus adcommodat, dependens velamen de pallio explicat. At vero fortis in bello Antiſthenes ferro & gladio, non clava rem geſſit, cæſtus, quibus luctatores manus munire ſolent, non magis capiti quam pallium, quod humeris convenit, aptari poſſunt. Omnibus quoque philoſophis, neque Cynicis modo, proprium fuit pallium. Itaque clava ad Herculem referri poteſt, quem imitari volebant Cynici, qui nunquam ſine nodoſo clavigeroque incedebant baculo. Capitis tegmen peculiare agnoſco, ad arcendum frigus & aëris injuriam, propter dependens velamen, aptum. Verum barba illa longa & quaſi caprina negligi non debet, quam ſtudioſe ita incomtam Cynici

alebant, unde apud Perſium Sat. I. verſu 133.

Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.

Caduceum, qui in altero nummo obſervatur, ad eloquentiam ejusdem Antiſthenis refert Haimius, ſed de capite muliebri dubitat, quod ego, ſi in nummo inveniatur, qui Cynici Philoſophi, & principis ſectæ eorundem, qui caninam atque inpudentem vitæ rationem ſapientiæ velarunt titulo, faciem continet, puto ad Venerem, quæ Latinis & Lucretio *Volgivaga*, Græcis Πάνδημος dicebatur, referri commode poſſe. Hanc a Græcis imagine expreſſam aliquando fuiſſe docet Pauſanias, ſignum ejus deæ æneum, quod Elide viſebatur, diſcribens, Lib. VI. p. 516. Καὶ ἐπὶ τῇ κρηπῖδι, ἄγαλμα Ἀφροδίτης χαλκοῦν· ἐπὶ τράγῳ κάθηται χαλκῷ, Σκόπα τοῦτο ἔργον, Ἀφροδίτην δὲ Πάνδημον ὀνομάζουσι. *Et in crepidine Veneris, quam Vulgivagam vocant, ſignum ex ære: capro pariter æreo inſidet, Scopæ opus.* Literæ A. pictura in his nummulis ſimilis eſt præcedenti, eſtque, uti dictum eſt antiquiſſima eadem, quam & Æoles in Italiam ſecum vexerunt. Secunda hujus literæ pictura modo lineam illam qua media ſecatur, rectam, modo inferne arcuatam habere ſolet. Sed novam, quæ mihi modo in mentem incidit, conjecturam, præterire nequeo. Non diſſimilem averſa parte

parte nummum vulgavit Liebeus in Gotha Numm. p. 162. illumque (verius, ut puto) ad Antiſſam Lesbi inſulæ urbem retulit. Sed in typorum explicatione diſſentio. In priore parte Apollinis, Lunæ in poſteriore eſſe judico. Singularis vero admodum & emblematica hujus deæ in poſtica parte eſt pictura, cernitur videlicet humano capite, eminente juxta frontem cornu, ſub mento adparente itidem cornu, ſed quod multo longius prominet, & cui aſtrum ſuperponitur. Velatum idem caput eſt a parte poſteriore. Quo typo lunaris lucis varias mutationes exprimi judico, cornuta enim frons mentumque cornutum corniculantem lunam exhibet, & quidem ab illa parte, in qua facies humanæ ſimilis (cui perperam myſtacem ad nares adpoſitum judico) conſpicitur; quo typo creſcens luna depingitur, cujus lucem, tum nobis adparentem, aſtrum, quod ibidem in nummo adponitur, deſignat. At vero, quod velatum deæ eſt occiput, quid denotare evidentius poteſt, quam decreſcentem ejus lucem, qua ſublata, noctis inducuntur tenebræ, noſtrumque conſpectum, alio converſum, fugit amicum ſidus. Quisquis igitur nummum Saxogothanum cum Haimianis contulerit, agnoſcet, ut opinor, deceptum opinione ſua fuiſſe Antiquarium, neque in Anglicanis illis duobus Antiſthenis caput, ſed Lunæ mutationes depingi. Caput muliebre, Sapphus, poëtæ Lesbiæ, eſſe poteſt, pro quo Apollinis eſt

 apud

apud Liebeum, qui id ipſum quoque ad viraginem illam refert.

Quod vero urbs Antiſſa ſororem Apollinis Dianam tam eleganti, quam inuſitato in veteribus nummis ſcemate, pinxerit, peculiari cauſſa caruiſſe non exiſtimo. Si enim Solis & Lunæ cultus ſignificaretur, poterat ſufficere Dianæ caput, luna in fronte (ut ibidem creſcens paſſim in ſtatuis & nummis cernitur) emicante. Sed ſubindicare forſitan privatum urbis ſuæ fatum voluerunt Antiſſæ urbis cives, quod olim inſulæ poſtea continenti adhæſerit, ſuaque conditione mutata Lesbo Inſulæ novum dederit nomen. Volunt enim antiqui Iſſam dictam fuiſſe, quæ poſtea Lesbus dicta fuit, quodque è regione ejus Antiſſa jaceret, ſicuti in Phœnicia Antaradus oppoſita Arado, inde nomen accepiſſe. Strabo lib. I. p. 60. Ἡ δὲ Ἄντισσα νῆσος ἦν πρότερον, ὡς Μυρσιλός φησι, τῆς Λέσβου καλουμένης πρότερον Ἴσσης· καὶ τὴν νῆσον Ἄντισσαν καλεῖσθαι συνέβη· νῦν δὲ τῆς Λέσβου πόλις ἐστιν. *Antiſſa inſula pridem fuit, ut Myrſilus ait, quod tum Lesbi nomen Iſſa eſſet, ita adpellata. Nunc eadem urbs eſt inſulæ Lesbi.* Vetus id nomen Lesbo dedit Lycoprhon vſ. 219. ἐν περιῤῥύτῳ Ἴσσῃ in *Iſſa mari undeque cincta.* Quæ noſtra de Antiſſæ nummis typo, ſive vera ſive falſa ſit conjectura, novam mutationem poſtea paſſa fuit, totusque ejus ſplendor fuit obſcuratus, quum diruta fuit a Romanis, Livio teſte lib. XLV. cap. 31. incoliſqueMethymnam tra-

traductis, alienæ urbi lucem suam commodavit; unde Plinius, lib. V. cap. 31. *Antissam Methymna traxit in seipsam.*

Pentagonum Græci pentalpha adpellasse a figura hujus literæ aliquoties conjuncta, observat Mekerchus cap. XIII. p. 48. cujus pentagoni, veluti pentalpha, specimen occurrit in nummo antiquo Æolidis quem depingi jussi. Is invenitur

Num. 14. Caput Jovis Ammonis, arietino cornu noscendum; ab altera parte pentagonum cernitur, & in medio ejus circulus, sive litera O. Adscribuntur intra pentagoni angulos literæ ΠΙΤΑναίων. *Pitanæorum*, Exstat apud *Albericum de la Motraye Tom. I. Tab. XXVIII.* num. 3.

Urbem Pitanem in Æolide laudat Stephanus Byzantinus p. 552. Gemino portu, atque præterlabente fluvio Eveno nobilem fuisse adserit Strabo Lib. XIII. p. 913. Sed nobiliorem Arcesilao Academico, nihil adfirmantis Academiæ clarissimo antistite. Cur Lybicum signaverit deum, valde obscurum est, nisi forte ex oraculo inde petito Civitas fuerit condita. Typus quoque partis aversæ explicari haud facile potest. An significat, literis humanam omnem includi sapientiam, illas vero omnes primæ atque ultimæ? nam pro Ω. nonnunquam O. scribebatur; an inventam a quodam cive suo pentagoni figuram usumque in Mathematica disciplina celebrat?

CAPUT VII.

Antiquissimus Siculæ urbis Messanæ nummus, quum adhuc Zancle vocaretur. Unde hoc nomen habuerit. Omnes literæ in illo antiquissimæ. Orionis caput in alio Zanclæo nummo. Portus Zanclensis. Illustre de urbis Zanclæ vetustate testimonium apud Pausaniam. Figura antiqua literæ B. *literæ* Γ; *quæ scribebatur ut* Λ *Græcorum & C Latinorum. Literæ* Δ *antiquum elementum, unde Latinorum D.*

NUM. 15. Delphinus piscis, adscriptis literis ZANKΛE. *Zancle.* Ab altera parte depressior figura quadrata cernitur in octo divisa angulos, & in meditullio eorundem concha. *Ex Museo Wilhelmi de Lormier, Hagæ Comitum.*

Antiquissimus hic argenteus est nummus, in quo omnes fere literæ a vulgari scriptura abeunt. Neque mirum hoc, quum cusus fuerit in Sicilia, antequam urbs Messana novum id nomen adipisceretur, & adhuc vocaretur Zancle; quod illi nomen fuisse datum

tum ferunt ſcriptores antiqui ab incurva falcis ſpecie, quam ibi ſinus maris facit, ζάγκλον enim Siculi falcem vocabant juxta Thucydidem Lib. VI. p. 413. Nomen & ſitum hoc verſu complexus fuit Nicander; ex cujus Sicula Hiſtoria fragmentum hoc ſervavit Stephanus Byzantinus, citat autem illud ex Libro X.

Καί τις ϗ Ζάγκλης ἐδάη δρεπανηΐδος ἄστυ.

Quamvis & Zanclen falcatam combuſſit urbem.

Plura de hac urbe Zancle ſive Zancla, quæ poſtea Meſſana dicta fuit, deque ejus nummis, ſcripſimus in Commentariis noſtris ad Parutam p. 150. Exſtat enim inter Numiſmata a Paruta edita unum hujus urbis, quod Tab. XXI. primum ordine venit, huic nummo non diſſimile, niſi quod pro concha, quæ in aliis quoque hujus urbis nummis obſervari ſolet, atque maritimi ſitus ſymbolum eſt, ſit caput humanum in meditullio octanguli, referendum forſitan ad Orionem, qui, jactis molibus, portum, quem Acten vocant, Zanclæis exſtruxit, ſicuti ibidem ex Diodoro Siculo Lib. IV. cap. ultimo, docuimus.

In hoc antiquo nummo Zancleo, litera A. ſcribitur ut in antiquis Athenienſibus 11. 12. 13. litera E. ut in Athenienſi item primo & paſſim in Inſcriptione Sigea, ſic ut non in rectum pergant lineæ, brevior una duæ lon-

giores, ſed ad partem inferiorem ſeſe dimittant atque inflectantur, ut de reliquis literis, de quibus ſuo loco ſermo erit, videlicet Ζ. Λ. Ν. taceam; de quarum omnium literarum ætate illuſtre teſtimonium Zanclea antiquitas apud Pauſaniam præbet, cujus, de priſco quodam Herculis apud Eleos ſigno, hæc ſunt verba Lib. V. p. 445. Οὐ πόῤῥω δὲ τοῦ Ἀχαιῶν ἀναθήματος, καὶ Ἡρακλῆς ἐστιν ὑπὲρ τοῦ ζωστῆρος μαχόμενος πρὸς τὴν Ἀμαζόνα ἔφιππον γυναῖκα. Τοῦτον Εὐαγόρας μὲν γένος Ζάγκλιος ἀνέθηκεν, ἐποίησε δὲ Κυδωνιάτης Ἀριστοκλῆς. Ἐν δὲ τοῖς μάλιστα ἀρχαίοις καταριθμήσασθαι καὶ τὸν Ἀριστοκλέα ἐστί· καὶ σαφῶς μὲν ἡλικίαν οὐκ ἔχοι τις ἂν εἰπεῖν αὐτοῦ· δῆλα δὲ ὡς πρότερον ἔτι ἐγένετο πρὶν ἢ τῇ Ζάγκλῃ τὸ ὄνομα γενέσθαι τὸ ἐφ' ἡμῶν Μεσσήνην. *Non longe ab Acheorum dono Hercules eſt cum equeſtri Amazone pro balteo pugnans. Euagoras quidem Zanclæus poſuit, fecit Cydoniates Ariſtocles. Eſt hic Hercules inter maxime priſca opera numerandus, neque omnino ejus ætatem poſſit quiſquam producere. Satis conſtat dedicatum, antequam Zancle (quo nomine ætate noſtra) Meſſene vocaretur.*

Litera B. in antiquioribus monumentis minus rotundos quam nunc habebat orbes, verum magis angulares. Litera Γ. in Monumento Sigeo plane illam obtinet figuram, quam, ſecunda literæ Λ (hæc ipſa videlicet) habuit. Sed haud diu poſt primam figura ſecunda ſucceſſiſſe videtur, ad amuſſim literam C. Latinorum, quæ & numero & loci

ci ratione illi par erat, referens. Inde acceptam ab Æolibus in nummis quibusdam suis exhibent Agrigentini & Geloi, uti constare potest ex Paruta, nostræ edit. Tab. LXXIX. num. II. & XCIX. num. 1. & 4. Litera Δ eandem quidem in initio figuram sed alia angulorum collocatione habuit, & sic ▷ quæ ejus in lapide Sigeo figura est, scribebatur. Quæ sicuti Æolum vetus scriptura fuit, ita circulari magis figura in Latinorum D. apud Italos migravit.

Caput VIII.

Triplex literæ E. *scriptura; singulæ scripturæ antiquitas. Nummus Treboniani Galli. Nummus Valeriani, Scriptura antiqua & recentior literæ* Z. *eadem triplex. Falso creditur a Simonide inventa fuisse. Anazarbi urbis elegans nummus. Metropolis fuit Ciliciæ post Tarsum. Vocalis* H. *a Simonide introducta, literam* H. *antiquam ex Alphabeti ordine expunxit.*

Num. 16. Αυτοκράτωρ Καῖσαρ Γάϊος ΟΥΙΒιος ΤΡΕΒονιάνος ΓΑΛΛΟC ΕΥσεβὴς CΕβαςος.

Impe-

Imperator Cæſar Cajus Vibius Trebonianus Gallas Pius Auguſtus. Caput Treboniani Galli laureatum cum paludamento ad pectus. Ab altera parte imperii annus tertius Lυκάβαντος Γ ſignatur, typus vero eſt Aquila ſtans cum palma, roſtro coronam tenens, quales in Ægypto cunctis Imperatoribus plurimi nummi cuſi reperiuntur. *Ex Muſeo noſtro.*

Triplex apud Veteres literæ E ſcriptura fuit, ſed figura parum a ſe invicem diſcrepante. Nam in initio haud recto ſurgebat palo, ſed magis obliquo, tenuiores quoque in obliquum abibant lineæ tranverſæ tres. Iones rectum illi ſtatum dediſſe videntur, ſed, quæ tertia illi figura fuit, in hoc & ſequenti, aliiſque longe plurimis Græcorum nummis, ſic formatur, ut ſurgens illa linea recta & major in arcus morem incurvetur & veluti creſcens luna adpareat, dein medio ſinu breviorem emittat lineam. Hanc ejus ſinuatam figuram recta fuiſſe recentiorem patet ex Euripidis & Agathonis verſibus, qui a Mekercho adducuntur Cap. XXXVII. p. 117. 118. & in quibus tridentis figuram litera E habere dicitur. Satis tamen antiqua quoque nova illa figura fuit, ut adparet ex nomine Demoſthenis in clypeo, quod caput ejus continet cum pectore, adſcripto, apud Fulvium Urſinum Tab. 55. & ex nominibus Speuſippi & Xenocratis, Philoſophorum hermis adſcriptis ibidem Tab 137. & 149. atque nummis Siculæ urbis Entellæ, cuſis

cusis sub prætore Sempronio Atratino, apud Parutam Tab. CXIV. num. 2. & 3.

Num. 17. ΑΥτοκράτωρ Καῖσαρ Πούβλιος ΛΙΚίνιος ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟϹ. *Imperator Cæsar Publius Licinius Valerianus.* Caput Valeriani laureatum, cum paludamento ad pectus. Alterius partis aream hæc occupat inscriptio, ΚΥΖΙΚΗΝΩν ΝΕΩΚΟΡΩν ϹΤρατήγου Αυλου ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΟΥ. *Cyzicenorum Neocororum, Stratego Aulo Apollonide.* in laurea. *Ex Museo nostro.*

In hoc nummo litera Z exprimitur, prouti jam vulgo scribi solet, quæ tertia numero inter varias hujus literæ figuras esse videtur; nam prima, quæ in vetustissimo Zancleorum nummo num. 15. occurrit, tantam cum antiqua figura literæ Δ habet convenientiam, ut dubitem an non vetus nominis pronunciatio fuerit *Dsancle.* De sono enim literæ Z vide Mekerch. p. 63. 64. Secunda hujus literæ figura fuit Ⲍ. ut in proxime sequenti nummo, eamque jam valde antiquis temporibus obtinuit, quum scilicet Iones Phœniciam literarum Cadmi figuram mutarent. Recte enim Ed. Chishul p. 19. & 20. explodit illos, qui a Simonide ad Alphabetum adjectum crediderant. Adparet eadem, quum in aliis veterum monumentis, tum in lapide antiquissimo Teiorum Diras continente, quem idem edidit Chishul. Ibi p. 98. lin. 20. scribitur Η ΛΗΙΞΟΙΤΟ. *vel prædatus fuerit.*

Num. 18. ΑΥΤοκράτωρ Καῖσαρ Πούβλιος ΛΙΚίνιος ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟϹ ϹΕβαστος. *Imperator Cæsar*

Cæsar Julius Licinius Valerianus Augustus. Caput Valeriani laureatum cum paludamento ad pectus. In aversa parte pulcherrimi hujus nummi Bacchus pantheræ insidet, dextra elata, qua forsitan poculum tenuit, læva thyrsum sive ferulam tenet. Adest hæc epigraphe, ΑΝΑΞΑΡΒΟΥ ΜΗΤροπόλεως Α Μόνης Κιλικίας Γνώμῃ Γερȣσίας ΕΤȣς ΒΟϹ. *Anazarbi, Metropoleos, primæ solius Ciliciæ decreto Senatus An. CCLXXII.* Successerat videlicet in Tarsi locum, quæ urbs antea Ciliciæ Metropolis fuerat. *Ex Museo Hermanni Van der Horst, V. D. M. in urbe Schoonhoven.*

Docet hic nummus literæ Ξ veterem picturam postliminio fuisse revocatam, in nummis enim passim utraque, nova & vetus observatur.

Vocalis H. lepide describitur a rustico illo, qui Thesei nomen depingit apud Euripidem, vide Mekerch. p. 117. Fuit a Simonide introducta, & litera H. consonans, quoniam haberet figuram eandem, exsulare Alphabeto jussa fuit, de cujus literæ fato fuse alibi dictum est.

CAPUT IX.

Nummulus antiquus Urbis incognitæ; Othrya, ad Othryn montem urbs; Centaurorum domicilium. Litera Θ. Pictura ejus & in scribendo varietas.

tas. Rotunda in initio, dein quadrata, tum iterum rotunda. Antiquitus crucem in circulo habuit rectam & obliquam. Nummus Atheniensis cum vultu Thesei. Litera E. *cur* EI. *dicta. Cur in antiquis Atheniensium nummis pro* H. *ponatur. Literæ* I. *fatum.*

Num. 19. Caput Apollinis laurea coronatum. Ab altera parte nomen urbis inscribitur, quam divinando adsequi nondum potui. Cernitur ibidem tripus deo sacer, &c, fertilis agri signum, spica erecta. *Ex Museo nostro.*

Literæ, quæ in postica nummuli parte spectantur, sunt ΑΥΘΟ quas puto retrogrado & Phœnicio ordine atque more legendos esse ΟΘΥΑ. verum nullam Othyam inter Græcas Urbes hactenus inveni. An ΟΘΡΥΑ sit legendum nescio. Othryoneos certe commemorat Plinius Nat. Hist. Lib. IV. cap. 10. p. 201. *Garesci, Lyncestæ, Othryonei, & liberi Amantini atque Orestæ.* Hi urbem Othryan in monte Othry sitam incolere potuerunt. Othryn olim Centaurorum fuisse domicilium Virgilius innuit Æn. VII. 675.

Descendunt Centauri, Omalem Othrynque nivalem
Linquentes cursu rapido.

Li-

Litera vero, quæ in nummulo notari debet, eſt Θ. cujus figura non ſcribitur, prout vulgo erat Euripidis & Agathonis tempore, ſcilicet, ut apud Mekerchum p. 117. 118.

Κύκλος τὶς ὡς τόνοισιν ἐκμετρούμενος,
Οὗτος δ' ἔχει σημεῖον ἐν μέσῳ σαφές.

Eſt circulus torno veluti factus bene,
Signumque habens in ventre quod clare patet.

ex deſcriptione prioris; vel, ut ex deſignatione poſterioris,

Γραφῆς ὁ πρῶτος ἦν μεσόμφαλος κύκλος.

Eſt circulus pictus prior meſomphalus.

Agathon igitur illud quod latius ſignum exſtans vocaverat Euripides, deſcribit velut umbilicum. Rotundam inde literam fuiſſe patet, &, ut ibidem p. 119. Theodectes vocat, ocelli forma.

Γραφῆς ὁ πρῶτος ἦν μαλακόφθαλμος κύκλῳ.

Ocellus eſt figura primo in circulo.

Hiſce cunctis ea literæ Θ diſcribitur forma, quæ punctum in medio orbis ejus ventre ponit.

nit. At antiquiſſima & Cadmea figura ejusdem rotunda quidem fuit, ſed cruce, vel rectis lineis, vel decuſſatim poſitis medium ventrem diſſecta, ut patet ex Inſcriptione Sigea. Deinde quum Iones quadratam magis ſingularum literarum facerent formam, tetragoni ſpeciem accepit; quali conſpicitur in hoc nummulo, in ſequentibus duobus aliisque Athenienſibus, & in plurimis antiquis apud Fulvium Urſinum Hermis, ſicuti Ariſtogitonis Theotimi filii, Tyrannicidæ, fig. 33. Cimonis ducis Athenienſis fig. 43. Iſocratis Rhetoris Theodori filii fig. 76. Phocionis, inter Athenienſes optimi, fig. 109. & denique Theophraſti Ereſii fig. 143. Ut vero hæc litera Θ. a vocali O. quæ pariter quadrata erat, diſcerneretur, lineola in medio transverſa notabatur, quam poſtea, in rotundiorem formam mutata, pro puncto quoque ſæpius retinuit.

Num. 20. Caput inberbe, adverſum, in leonis cernitur exuviis. Ab altera parte Minerva haſtam dextra protendit. Adeſt inſcriptio ΑΘΕναίων. *Athenienſium.* in qua litera Θ. ſimimiliter quadrata eſt. *Haimius Theſ. Brit. Tom. I. p.* 184.

Theſei vultum ſignari credidit Haimius, quod & mihi veriſimile videtur. In hoc autem & multis aliis Athenienſium nummis litera E. illum habet uſum, quem priſcis habuerat temporibus, litera H. nondum a Simonide

monide invecta; unde patet gravem ejus literæ fuiſſe pronunciationem in voce ΑΘΕ-ΝΑΙ. quia inventa nova litera Η. deinceps ſcriptum fuit ΑΘΗΝΑΙ. atque ante id tempus Ε grave ſono tantum non figura cognitum fuiſſe. Neque enim tunc Η vocabatur, ſed ΕΙ. quia quinta numero inter literas exſtabat, ut ex Plutarcho aliisque notavit Mekerchus cap. XVII. p. 61. Antiquitatis autem adfectatione in quibusdam Athenienſium nummis litera Ε pro Η. poni videtur.

Num. 21. Caput Minervæ galeatum. Ab altera parte Tripus, Apollini ſacer, inter papaver & fulmen, quæ Cereris & Jovis ſunt ſymbola, Epigraphe eſt ΑΘηναίων. *Athenienſium.* & ſimilis pictura literæ Θ. obſervatur. *Haimius ibid. p.* 188.

Litera Ι. quidem nullam mutationem in pictura ſubiit, ſed iniquiore fortuna, quam ſi mutata fuiſſet, uſa, exſulare a recentioribus juſſa eſt loco, quem cum dignitate apud antiquos, tertium vel ſextum caſum ſignificans, in ſerie verborum cum aliis literis poſita, obtinuit. Neque enim ι ſubſcriptum veteres in Inſcriptionibus ſuis & publicis inſtrumentis noverunt.

CAPUT X.

Litera Κ. *ſemper ſui ſimilis. Cyzicenorum nummus, Herois Cyzici caput. Alter cum Proſerpinæ capite. Literæ* Ϙ. *apud Corinthios uſus. Cur in permultis Syracuſarum urbis nummis inveniatur. Nummi duo Syracuſani Cur* ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΙ *non* ΣΥΡΑΚΟΥΣΙΟΙ *urbis hujus cives in nummis ſcribantur. Nova obſervatio circa vim literæ* Ο *apud veteres.* Ο μικρὸν *&* Ο μέγα *ante* Ω *literam a Simonide introductam, uſu, licet ſcripturæ varietate nondum inventa, exſtabat apud Græcos.* Ο μέγα *velut* ΟΥ. *pronunciari ſolebat; unica tamen in ſcriptura manebat litera. Auſonius illuſtratus. Euſtathius refutatur. Plutarchus emendatur & explicatur. Thraſymachi Sophiſtæ monumentum.* Ου *a Simonide introductum. Veteres Latini dicebant argȣte, acȣte, Syracȣſioi &c. Virgilius antiquitatis amantiſſimus. Exemplum in Syracoſio verſu. Nova*

de varia literæ E. *pronunciatione ejusque fato sententia; de fato literæ* O *simili.* E. EI. H. *discrimen & usus. Tyrannis literæ* H. *Per illam vetus litera* H. *ex alphabeto jam diu ejecta, ex Sigeo lapide & nummis antiquis agnoscitur.*

Num. 22. Caput Herois inberbis valde pulchrum, diademate cinctum. Adscribitur nomen ejusdem ΚΥΖΙΚΟϹ *Cyzicus.* Ab altera parte Cyziceni neocoros sese inscribunt hac epigraphe, ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΝΕΟΚΟΡΩΝ. Stat Neptunus, dextro pede rupi imposito, læva manu tridentem, dextra delphinum tenens. *Exstitit olim in Museo Markiano, sive Domini de Leur.*

Litera K. nullam mutationem passa fuit, nisi quod minus comte Phœnicibus scriberetur, sicuti patet ex Inscriptione Sigea, & ex nummo Rauciorum supra num. 6. Cyziceni conditorem urbis suæ, heroem Cyzicum, in priore nummi parte celebrarunt, in posteriore munitum urbis suæ situm.

Num. 23. Caput Proserpinæ, corona ex spicis contexta ornatum. Ab altera parte cernitur tripus cui superincumbit lauri ramus; adest inscriptio, ΚΥΞΙΚΗΝΩΝ. *Cyzicenorum*; & ad utrumque tripodis latus aliquod monogramma exstat. *Ex Museo nostro.*

Præ-

Præter urbis ſuæ conditorem Cyzicum heroëm, Cererem filiamque ejus Proſerpinam inprimis venerabantur Cyziceni, unde in quibusdam eorundem nummis capiti deæ adſcribitur ΣΩΤΕΙΡΑ *Servatrix.* & ΚΟΡΗ ΣΩΤΕΙΡΑ. *Virgo Servatrix*, quibus adpellationibus nota apud antiquos eſt Proſerpina. Et in hoc quidem nummo ſecunda literæ Z quaſi inverſa ⵋ figura cernitur.

Pro litera K. Corinthii antiquiores literam Hebræorum ק adhibuerunt, ſuperne clauſam, ſic ut vix aliquid a Latinorum Q quæ inde originem cepit, differret. Coloni Corinthiorum Syracuſani, ut antiquam ſuam originem teſtarentur, hanc initialem literam urbis, unde primam ſub Archia conditore, traxerant originem in innumeris argenteis ſervarunt nummis, quales ſunt hi duo ſequentes.

Num. 24. Caput Minervæ galeatum, poſt illud lituus, ſacrorum eſt ſymbolum. Ab altera parte cernitur Pegaſus, Corinthiorum, propter civem ſuum Bellerophontem, ſymbolum, & ſub Pegaſo volante cernitur antiqua litera Q. *Ex Muſeo noſtro.*

Num. 25. Caput Minervæ Victricis galeatum, quod ejus cognomen laureus ramus, cono galeæ circumdatus, indicat. Signum galeæ Phrygiæ in area poſt Minervæ caput cernitur, & ſub eodem literæ ex Συρακοσίων ſuperſtites ΑΡ. Averſa pars, ſimiliter, ut præcedens nummus, Pegaſum volantem cum litera Q. exhibet. *Ex Muſeo noſtro.*

Syracuſani hi nummi ſunt, eorumque cum Pegaſo, litera hac Corinthiaca, atque variis minoribus adpictis juxta Minervæ (cujus deæ eximius Syracuſis erat cultus) caput variis minoribus typis, feſtiva apud Parutam eſt copia, ſicuti videre licet in illo libro ex editione noſtra Tabb. XLIII. XLIV. & ſeqq. Notandum vero venit, quod Syracuſani in nummis ſuis non ΣΥΡΑΚΟΥΣΙΟΙ prout apud ſcriptores Græcos, ſed ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΙ ſcribantur. Innumera enim hujus urbis paſſim exſtant Numiſmata, in quibus cunctis legas inſcriptionem ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΝ vel ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Cujus rei non alia eſt ratio, quam quod ſæpe apud veteres litera O. ſimul pollebat literæ Υ. adjuncta vi. Antequam enim Simonides alphabetum Græcum locupletaret literis novis Η & Ω. ut magnæ, diverſæque pronunciatione ſua, literæ Ε. & Ο. a minoribus & tenuioribus, diſcernerentur, Ο parvum ſibi proprium & ſolitarium tenuem habebat ſonum, ſed Ο magnum adjuncto literæ Υ ſono, mugitu ſuo facile exaudiebatur. Unde recte Auſonius a Merkercho Cap. XXVII. p. 84. adductus, unam tantum Græcorum literam Laconicæ brevitati ſatis fuiſſe dicit Epiſt. XXV. 36. ad Philippi Macedonis retundendam ſuperbiam:

Una fuit tantum, qua reſpondere Lacones,
Litera: & irato regi placuere negantes.

Scio

Scio virum doctum in Notis ad Ausonium scribere. „Hanc, ad differentiam τοῦ ο (quod „ *mega* vulgo adpellamus, quum non opus „ sit ita distinguere) addito *u*, antiqui pro- „ nunciabant, non autem scribebant. „ Verum ego puto ante Simonidis tempora literam utique o. & gravem & tenuem habuisse sonum, audirique in pronunciando eandem differentiam potuisse, & sicuti aliter aures ferit *os*, aliter *ous*, aliter *oos*, sic triplicis elocutionis rationem eandem habuisse literam. In *os* tenuis ejus est sonus, & auditur o. quod vocabatur μικρὸν; in *ous* auditur adscitus ex conjunctione literæ Υ. mugitus; in *oos*, vis literæ Simonideæ Ω agnoscitur, quam ultimam deinde vocarunt ο μέγα, & primam ο μικρόν. Unde non possum pedibus ire in sententiam Eustathii, a quo fluxit illa opinio, quod pronunciatio οὐ illi literæ, quæ ο μικρὸν dicitur, sit propria. Verba ejus, in principio Commentarii in lib. V. Iliad. ubi de Ε & Ει egit, hæc sunt: Τοιοῦτο δὲ ποιοῦσι καὶ ἐπὶ τοῦ μικροῦ ό. καὶ ἐκεῖνο γὰρ διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν οὖ λέγουσιν. *Eodem modo circa ὁ μικρὸν faciunt; propter eandem enim causam eandem literam οὖ vocarunt.* de litera ι vero hæc scripserat Ἰστέον δὲ ὅτι τὸ ἐ στοιχεῖον εἶ ἔλεγον οἱ παλαιοὶ, προστιθέντες τὸ ί. ἵνα τῇ διὰ διφθόγγου ἐκτάσει δύνωνται περισπᾷν καὶ αὐτὸ καὶ τ' ἄλλα στοιχεῖα. *Sciendum enim literam ἐ vocari εἶ ab antiquis, adposito ι. ut per productionem in diphthongum & ipsa illa litera & similiter aliæ possint circumflecti.* Ego contrarium

ſtatuo & literam ὀ, quæ per ſe ſolam tenuis erat, atque ita ὀ μικρὸν, accedente ὑ factam fuiſſe magnam, & propterea quoque meruiſſe ut vocaretur ὀ μέγα. Id puto nos docere voluiſſe Plutarchum, ſi ſenſum ejus librarii & Interpretes percepiſſent, quem neutri videntur adtigiſſe. Verba Plutarchi exſtant lib. περὶ Ἀδολεσχίας, ſive de Garrulitate; p. 515. Ἐὰν δὲ βούληται λακωνίζειν, καὶ τὸ ἔνδον ἀφελῶν, αὐτὴν μόνην φθέγξεται τὴν ἀπόφασιν· ὡς ἐκεῖνοι, Φιλίππου γράψαντος, εἰ δέχονται τῇ πόλει αὐτὸν, εἰς χάρτην ΟΥ μέγα γράψαντες ἀπέστειλαν. Quod vertunt: Aut, *ſi placuerit Spartanos imitari, tantum hoc referet Non; quomodo illi Philippo, per epiſtolam ſciſcitanti, an ſe in urbem admitterent, epiſtolam NON, literis magnis inſcriptis miſerunt.* Mihi videtur ſcripſiſſe Plutarchus, εἰς χάρτην Ο μέγα γράψαντες. *magnum* Ο *ſcribentes.* Sed librarii, quum neſcirent vetus Ο magnum pronunciatione ſola (nam ſi duæ literæ fuiſſent ridicula & falſa foret argutia Auſonii in adducto epigrammate) differre ab Ο parvo, &, ſi litera Simonidea Ω. quæ Ο μέγα vulgo audit, reponeretur, nullam negandi vim in reſponſione eſſe, contra veram rationem & conſuetudinem ΟΥ repoſuerunt; unde Interpres *literis magnis* putat duo hæc elementa picta fuiſſe, quum dicat Plutarchus Lacones nihil in charta, qua regi reſpondebant, niſi Ο *magnum*, ſive ut Auſonius, huc reſpiciens, *unam* poſuiſſe *literam.* Quare Epigramma quoque illud, quod

Thra-

Thrasymachi Sophistæ monumento inscriptum fuisse libro X. narrat Athenæus, quodque refert Mekerchus pag. 84. in penultima litera nominis Trasymachi ὁ videtur habuisse non ȣ, quamvis in loquendo sonum formaret talem ut ȣ audiretur; vel si ibi maxime scripta fuit litera, prout sonabat & vocabatur, id in Laconum tamen responsione per epistolam similiter esse nequiit, quum sic non una litera sed duabus ὁ & ὑ, quæ duo elementa sonum vocis ejus qui negat, efficiunt, respondissent. Rem itaque sic gestam esse puto. Quum Simonides literam novam introduceret, quæ hanc Ω picturam habebat; eaque, quod duplicatio sonus literæ O simplicis, sive tenuis, audiretur, deinceps magni nomen nansisceretur; litera, quæ hactenus O μέγα fuerat, atque sonum οὐ habuerat, inter diphthongos numerari cepit; eaque Latinis per simplex *u* scripta, sed, quemadmodum hodieque recte faciunt Germani, secus quam Galli atque nostrates) pronunciata veluti *ou*, seu Græcorum ȣ fuit; prout iidem Latini *lȣmen*, *nȣntii*, *acȣte*, *argȣte*, quod nos exili magis sono *lumen*, *nuntii*, *acute*, ut docet Mekerchus cap. XXXVII. p. 113. dixerunt. Hinc denique omnes Syracusanorum nummi inscribuntur ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΝ vel ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. id est, juxta scripturam, *Syracosiorum*, verum juxta elocutionem, *Syracȣsiorum*, quod vel inde patet, quod a Latinis passim Syracusii & Syracusani scribantur, quamvis in pronunciatione iti-

dem apud illos ſonus diphthongi, ſeu veteris literæ o magnæ audiretur. At Virgilius, antiquitatis obſervantiſſimus, dum verſu primo Eclogæ VI. canit,

Prima Syracoſio dignata eſt ludere verſu,

non intellectus fuit ab interpretibus adludere ad veterem ſcripturam & pronunciationem.

Hujus literæ o. quæ οῦ ſonabat, gravius prolata, ſed principatum ſuum literæ Ω ceſſit, quum inter diphtongos referretur ΟΥ, occaſione, quæ de litera E pariter mihi cogitatione non indigna videntur, proferam. Hujus literæ qualitatem & fatum ſimillimum literæ o fuiſſe exiſtimo. Scilicet, quum ante inventam & introductam a Simomine literam H. neceſſario diſcrimen inter ἐ tenue ſive ψιλὸν atque ἐ longum ſeu grave, audiri deberet; tenue quidem, quemadmodum ὁ μικρὸν, minore puroque elementi ſui ſono proferebatur; ſed ſicuti ὁ μέγα adſcititium habebat inſuper ſonum elementi ύ, & ſonabat οῦ, ſic litera ἐ ut gravior fieret in dictione, tibicinem ſibi adſcivit elementum ί, ſic ut in prolatione ejus audiretur ſonus εἰ. ut patet ex Plutarcho in libello Περὶ τοῦ Εἰ ἐν Δελφοῖς p. 385. At litera Simonidea H, ubi partes ſuas in Alphabeto agere cepit, tyrannus ultra ſororem Ω evaſit. Nam non modo literam ἐ ſono τοῦ εἰ privavit, juſſitque ad diphtongos illud εἰ migrare, ſed vetuſſimam illam literam H, ne-

nequidquam Phænicia origine, & Cadmo parente, superbam, penitus ex Alphabeto, nulla illi figura relicta, ejecit, &, quasi, metamorphosi aliqua in tenues discessisset auras, præter halitum nihil illi reliquit. Bene sit Inscriptioni Sigeæ, bene vetustis nummis, qui hac in parte nos non deseruerunt, sed Cadmei elementi figuram & potestatem quasi postliminio in lucem revocarunt, atque nobis demonstrarunt.

Caput XI.

Nummus Meliorum inscriptus ΤΥΧΗ ΜΗΛΙΩΝ. *Diagoras Melius. Varia Fortunæ apud Veteres simulacra; cur hæc dea in Meliorum nummo puerulum manu teneat atque columnæ innitatur. Scribendi mos apud Indos insulæ Taprobanæ incolas. Similis in nummis Græcis. Literæ* Α. *triplex apud Veteres scriptura. quænam ex illis maxime vetusta fuerit. Duplex literæ* Μ. *scriptura. Figuræ ejusdem variæ; antiquissima ex lapide Sigeo adparet. Litera* Ν. *duplicem literæ* Μ. *scripturam in antiquis Monumentis sequi-*

quitur. Figura ejus in nummo Zancleo.

Num. 26. ΤΥΧΗ. *Fortuna.* Figura muliebris ſtolata, ſtans, dextro cubito columnæ innixa, læva puerulum tenet. Ab altera parte ΜΗΛΙων. *Meliorum*, legitur, in corona laurea. *Ex Muſeo Goſuini Uilenbroek.*

Hunc ſolum in tanto veterum nummorum inveni numero, qui in inſula Melo, una ex Cycladibus, cuſa fuerit. Nota erat ex Diagoræ civis impietate, qui Ἄθεος a Græcis cognominabatur, & paſſim Μήλιος apud Ariſtophanem audit. Cuſum hunc nummum fuiſſe a Meliis arbitrari quis poſſet in honorem Cæſaris alicujus Romani, cui natum filium hoc typo haud indecenter gratulati fuerint, ſi facies adeſſet, ut in tali re, Imperatoris. Inſcriptio enim utriusque partis conjungi & ſic legi debet, ΤΥΧΗ ΜΗΛΙΩΝ *Fortuna Meliorum.* Verum mihi longe antiquior videtur, & credo, quod ſignum deæ Fortunæ eo habitu celebratum apud Melios exſtiterit. Nam ſicuti ex variis Fortunæ ſimulacris, quæ deſcribuntur apud Pauſaniam, conſtat, quantopere luſerint, in adpictis deæ ſymbolis veteres, ſic quoque Meliorum Fortuna ſuo acumine haud deſtituta videtur. Illa videlicet puerulum manu tenet, in procreatione ſobolis, quæ corona parentum eſt, felicitatem civitatis prædicans, quoniam inde ſtabilis redditur

tur reipublicæ ſtatus, quod firma, cui innititur columna, indicat; cœlitus demitti elata dextra, digitusque in cœlum ſublatus, oſtendit.

Cur vero hunc nummum ad vetuſtiora Romanis Cæſaribus tempora revocem, literarum ordo atque figura facit. Retrogrado videlicet ordine ſcribuntur literæ ΜΗΛΙ in parte nummi averſa, ſic ΙΛΗΜ more Phœnicio. In parte autem priore itidem obſervatione digna ſcriptura eſt, quoniam literæ non recto procedunt ordine, ſed a ſuperna parte deorſum tendunt, ſic

T	X
V	H.

Quem ſcribendi morem recepiſſe veteres Indos in Inſula Taprobana teſtatur Diodorus Siculus lib. II. p. 139. 140. Γράφουσι τοὺς στίχους, οὐκ εἰς τὸ πλάγιον ἐκτείνοντες ὡς ἡμεῖς, ἀλλ' ἄνωθεν κάτω καταγράφοντες εἰς ὄρθιον. *Verſus ſcribendo non in transverſum extendunt, ut nos, ſed a vertice ad inferiora, linea recta deducunt.* Sed & hunc ſcribendi modum in antiquiſſimis pariter Athenienſium quibusdam nummis obſervavi, neque negare velim ex ſculptoris arbitrio forſitan electum fuiſſe.

Ceterum duæ literæ in hujus nummi inſcriptione inſpici merentur, videlicet Υ. Græcum ita exaratum uti V Latinum, atque Λ. quæ litera ſuperne longione linea inflexa ſic emi-

eminet, prout hodieque λ in minori literarum forma atque alphabeto ſcribi ſolet. De V infra acturi ſumus, ſed literæ Λ. non quidem antiquiſſimam, ſed tamen antiquam figuram cum minore λ convenientem, hic nummus habet. Sic in antiqua Gemma, quæ Hellenis imaginem exhibet, ſcribitur ΕλλΗΝ apud Fulvium Urſinum fig. 64. atque in Marmore antiquo, quod Sophoclis, poëtæ tragici, in clypeo protomen exhibet, ϹΟΦΟΚλΗϹ. Verum antiquiſſima literæ Λ apud Græcos figura hæc V fuit, quod clariſſime patet, ex nummo vetuſtiſſimo Zanclæo, ſupra num. 15. deſcripto, atque ex nummo Leontinorum Tab. in Paruta noſtro XCV. num. 7. in quo retrogrado ordine & Phænicio more ſcribitur ΝΟƎV id eſt ΛΕΟΝτίνων. Figuram enim hanc ejus literæ eſſe Phœniciam ex ſcriptura ejus, quæ aliquoties in lapide Sigeo exſtat, liquido patet. Similis itaque fuit literæ L. Latinorum, niſi quod lineam inferiorem acute ſurſum inflexam haberet, prouti ipſa illa litera apud priſcos quoque Romanos exarari ſolebat.

Sequitur litera Μ, quam duplici modo apud Græcos pro temporum ratione exaratam fuiſſe invenio. Antiquiſſimus, ſine dubio, atque a Phœnicibus cum Cadmo receptus olim mos is fuit, ut cruris poſterioris dimidia parte ſublata, reliqua in latus divaricaretur. Hæc clariſſima hujus literæ ſcriptura aliquoties exſtat in antiquiſſimo lapide Sigeo.

Sed

Sed Iones, emendata ejus literæ ſtructura, magis quadratam, vulgari M. figura, reddiderunt.

Litera N. inter Phænicia Cadmæaque elementa, pari ratione, atque illa, quæ ipſam in Alphabeto præcedit, more ſcribi ſolebat. Patet id rurſus ex lapide Sigeo haud uno in loco. Erat igitur ejus figura quoque diductis, ſicuti & in litera præcedente, latiore angulo lineis, neque intermedia illa preſſius deſcendente. Habemus hanc plane hujus antiquam literæ figuram in nummo Zancleorum num. 15. ſicuti adpictam ad ſequentem regis Amyntæ nummum num. 27. aliam quoque ejusdem formam, quæ propius ad N noſtrum accedit. In eodem nummo litera O quadratam hanc □ habet figuram, ſed ipſum nummum ſpectemus.

CAPUT XII.

Litera O *rotunda & quadrata. Prior Phœnicum & Æolum, poſterior Ionum, Amyntæ Primi, Macedoniæ nummus ſingularis, utrum in illo* ΑΜΥΜΤΟΥΣ *an* ΑΜΥΝΤΟΥΣ *ſit legendum. Idem nummus a Begero & a Montefalconio editus, ſed diſcrimen in litera* M. *vel* N. *Litera* M. *in Num-*

Nummis & Marmoribus nonnunquam pro N. *ponitur; exemplis probatur. Alexandri I. Theopatoris, Syriæ regis nummi duo. Jota ſubſcriptum Veteres non noverunt, ſed in ſerie literarum* I. *quod nunc ſubſcribitur, ponebant. Exempla in Nummis & Marmoribus.*

Num. 27. Cancer ſive carabus, urbis maritimæ in nummis ſymbolum. Ab altera parte nudæ hæ literæ areæ inſcribuntur B. AMIMTOY M. ſive, ut in Montefalconiano B. AMYNTOY M. id eſt, Βασιλέως AMYNTOY Μακεδόνων. *Regis Amyntæ Macedonum*, in area nummi. *Edidit hunc nummum Begerus in Theſ. Brand. Tom. III. p.* 4. *at illum, in quo pro litera* M. *ſubſequentem* N. *agnoſcimus, invenimus apud Monteſalconium in Palæographia Græca* Lib. II. p. 122.

Uterque nummus literam O non circularem ſed quadratam exhibet. Quam certe figuram non a Cadmo & Phœnicibus, ſed ab Jonibus, mutata literarum forma accepit. Nam in inſcriptione Sigea antiquiſſima ubique conſtanter circulari figura litera hæc cernitur, quam quoque figuram poſtea, quum quadratum ⊖ repudiaretur ſimiliter a Græcis, iterum recepit. Hinc omnes illi lapides, qui quadratam hanc exhibent literam, ad interme-

medium tempus, prout & ipſe hic Amyntæ nummus, videntur eſſe referendi. Occurrunt elementa illa quadrata in Hermis Ariſtogitonis, qui una cum Harmodio tyrannum Hipparchum, Piſiſtratidam. occidit, apud Fulvium Urſin. fig. 33. Ariſtophanis, poëtæ comici, apud eundem fig. 34. Cimonis, Miltiadis filii, fig. 43. Heracliti philoſophi, fig. 65. & Iſocratis rhetoris fig. 74.

Utrum vero *Amymtus* in hoc nummo rex ille Macedonum an *Amyntus* dicatur, non facile adfirmari poteſt. Amyntus certe ultima per Υ. & ipſam literam haud ſolito more ſcriptam, in Montefalconiana pictura, dictus fuit, non Amyntas, prouti Philippi Macedonis pater, aliique bene multi inter Macedonas duces Amyntæ dicti, a ſcriptoribus vocantur. Quamquam & in iſto Amynta recentiore quidam nummi (quod nondum penitus in deſuetudinem vetus abierat pronunciatio) retineant Amynti pronunciationem & ſcripturam, ſic, ΑΜΥΝΤΟΥ. *Amyntæ*. Tab. II. num. 2. Theſauri Regii, proximo annoin lucem a nobis edendi, vel, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΜΥΝΤΟΥ. *Regis Amynti*, ibid. num. 6. 7. 12. pro quo plures habent ΑΜΥΝΤΑ. *Amyntæ*. ut ibid. num. 1. 3. 4. 5. 8. exſtat. Begerus literam Μ. ſeſe inveniſſe credidit, eamque delineari fecit. Verum accuratiſſimus in hoc ſtudio Andreas Morellius, qui ex Rigordiano Muſeo alterum illum depinxit, atque cum Montefalconio, a quo editus eſt, communicavit, diver-

ſam a Begeriana figuram dedit, quam per N interpretatus eſt Montefalconius. Quæ pro utraque cauſſa militare mihi videntur argumenta, non ſilebo. Morellianæ ſive Montefalconianæ favet accuratior literæ Υ figura, prout de ea nobis ſuo loco ſermo erit. Dein, quod veteribus litera M magis divaricaretur, ſicuti crura ejus divaricata adparent hic in bina ejus poſitione, quum Macedonum primam atque Amyntæ ſecundam literam ſignificat. Pro Begero facit nova literæ N ſpecies, quam tali figura ſeſe nuſquam inveniſſe ipſe Montefalconius teſtatur; dein quod non raro pro litera N. (quoniam in elocutione, ut puto, a multis permutarentur invicem) in nummis quoque M. ponatur, cujus rei exemplum duo ſequentes nummi præbere poſſunt.

Num. 28. Caput Jovis lauru coronatum; ab averſa parte hæc eſt inſcriptio, ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΩΝ ΕΜ (pro ΕΝ) ΠΙΕΡΙΑΙ ϚΞΡ. *Seleucenſium illorum qui in Pieria.* anno æræ Seleucidarum, qui adſcribitur, CLXV. obſervantur præterea in nummo monogrammata quædam, & cultus Dioſcurorum per pileos ſtellatos expreſſus. *Ex Muſeo Petri Hollebeek. V. D. M. Amſtelodam.*

Similes duos, cum aliqua typi diſcrepantia & ipſi poſſidemus, quartum, apud Haimium obſervavimus, ſpectandos in Theſ. Regio Tab. LXXI. num. 2. 3. 4. Cuſi ſunt Seleuciæ in Syria, tempore regis Alexandri I. Theopatoris Euergetis dicti, ad quem cum

ca-

eadem inſcriptione ſequens pertinet nummulus.

Num. 29. Caput Apollinis laureatum, ſeu potius Alexandri Theopatoris, ad Apollinis modum exornati. Ab altera parte tripus Apollini ſacer eſt cum hac inſcriptione ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. . . . . . ΙΕΡΙΑΙ. *Seleucenſium in Pieria.* literis quibusdam evaneſcentibus, ſic tamen ut veſtigia literarum ΕΜ ſatis clare adpareant; intus in laurea, quæ nummi typum ambit, quædam monogrammata inſuper obſervantur. *Ex Muſeo ejusdem Petri Hollebeek.*

Notandi præterea hi nummi ſunt, quoniam antiquum ſcribendi morem in memoriam revocant, quo littera Ι. quæ nunc in tertio atque ſexto caſu ſerie literarum inter lineas excidit, atque fatum ſuum ipſa adpellatione, qua ι *ſubſcriptum* dicitur, deplorat, pari cum reliquis majeſtate & æquali inceſſu ſeſe in oculos infert. Hinc paſſim in antiquis monumentis in ipſa linea & literarum ſerie adparet, in Diris Teiorum apud Edm. Chishul p. 98. lin. 8. ΑΙΣΥΜΝΩΙ ΕΝ ΤΕΙΩΙ Η ΓΗΙ ΤΗΙΤΗΙΗΙ. pro Αἰσυμνῷ ἐν Τέῳ, ἢ γῇ τῇ Τηΐῃ. *Æſymnatum in Teo, aut Terra Teia.* Quod unum, quum innumera ex aliis marmoribus paſſim in promtu ſint, ſufficit exemplum.

Caput XIII.

Digamma Æolicum; cur ita dictum. Figura ejus apud Græcos F. *apud Romanos* Ⅎ. *Tempore Claudii Imperatoris, a Romanis receptum, poſtea neglectum. Exempla in Nummis & in Inſcriptionibus. Adſpiratæ vicem, ut litera* H. *diſſecta, ſupplebat. Nummus Axiorum Cretenſium. Varia ſcriptura urbis Axi, quæ Oaxus, Axus & Saxus adpellata. Aſturenorum in Boeotia nummus,* FAΣΤυρήνων *inſcriptus. Alea, vel Aleia, Urbs Arcadiæ; alia Theſſaliæ. Hujus nummus* FAΛΕΙΩΝ *inſcriptus.*

Plurimæ de litera quadam figuræ ſingularis habet Mekerchus cap. XXXIII. p. 103 & ſeqq. Vocabatur digamma, & quoniam ſcriptura ejus atque ſonus ſolis Æolibus inter Græcos erat proprius & peculiaris, hinc vocabatur Digamma Æolicum. Figura ejusdem apud Græcos ad amuſſim noſtrum F. referebat, eamque Claudius imperator patrocinio ſuo nobilitavit, quamvis cum ejus inter Romanos imperio inceperit & deſierit.

Ex

Ex inſcriptionibus non modo ſed & ex nummis figura ejus, tam apud Romanos, quam apud Græcos, hodieque agnoſcitur; quos quoniam ſculptor meus hoc loco poſuit, quum commodius ad literam Γ vel Φ referri potuiſſent, neceſſe nobis eſt hoc in loco illorum mentionem facere.

Num. 30. Digamma Æolicum, non quidem, ut ſcribebatur apud Æoles Græcos rectum, ſed ut Claudius depingi voluit, inverſum, ſic, Ⅎ. Majuſcula ejus eſt figura, atque in extremo ejusdem excreſcit palmæ ramus, quaſi adplaudente ſibi & triumphante Cæſare, quod publico uſu recepta ſua, quam neceſſariam ipſe in Alphabeto judicaverat, eſſet litera. Adſcribitur IO SAT*urnalia* IO. Ab altera parte inſignis corona eſt laurea. *Nummus plumbeus, antiquus, qui in medio foramen videtur habuiſſe. Publicavit & docta Diſſertatione explicavit Petrus Seguinus in Selectis Numiſm. p. 195.*

Quoniam Seguini liber in omnium eſt manibus, levamur labore plura de Claudio atque favore ejus erga hanc literam ſcribendi. Adparet in Marmoribus temporis ipſius, in quibus ſcribitur, POMOERIVM TERMINAℲIT AMPLIAℲITQVE. ut & OCTAℲIA DIℲI AVGVSTI. ſicuti & XV VIℲ. ex quibus patet pronunciationem ejus fuiſſe talem, qualis apud nos, teſte Mekercho p. 103. auditur *v* conſonantis.

Num. 31. Caput Apollinis laureatum. Ab

 altera

altera parte tripus eſt cum inſcriptione FAΞI-ΩN id eſt *Ϝaxiorum.* Chr. *Sigiſm. Liebe in Gotha Nummaria p.* 163.

Inter Cretæ inſulæ urbes fuit *Axus*, prout antiquiſſimis & Herodoteis (adſtruente id ex Stephano Byzantino Edm. Chishul ad Inſcriptionem Sigeam p. 125.) temporibus adpellabatur. Sed vix alia urbs in prima nominis ſyllaba plures mutationes, certe quod ex publicis conſtat monumentis, ſubiiſſe videtur. Priſcum nomen in nummo ejusdem urbis exſtat apud Beger. Theſ. Brand. Tom. I. p. 467. AΞίων. in Goltziano autem nummo ut & Maſſoniano apud Haimium Tom. II. Theſ. Brit. p. 147. legitur OAΞIΩN. *Oaxiorum*, at is quem ibidem ex Gaza nobiliſſimi Devoniæ Ducis publicavit Haimius legit ΣAΞIΩN. *Saxiorum.* Quo ſane nomine civitatem illam Cretenſem vocatam fuiſſe, invicto argumento docet Edm. Chishul pag. 125. ex inſcriptione Cretenſi ejus urbis, quæ p. 114. 115. incipit Ἔδοξεν Σαξίων τοῖς Κοσμίοις ϗ τᾷ (in lapide TAI ΠΟΛΗΙ vide quæ ad num. 28. ſcripſimus) πόλει &c. In Saxo-Gothano denique nummo Æolicum digamma in initio additur & ſcribitur FAΞIΩN *Ϝaxiorum.* Notat vero eruditiſſimus amicus noſter, & hujus antiquitatis intelligentiſſimus, digamma Æolicum hic eandem vim habere, quam in diſſecta litera H. ſupra p. 233. 234. obſervavimus, adeoque notam eſſe hac in voce adſpirationis. Ex qua obſervatione commo-

mode Goltzianum nummum ex Græciæ Tab. XVII. illuſtrat, inſcriptum FAΣT. id eſt FAΣΤυρήνων pro ΑΣΤυρήνων, quum Αςυρὶς ſive Aſtyris, juxta Stephanum Byzantinum, urbs olim Boeotiæ exſtiterit, ipſiuſque nummi typus oſtendat illum in Boeotia quondam cuſum fuiſſe. Pro qua obſervatione ſimilem ex ſequenti nummo Viro Docto gratitudinis ergo, aliiſque, communicaturi ſumus.

Num. 32. Caput Jovis. Ab altera parte in area nummi ſcribitur FAΛΕΙΩΝ. *Jaleiorum.* in corona laurea. *Ex Muſeo noſtro.*

Apud Hubertum Goltzium plurimi exſtant nummi, quos ille in Magna Græcia Tab. XXXVI. repoſuit; & ad illam pertinere cenſuit. Omnes Junonis caput a parte priore, Jovis ſymbola, aquilam vel fulmen paſſim in parte poſteriore oſtentant. Urbs vero, in qua hi nummi cuſi ſunt, non in Italia vel Magna Græcia, ſed in ipſius Græciæ aliqua regione quærenda eſt; in Arcadia, videlicet vel Theſſalia. In utraque enim urbs Αλέα, ſive Αλεῖα, ut ex nummo patet, dicta, commemoratur Stephano Byzantino p. 60. Arcadica urbs, una cum reliquis vicinis oppidis, Megalopoli ex Epaminondæ conſilio condita, civibusque in novam urbem commigrantibus, deſerta, deſolata & tandem penitus exſtincta fuit, ſic ut Strabonis tempore Minervæ Aleæ fanum ſolummodo ſuperſtes fuerit. Ejus deæ enim cultu impri-

mis nobilem hanc urbem fuisse docent Pausanias Lib. VIII. p. 642. & Strabo Lib. VIII. p. 595. si itaque ad hanc Aleam pertineret nummus noster, Minervæ Aleæ ostentaret memoriam. Nunc quoniam Thessalorum nummi plurimi cultum Jovis celebrant, existimo in Thessalica urbe Alea cusos omnes hos nummos fuisse. Et hæc quidem sufficiant de litera, quæ vocabatur Digamma Æolicum, cujus figuram apud Romanos Græcosve, ut & literæ H dissectæ, adeoque veterum adspirationum notas, inferior pars tabellæ æneæ exhibet.

CAPUT XIV.

Varia scriptura literæ Π. *Nummus Polyreniorum. Polyrene urbs Cretæ, varia nominis ejus scriptura non modo apud Scriptores Antiquos, sed & in Inscriptionibus & Nummis. Literæ* P. *varia scriptura.* R. *Græca quoque non Latina modo hujus literæ figura fuit. Pharsaliorum nummus antiquissimus, ut & Pheræorum. Equitatus Thessalicus.* Ταυροκαθαψία *juventutis Thessalicæ. Herculis cum Acheloo lucta. Pheræ portu insigni nobiles. Triplex scriptu-*

ptura literæ Σ. quæ ex Inscriptionibus & Nummis illustratur. Quarta literæ Σ scriptura, quæ magis erat quadrata, ex lapidibus & nummis illustratur. Samiorum nummus. Juno Samia. Orthosiorum nummus. Orthosiae tres. Nummi Lacedaemoniorum Lycurgi legislatoris facie insignes. Cur Dioscurorum capita in iisdem pingantur.

Litera Π. in initio alterum crus breviusculum habuit, quasi dimidiatæ literæ B. figuram referens, sic Γ scilicet, qua figura in antiquissimo monumento, lapide Sigeo adparet, &, quamvis produxissent Iones deorsum, ut æqualis alteri fieret lineæ, multi tamen populi in nummis suis atque publicis monumentis per longa sæcula veteri scriptura usi sunt, sicuti, quum ex aliis, tum ex sequenti nummo Polyrrheniorum sive Polyreniorum, hactenus inedito, adparet.

Num. 33. ΓΟΛΥΡΗΝΙΩΝ. *Polyreniorum.* Caput bovis vittis ornatum. Ab altera parte repetitur eadem inscriptio, & lanceæ cuspis lato ferro cernitur. *Exstitit quondam in Museo Markiano.*

Quod de Axia, Cretæ urbe, supra notavimus, in Polyrrhenio quoque & ipsa in Creta insula sita, locum habet, varietas videli-

cet ſcribendi atque pronunciandi. Hanc enim urbem Πολύρην Stephanus Byzantinus, Πολύῤῥηναν Scylax, Πολυρρηνίαν Ptolemæus vocat. Inſcriptio vetus ab ipſo populo profecta, atque ab Edm. Chishul p. 121. edita, ſcribit ΠΟΛΥΡΡΗΝΙΩΝ. cuſi vero ab eodem populo nummi, ſcribunt omnes ΠΟΛΥΡΗΝΙΩΝ, nam & Begerus Theſ. Brand. Tom I. p. 398. & Wildius ex Gaza ſua num. 46. hujus urbis nummum, utrumque capitis ratione ab hoc deſcrepantem, ediderunt.

Litera P. varias quoque mutationes ſubiit. Nam capite modo triangulari, modo rotundiori, clauſo vel aperto pingebatur circulo, erecta trunci, ſive lineæ mediæ, figura, vel obliqua. Cujus in Inſcriptionibus exempla obvia ſunt; denique virgulam a parte poſteriore addiderunt, & hac forma R. plane ut Latinis & Romanis in uſu erat, ſcripſerunt; quæ ſcribendi ratio quam fuerit antiqua, vetuſtiſſima a Pharſaliis, & Pheræis cuſa numiſmata, quæ ſequuntur, docent,

Num. 34. Caput Minervæ galeatum. Ab altera parte equi generoſi caput in depreſſiori figura tetragona cernitur, cum hac inſcriptione ΦARσαλίων. *Pharſaliorum. Edidit Haimius in Theſ. Brit. Tom. II. p.* 156.

Theſſalorum equitatus ſemper fuit nobilis, & veteres, ſicuti nutricem Lacænam, ſic equum Theſſalicum prædicabant.

Num. 35. Figura veſtibus nuda ferocientem taurum cornubus ad terram detrahens, ſubtus

tus eſt monſtrum marinum cum piſce; ab altera parte ferociens equus, abrupto loro, in pedes ſeſe conjicit, cum hac inſcriptione ΦΕΡΑΙΟΝ. *Phæræorum.* Et typus & inſcriptio in tetragono depreſſiore cernuntur. *Vulgavit nummum Chr. Sigiſm. Liebe in Gotha Numm. p.* 206.

Inſcriptio hujus nummi confirmat ea quæ de literæ P. antiqua ſcriptura, ſic ut R. Latinum referat, diximus, quamque in Marmoribus antiquis aliquando quoque ſic ſcriptum inveniri, teſtantur eruditi. Partem nummi priorem puto ſpectare ad peculiarem Theſſalicæ juventutis laudem, quæ ſic erat inſtituta ut juxta ferocientes tauros equis vecta, cornubus præhenderet tauros, deque equis deſiliens ad terram beſtias detraheret. Nobile hujus feſtivitatis monumentum exſtat inter Marmora Oxonienſia p. 267. inſcriptum ΤΑΥΡΟΚΑΘΑΨΙΩΝ ΗΜΕΡΑ Β. in eo marmore ipſe actus eleganter cognoſcitur, doctuſque Commentator ſubjecit ibidem notas ad illuſtrationem antiquitatis illius facientes. In eo veluti Herculis cum Acheloo pugnam juventus Theſſalica imitabatur. Erant vero Pheræ nobile Theſſaliæ oppidum atque portu inſigni inclitum, unde piſcis cum monſtro marino in ima nummi ora adpingitur.

Literam Σ veteres triplici ſcripſerunt modo, fuitque is ſcribendi triplex mos fere æquo antiquitatis jure. Antiquiſſima tamen ſcriptura videtur fuiſſe circuli in modum flexa,

xa, fere ut Latinorum C. quam iidem a Græcis receperunt. Quæ in Sigeo lapide adparet, inflectitur quidem in arcus Scythici morem, ſed non figura illa quadratiore, quam Iones introduxerunt, & qua nunc vulgo utimur, verum ſic, ut in antiquiſſimo Pomeſiorum nummo ſupra num. 2. atque Tyliſiorum, num. 1. conſpiciendam ſeſe præbet. Græci tamen poſt receptam Ionum formam novam, æque circulari litera C. quam arcuata Σ uſi fuerunt, quod innumera marmora, & inſcriptiones, ut apud Fulvium Urſinum fig. 92. 110. 137. 144. alioſque, liquido patet. In hiſce nummis quoque, præſertim Romanorum Imperatorum tempore cuſis, plurima occurrunt exempla; vide num. 16. 17. 22. & ipſum ſequentem, qui ideo notandus venit, quod circularem formam literæ ejus exhibet a parte priore, aliam vero & ab utraque, hactenus memorata, diſcrepantem, in parte poſteriore.

Num. 36. ΑΥΤοκράτωρ Γάϊος Μέσσιος Κοίντος ΤΡΑΙΑΝΟϹ ΔΕΚιος. *Imperator Cajus Meſſius Quintus Trajanus Decius.* Caput Trajani Decii laureatum. Ab altera parte hæc eſt inſcriptio Ꮛ ΑΜΙΩΝ. *Samiorum.* Stat vero Fortuna tutulata, læva tenens cornucopiæ, dextra Junonis Samiæ ſignum. *Ex Muſeo noſtro.*

Litera Σ in hoc nummo (& ſæpius in nummis illam ſcripturam obſervavi) quadratam ſimplicem ſine arcuatuone in medio excurrente, figuram exhibet; qualem non modo in

in Saxiorum, ſive Axiorum, Cretæ incolarum, nummo exhibuit Haimius, de quo ſupra ad num. 31. aliquid diximus, verum ipſo Saxiorum Monumento antiquiſſimo, hodieque exſtare teſtatur Edmund. Chishul. p. 135. notatque illud ⊏ΑΞΙΩΝ aut (quod mirandum, ut addit) ⊏ΑΥΞΙΩΝ. ſæpius in eadem inſcriptione repeti. Neque alia ejus literæ figura concipitur in Phœniciæ urbis, qui ſequitur, nummo.

Num. 37. Caput Dianæ, ad humeros eſt arcus & pharetra. Ab altera parte ſedens cernitur Jupiter, dextra victoriolam, læva haſtam tenens, ante pedes eſt monogramma & luna creſcens, poſt Jovem inſcriptio cernitur ΟΡΘΩ⊏ΙΕΩΝ. *Orthoſienſium.* Luna creſcens Dianam, monogramma forſan quartum novæ alicujus populi æræ annum reſpicit. *Haimius vulgavit in Theſ. Brit. Tom. II. p.* 134.

Orthoſiæ nomine quum tres exſtiterint urbes, una, nobilior ad Eleutherum fluvium, in Phœnicia, altera in Caria, tertia in Lycia, uni ex poſtremis adjudicat Haimius. Nobis nunc ſufficit ſcriptura illa notanda literæ de qua agitur.

Num. 38. ΛΑκεδαιμονίων. *Lacedæmoniorum.* Caput Jovis; ab altera parte Dioſcurorum ſunt capita, & inſcriptio ΕΠΙ ΛΑΚωΝΟϹ. *ſub Lacone*, quod magiſtratus nomen eſt. *Publicavit Haimius in Theſ. Britt. Tom. II. p.* 130.

Dioſcurorum celebris Lacedæmone erat cultus,

cultus, quorum ex Tyndaro ſoror Lacæna erat Helena. In hoc nummo alia figura literæ elementum C, videlicet in circuli morem, licet non abſoluto ambitu univerſo, inflexum adparet.

Num. 39. Caput Lycurgi, Legiſlatoris Lecedæmoniorum, prout adſcripta teſtatur epigraphe ΛΥΚΟΥΡΓΟϹ. *Lycurgus.* Ab altera parte, præter literas initiales nominis ejus qui magiſtratum geſſit, legitur Λακεδαιμονίων. *Lacedæmoniorum.* Clava Herculis tenuiore ſui parte in geminos angues, veluti caduceus Mercurii pingitur, deſinens; in laurea. *Editus eſt nummus ab Haimio in Theſ. Brit. Tom. I. p.* 125.

Spectabile hoc numiſma eſt, non modo propter adductam ſupra ſcripturam literæ C. ſed propter Lycurgi, celeberrimi legiſlatoris, quam exhibet, faciem. Poſſidemus eundem nummum pluresque ejus generis alios, cum diverſis magiſtratuum nominibus.

Caput XV.

Litera* Τ. *olim infamis propter patibuli figuram. Petelinorum nummus. Antiochiæ urbis nummus, in eo Arietis, planetarum unius ſymbolum, Deltoton in eodem. Litera* Υ. *haud uno

uno modo ſcripta. In Nummis quibusdam & Inſcriptionibus cornu unum modo divaricatum habet. Sæpiſſime Latinorum V. figuram gerit. Υ Græcum a Latinis ſcriptoribus per V. conſonans exprimi ſolet. Veliorum duo nummi. Cur leonis in iisdem pictura. Poſidoniæ urbi a Begero perperam adjudicatur nummus, qui non alius eſt quam a nobis urbi Pomeſiæ tributus.

Literam Σ in alphabeto excipit, mali apud veteres ominis, famoſa patibuli figura, litera Τ. de qua uberius ad penultimam hujus numiſmatum Sylloges tabellam acturi ſumus, nunc quidem ſpectemus vulgarem ejusdem in duobus nummis figuram, quorum tamen prior potius propter variam literæ Ω ſcripturam eſt depictus, poſterior propter Deltoton antiquis Antiochenorum nummis peculiare.

Num. 40. Caput Jovis laureatum, poſt illud tria puncta, monetæ pondus ſpectantia, cernuntur. Ab altera parte inſcribitur nummulus ΠΕΤΙΛΙΗΝΩΝ. *Petilinorum*; exhibet vero Jovem ſtantem, dextra fulmen, læva tenentem haſtam vel ſceptrum, poſt eundem ſcorpionis nota cernitur. *Ex Muſeo noſtro.*

Peti-

Petilia Brutiorum haud ignobilis urbs fuit, hodie Strongoli dicta. Philoctetæ quondam, teste Virgilio, opus. Hinc legitur in ejus Æneid III. vs. 402.

Parva Philoctetæ subnixa Petilia muro.

Plures hujus urbis possideo nummos, omnes notis quibusdam, qualis in hoc scorpio est, inter sese discrepantes, de quibus hic agendi non est locus.

Num. 41. ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙσαρ Μάρκος ΑΥρήλιος ΑΝΤΟΝΕΙΝΟϹ ϹΕΒΑϹΤΟϹ. Caput Elagabali laureatum. Ab altera parte Antiochiæ urbis est symbolum, mulier stolata & turrita, dextra tenens tres spicas, quæ rupibus insidet, fluvium Orontem pede calcans. Inscriptio in summis oris hæc est, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗτροπόλεως ΚΟλονίας. *Antiochensium, Metropolis Coloniæ*, in area nummi Δημαρχικῆς Ἐξουσίας. *Tribunitiæ Potestatis*, addita nota S. C. figura præterea triangularis Deltoton Græcis dicta, cum astro & ariete supra mulieris caput.

De typo hoc, qui sæpius in Antiochensium nummis, quos in Cæsarum gratiam signarunt, occurrit, haud uno in loco consuli potest Vaillantii insigne opus de Nummis in Colonis Romanorum cusis, qui arietis symbolum ad anni tempus, quo æra Antiochensium incipiebat refert in Imperio Seleucidor. pag. 342. Sed ad figuram, quæ

δελ-

διελτωτὸν Græcis dicebatur, meretur inſpici obſervatio Mekerchi Cap. XVI. p. 60.

Litera Υ una ex Palamedeis vulgo creditur, in quam, quia gruum volatum exprimit, jocus Martialis exſtat apud Mekerchum Cap. XXXII. p. 92. Scriptura ejus varia fuit. In antiquiſſimis enim lapidibus ejusdem cornua haud æqualiter divaricantur, quum alterum rectius erigatur, alterum flectatur in obliquum, prout ſupra in Amyntæ Montefalconiano nummo cerni poteſt, quod & obſervavit Edm. Chishul p. 16. & 22. quin & figuram literæ V. haud raro in inſcriptionibus atque nummis obtinuit. Quare etiam ubi Græci hanc literam in urbium hominumque nominibus propriis ponunt, Latini paſſim V. ſuum adhibere ſolent, ut Veliorum, qualia duo depingi juſſi, numiſmata, abunde teſtantur.

Num. 42. Minervæ caput, galeam pegaſus, vel forte gryphus alatus exornat, poſt deæ caput literæ IE in tetragono cernuntur, atque ante frontem deæ litera A. Ab altera parte inſcriptio ΥΕΛΗΤΩΝ. *Veliorum*, docet a quibus cuſus nummus fuerit. Typus ejus eſt leo cervum diſcerpens. *In Muſeo Markiano olim exſtitit.*

Velia, Phocenſium colonia, in Lucanis ſita fuit; leonem paſſim in nummis ſignavit, antiquæ patriæ typum, ut ex Phocidis nummo apud Goltzium in Græcia num. 1. Tab. VIII. patet. In nummo ſequenti

prædam vorat beſtia, in hoc impetum in proſtratum humi cervum facit. Literæ A & IE. a parte capitis variam patiuntur conjecturam, neque hic proprie hujus rei locus eſt. Nummum hunc in Theſ. Brand. quoque invenit & vulgavit Begerus Tom. I. p. 345. num. 7. ſed literæ IE incluſæ tetragono in nummo, ut puto, evanuerant.

Num. 43. Caput Minervæ galeatum, galeam ſphinx alata exornat, poſt caput literæ KE. inter ſe connexæ cernuntur. Pars ſecunda nummi leonem prædam vorantem exhibet, cum inſcriptione ΥΕΛΗΤΩΝ. *Veliorum*, ſub leonis ventre earundem literarum KE. nexus cernitur, ſupra beſtiæ dorſum litera A. *Ex Muſeo noſtro.*

Iſto literarum nexu forſitan ipſius nomen urbis ΥΕΛΙΑ, *Velia*, innuitur, duæ enim literæ, quæ nexum literarum KE. exhibere videntur, ſi eas alio contemplemur ſitu, pro litera K. connexionem exhibent literarum Υ. I. & Λ. ſic addito E. emergit ΥΕΛΙ & addito inſuper A. licet non eodem loci collocetur, ΥΕΛΙΑ. Invenitur enim hæc nota in multis hujus urbis nummis, ut & in Begeriano primo, huic ſimillimo. Verum dum Begerianas contemplor horum nummorum picturas, ſimillimus p. 347. mihi offert nummus illi quem ſupra pag. 211. & 212. vulgatum ex Muſeo noſtro explicavimus. Neque ſane nos pœnitet ſententiæ noſtræ, qua pulcherrimum nummum Sueſſæ Pometiæ adjudicavimus,

vimus, sed constanter adfirmamus, deceptos fuisse Begeri oculos in ultima litera, cujus antiquam non observavit scripturam, & quam perperam I. referre credidit. Quare, ut ad Posidoniam referri posset nummus, litera M, quæ rectum in epigraphe statum obtinet, credita fuit Antiquario Σ, inverso situ collocatis lineis.

Caput XVI.

Nummi a Macedonibus in Alexandri Magni honorem, diu post ejus tempora sub Romanis cusi. Mekerchi error in voce ΝΕΟΚΟΡΩΝ. *Honores in ludis sacris & certaminibus Jovi & Alexandro communes. Olympia, & Alexandria Ægis celebrata. Historia Catholica, lingua patria ab Auctore conscribenda, cujus primum modo volumen prodiit. Varia literæ* Φ *scriptura. Litera* X. *lineis rectangulis olim scripta. Literæ* K. *&* X. *permutantur. Achæorum nummus, nummus Byzantinorum Chalcedoniorumque. Posterior perperam apud Ezech. Spanhemium depictus. Ejusdem pictura integrior & explicatio.*

catio. Literæ Ψ. varia ſcriptura. Selinuntiorum inſignis nummus, typus ejus explicatur.

Sequitur inter juſſu noſtro delineatos nummos unus in quo occurrit lectio ΒΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. quam tangit Mekerchus Cap. XIV. p. 51. & confirmatur. Is ad Alexandri Magni patriam, Macedoniam, ſpectat, atque ejuſmodi eſt.

Num. 44. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Alexandri.* Caput regis Alexandri, diademate cinctum. Ab altera parte ſedet figura muliebris, ipſa Olympias, Alexandri mater, cum ſerpente, quem dextra paſcit, ludens. In ora nummi ſcribitur, ΚΟΙΝΟΝ.ία ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΒΙC ΝΕΩ-Κόρων. *Communio Macedonum bis Neocororum.* Nummus ipſe diu poſt Alexandri Magni tempora ſub Imperatoribus Romanis cuſus eſt. *Ex Goltzii Græcia Tab. XXXIV. num.* 4.

Quæ Mekerchus p. 52. de ſignificatione vocis compoſitæ Νεωκόρϰ habet, tempori condonanda ſunt, meliora Vaillantius ad Nummos Imp. Rom. in Græcia cuſos, aliique docebunt. Hunc vero nummum & ſimiles plurimos in laudem Alexandri, æreos omnes, Macedones ſignarunt, poſtquam Regis quondam ſui honores cum Jovis Olympii ſacris conjunxiſſent, atque Ægis, urbe Macedoniæ, Alexandria una cum Olympiis celebra-

brarent, de quibus ex professo egimus p. 152. magni atque splendidi Operis, quod, per Annales dispositum atque conscriptum, lingua patria, Historiam complectitur Catholicam, atque Universorum Græciæ Regnorum, Statuum, Urbiumque fata & mutationes; cujusque primum volumen mense hoc Novembri prodiit, proximo anno prodibit secundum, singulis deinceps bienniis unum ex secuturis. Cur serpentem dextra tractet Olympias, docuimus ibidem p. 136. & 183.

Litera Φ. inter Simonideas relata, haud uno quoque modo in antiquis Monumentis scribitur. Apud Fulvium Ursinum fig. 34. in nomine Aristophanis, poetæ Comici, ejusque patris Philippidæ, litera hæc sic exaratur, ut in media linea recta incipiens sursumque pergens circulus haud claudatur summa sui parte, sed figuram literæ Υ non magnopere dissimilem efficiat. Ibid. fig. 65. Heraclitus Philosophus Ephesius inscribitur, inque illa voce litera Φ coire facit circulum, verum sic ut linea recta haud æquali mensura per circulum transeat, verum a parte inferiore longissime porrigatur, prout & in Theophrasti inscriptione, fig. 143. similis ejusdem pictura cernitur; nec abit inde Phanodici nomen in Inscriptione Sigea antiquiore; sed in eadem aliquanto recentiore, quæ in lapide ipso antiquæ illi superponitur, sic literæ Φ. concipitur figura, ut recta illa linea, neque superne neque inferne emineat,

ſed ipſo finiatur atque claudatur circulo. Quod ego monitum volo, quoniam in antiquo valde Pheræorum nummo, cujus ſupra num. 35. explicationem dedimus, plane eadem ejus literæ figura depræhendatur. At vero contra in altero antiquiſſimo Pharſaliorum nummo num. 34. non a parte inferiore, ſed ſuperiore per circulum tranſeuns recta illa linea eminet.

Litera X. a Palamede alphabeto fuit addita, itaque, Cadmeis temporibus ignota, Ionica pura eſt; figura vero ejusdem a vulgari diſcrepabat, nam non pingebatur decuſſatim in initio, ſicuti nunc fit, ſed rectangulam crucem exhibebat, ſicuti ex lapide Sigeo probat Chishul p. 12. qui & inde Herodis Attici illuſtrat veterem inſcriptionem, quam vir ille illuſtriſſimus atque eruditiſſimus ſtudioſe Græcis literis ex ultima antiquitate repetitis, exarari fecerat; eam inſcriptionem, inſigne antiquitatis monumentum, poſt Montefalconium & alios exhibet idem atque illuſtrat pag. 11. In Numiſmatis litera X. vulgarem exhibere ſolet ſcripturam, ſed diſcimus ex nummis quod Græci in nominibus propriis ſæpe literas K. & X. permutaverint, prioremque in elocutione prætulerint, quod duo confirmant nummi Achæorum & Chalcedoniorum. Nummum Achæorum, in quo legitur ΑΚΑΙΩΝ pro ΑΧΑΙΩΝ depinxit Haimius in Theſ. Brit. Tom. II. p. 85. Chalcedoniorum, quoniam inedi-

ineditus eſt, & typo inſuper inſignis, hic locandum curavimus.

Num. 45. Capita duo jugata, utrumque inberbe eſt, alterum ex his hedera & corymbis ornatur. Ab altera parte Neptunus, pedem lævum rati inprimens, dextra manu tenet acroſtolium, læva tridentem ſupra humeros adtollit. Inſcriptio, ΚΑΛΧΑ . . . . ΖΑ . . . . quod integre ſic legas ΚΑΛΧΑδωνίων, ΒΥΖΑΝτίων. *Kalchadoniorum*, *Byzantinorum*, docet a quibus numiſma cuſum ſit. *Ex Muſeo noſtro.*

Ineditum hunc nummum voco, quoniam is, cujus mutilam delineationem dedit Ezechiel Spanhemius Tom. I. de Uſu & Præſt. Numiſm. p. 118. facile poterit eſſe exemplo quantum præſtare poſſint ὄμματα τεχνικὰ, ſi non aliorum fide, ſed ipſa per ſe, nummos inſpiciant. Mihi certum eſt, primum ex tribus, quos ibi produci & depingi videas, ſimilem plane noſtro eſſe. Verum, ut puto, haud iraſcentur mihi Viri Doctrinæ conſummatæ Manes, ſi contendam, non vacaſſe illi ut otioſius nummorum typos cum moroſitate aliqua inſpiceret; neque id anxie quæſiviſſe, pluribus evinci exemplis poterit. Crediderim igitur in anteriore nummi parte capita Bacchi & Liberæ depingi, quorum illud ſuo fronde decorum nitet. Ab altera parte Neptunus acroſtolium tenet, quod claſſibus utraque valebat urbs, quæ e regione invicem poſita, dividente illas freto, nomina ſua in

eleganti hoc nummo conjungunt. Apud Goltzium duo Chalcedonis urbis exſtant nummi cum recentiori ſcriptura & vulgata, ſed Illuſtris Spanhemius, præter hunc, duos alios, qui huic adſtipulantur, exhibet, imo confirmat eandem quoque Marmor antiquum, ſive Herma Xenocratis apud Fulvium Urſinum fig. 149. cum hac epigraphe, ΞΕΝΟΚΡΑΤΗϹ ΑΓΑΘΑΝΟΡΟϹ ΚΑΛΧΑΔΟΝΙΟϹ. *Xenocrates Agathanoris Kalchadonius.*

Litera Ψ & ipſa a Simonide inventa, perpetuo eandem ſcripturam obtinuit, niſi quod in Marmoribus lineam rectam atque intermediam nonnunquam una vel duæ breviores, ſibi ſuperpoſitæ, pertranſeant; exempla apud Fulvium Urſinum fig. 33. & 34. lineæ ſimplicis occurrunt; duabus lineis interſecatur in Monumento antiquo, quod feſtum Ταυροκαθαψίων dictum exhibet, atque inter Marmora Oxonienſia exſtat cum hac inſcriptione ſubtus exarata, ΤΑΥΡΟΚΑΘΑΨΙΩΝ ΗΜΕΡΑ Β. *Taurocathapſiorum dies ſecundus.* In qua inſcriptione litera Υ. quoque unam lineam tranſverſam habet, quam itidem in ΦΙΛΙΠΠΙΔΟΥ. obſervavi apud Fulvium Urſin. fig. 34. Marmoris, quo Taurocathapſia depingitur, delineatio ultima inter haſce tabellas inſculpta cernitur. Sed & in nummo Siculo urbis Selini ſcripturam hujus literæ Ψ obſervavi talem, quæ in eo a conſueta ſcriptura diſcrepat, ut litera recta haud pertranſeat ad inferiorem partem, verum

rum inter cornua ſuperne tantum ſurgat, prout in litera Φ ex Phereorum nummo idem licuit animadvertere. Sed ecce ipſum nummum Selinuntiorum, eumque pulcherrimum.

Num. 46. ΣΕΛΙΝΟΝΤΙΩΝ. *Selinuntiorum.* Juvenis nudus ad ferocientem adſiliens taurum, cornu ejuſdem alterum læva manu prehendit, dextra clavam elevat. Ab altera parte nudus pariter agnoſcitur juvenis, ſtans, dextra manu pateram, læva ramum tenens, ante eundem eſt ara cui circumvolvitur ſerpens, poſt eundem avis & vitis cernitur folium, adſcribitur ΗΥΨΑΣ. *Hypſas*, numen ſcilicet illius juvenis. *Fuit quondam in Muſeo Markiano.*

Apud Philippum Parutam plures hujus urbis Nummi inveniuntur, inter quos huic maxime adpropinquat nummus num. 6. Tab. CXXI. quem, alioſque in illo opere p. 776. & 777. typos utriuſque partis fuſe olim illuſtravimus. In ſecunda nummi parte Fluvius Hypſas, quod adſcriptum nomen docet, ſtat facie juvenili, prout apud Siculos fluvii pingebantur, & ſacra facit pro recuperata ſanitate, quam Empedoclis conſilio conſecuti fuerant Selinuntii, unde ara cum ſerpente exprimitur. Avis quæ adpingitur vanellus, noſtratribus *Kiviet*, eſſe videtur, quales aves ibi copioſas fuiſſe typus indicat, ſicut vitis folium bonum ibidem vinum naſci. Præ cæteris autem notanda venit figura lite-

ræ Ψ. quæ figuram literæ V. haud ſecat ad inferiorem partem porrecta cauda, verum ibi ſubſiſtens, veluti tres lineas, unam rectam, duas obliquas, in unum coeuntes angulum facit. Secus in nummis Parutæ cura depictis ſeſe res habet, verum ego inſpecti a me nummi fidem ſequor, & exemplum haud abſimile in Φ. præbet Pharſaliorum numiſma, ſupra laudatum.

Caput XVII.

Litera Ω a Simonide introducta. Ante illam X. *& Cadmi tempore* T. *ultima Alphabeti fuit litera. Varia ſcriptura literæ* Ω. *Sæpiſſime figura literæ* O *in nummis illius loco adparet. Inſignis Æſerniæ, Latinæ in Samnitibus urbis, nummus. Æſernini olim Aiſernini dicti atque ſcripti. Numiſma inſigne in M. Antonini Caracalli honorem a Laodicenis cuſum, in quo literæ* T *inſignis figura. Veſpaſiani memorabilis cum proconſulis nomine nummus, cuſus Smyrnæ. Urbs hæc ſæpiſſime Zmyrna in nummis vocatur. Vera Smyrnenſis nummi epigra-*

graphe eruitur. Pictura festivitatis Thessalicæ, quæ Taurocathapsia dicebatur, ex Maxmore Oxoniensi. Lamella cuprea cum antiquissima Inscriptione Latina. Literarum Græcarum & Latinarum antiquarum collatio.

Ad metam venimus hujus Dissertatiunculæ, atque literam quæ Alphabetum Græcum Ionicum claudit Ω. Ionicum inquam, nam a Cadmo usque ad Palamedem litera T. Alphabeti erat ultima. Literis Υ. Φ. Χ. a Palamede locupletato Alphabeto, ἔσχατος exstitit ultima ex adjectis tribus, sed consonantem Χ. productiore sono vocalis O, cognomine μέγα, atque immutatam aliquantum scripturam hanc Ω. nacta, loco expulit, sibique cedere coëgit. Neque tamen ultimæ hujus literæ constans invenitur scriptio. Quæ enim non sine ornatu quodam decore aperire & projicere crura sua solet in scriptura vulgari, sæpe in nummis a germana sua sorore, quæ exiliori sono prædita tenui signatur cognomine, sola linea transversa, subtus ducta, distinguitur, ut cognoscere licet ex nummo Petiliæ urbis num. 40. Sæpissime vero figuram ω quam passim in minuto literarum hodieque ordine possidet, in nummis quoque gerit, ut in urbis Siculæ Motyæ satis antiquo nummo apud Parutam

Tab.

Tab. CXII. num. 1. Selinuntinorum, ibidem Tab. CXIII. 1. & 6. Corollæ veluti lemniscum format in nummo Ietarum Tab. CXXXV. num. 4. Denique pro Ω in nummis tot numero, ut enumerare longum sit, superstitibus, O, quasi antiquam scilicet retineret gravem sonum, ponitur. Hinc ΤΥΑΙΣΙΟΝ supra num. 1. & in multis Selinuntis urbis apud Parutam nummis, ΣΕΛΙΝΟΝΤΙΟΝ.

Ultimum tabellæ locum occupat Latinus nummus, sed antiqua scriptura Latii insignis. Is apud Samnites cusus, in urbe Æsernia, inscriptionem & typum ejusmodi præfert.

Num. 48. VOLCANOM. sic enim in altero meo, hac in parte integriore, legitur. Caput Vulcani, cujus pileum laurea cingit; artificis dei signum forceps post cervicem ejusdem ponitur. Ab altera parte figura cernitur in bigis, & subscribitur AISERNINO. *Ex Museo nostro.*

Æsernia, exiguo a læva Vulturni ripa spatio Samnitum fuit urbs, colonia postea Romanorum facta. Male apud Strabonem aliosque sine diphthongo scribitur. Qui enim Æsernini dicebantur Latinis, pariter per diphthongum, a Græcis Αἰσερνῖνοι vocabantur. Hinc M. Marcellus M. F. M. N. AISERNINVS inscribitur in Nummis Famil. Romanarum, quem Æserninum omnes Scriptores Romani vocant. Vide Thesaurum

rum nostrum Morellianum p. 538. De eadem ratione scribendi consuli potest Mekerchus p. 125. Literæ omnes sunt antiquæ, prout a Græcis, quorum coloni erant, Italiæ desumserunt populi.

Literam, *Tau* Græcis dictam, Cadmei Alphabeti notavimus fuisse ultimam, & eandem patibuli figura fuisse infamem. Hanc ejus veluti crucis depictam figuram exhibet Numisma ingens, atque honorarium, quod Laodiceni Antonino, Severi filio, obtulerunt, cujus inediti hactenus, ut pleraque sunt hujus collectionis, picturam atque inscriptionem adponere non gravati sumus.

Num. 48. ΑΥΤοκράτωρ Καίσαρ Μάρκος ΑΥΡΗλιος ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus.* M. Antonini Caracalli laureatum atque barbatum caput, cum paludamento ad humeros. Ab altera parte inscriptio hæc est, ΛΑΙΟΔΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΤΠΗ. *Laodicensium Neocororum, anno CCCLXXXVIII.* Sedet figura muliebris, Laodiceæ genium repræsentans, capite turrito, dextra tenens victoriolam, læva cornucopiæ. Ante eandem stat mulier cum tutulo sive modio in capite, duas læva tenens icunculas, adscribitur ΦΡΥΓΙΑ. *Phrygia*, post sedentem figuram altera stans cernitur, dextra sedile sedentis tangens, læva tenens cornucopiæ, cum adscripta epigraphe ΚΑΡΙΑ. *Caria.* Figura hæc itidem tutulum in capite gestat. *Ex Musæo Hermanni*

ni Van der Horst, *V. D. M. in oppido Schoonhoven.*

Gratulantur hoc nummo Laodiceni (qui æram suam inchoasse creduntur restitutis, victo Antiocho Magno a Romanis, Asiæ urbibus in libertatem) victorias Cæsari Romano, ideo Victoriæ signum dextra tenet Genius Urbis. Faciunt idem Phrygia & Caria universa, in gratulationis ejus venientes communionem, ex quibus Phygia duas gerit icunculas, sive propter duplicem ejus divisionem, sive alia de caussa, in quam nunc non vacat inquirere.

Conqueritur apud Lucianum litera Σ. quod a litera T. sæpissime possessione sua dejiciatur, & huic coram Vocalibus judicibus lepide dicam scribit, ut notat Merkerchus p. 88. quam injuriam illa quidem literæ T. in pronunciatione, sed & in scriptura simul sæpe quoque literæ Z. adtulit, quod docere poterit hic ultimus nummus, in quo Zmyrnæi vocantur qui passim Smyrnæi scribi solent.

Num. 49. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΚΑΙϹΑΡ ΟΥΕϹΠΑϹΙΑΝΟϹ ϹΕΒΑϹΤΟϹ. *Imperator Cæsar Vespasianus Augustus.* Caput Vespasiani laureatum. Ab altera parte sedet Magna Deum Mater, tympano cubito lævo innixa, dextra vero manu pateram tenens, ante pedes ejus leo cernitur; a Smyrnæis cusum fuisse numisma inscriptio docet, ΖΜΥΡναίων. *Zmyrneorum.* Nomen & titulus Romani magistratus in circulo marginis sic exprimitur.

ΑΝΘΥ-

ΑΝΘΥΠάτȣ Τίτȣ ΛΙΚίνιȣ ΑCΙΠΠΟΥΛΙΑC CΤΡΑτήγȣ ΑΓΡΩΝΟϹ ΕΥCΕΒΗC. *Proconſule Tito Licinio Aſippuliæ , Stratego Agrone Euſebis filio.* Quam ſcripturam ex duobus ſibi invicem ſimilibus corraſi nummis. *Ex Muſeo noſtro atque laudato H. Van der Horſt.*

Veram hujus nummi lectionem ex uno nummo elicere non licuit, quare duo advocandi fuerunt, qui quidem ex eadem matrice non prodierant, ſed eandem continebant inſcriptionem. Vaillantius, qui ex Muſeo Foucaultiano mentionem ejusdem nummi fecit pag. 21. in Veſpaſiano, epigraphen adſequi non potuit. Et proconſul ille & Prætor ſive Strategus, homines ſunt nobis hactenus ignoti. Nummus tamen propter dignitatem nomenque Proconſulis memorabilis exiſtit. Non enim in uno hoc ſed in pluribus Smyrnæorum nummis litera Z ſedem literæ Σ occupavit.

Agmen Numiſmatum claudunt duæ tabellæ, quorum altera Taurocathapſiam, de qua ſupra p. 292. mentionem fecimus, ex marmore antiquo & nummo Pheræorum, ſupra quoque num. 35. adducto, exhibet, altera ex Inſcriptione vetuſtiſſima docet, veteres Latinorum literas plane Græcas fuiſſe. Inſcriptio, ex cuprea vetuſtiſſima lamella deſumta, a Fabretto in Inſcript. p. 27 & 28. publicata fuit, atque a priore parte ſic concipitur.

C. PLA-

C. PLACENTIOS. HER. F.
MARTE. SACROM.

ab parte posteriore,

C. PLACENTIVS. HER. F
MARTE DONV. DEDET.

Memoratur in hac inscriptione pietas C. Placentii, Herii cujusdam filii. Signatur punctum post singulas voces, more ab antiquissimis Græcis desumto, vide Edm. Chishul ad Inscrip. Sigeam p. 14. Ponitur punctum supra unam aut alteram literam, sed non in ipso literarum ordine, sic ut in MARTE supra M. ponatur punctum, quod locari post præcedentem literam F. debuerat in linea quæ præcessit. Exemplum simile occurrit in vetustissimo nummo Græco Amyntæ num 27. ubi punctum exsistit supra sive ante postremam literam M. quod punctum tamen pertinet ad ultimam literam lineæ præcedentis; quod observare lectores atque nummorum inspectores volo. Literæ autem omnes pure Græcæ sunt, & litera L plane sic in Inscriptione Sigea, in nummo Zancleo, in Veteri de Bacchanalibus Romanorum Decreto, quod in fronte editionis suæ Ciceronianæ vulgavit Jac. Gronovius, conspicitur, & denique in nummo insigni urbis Æserniæ num.48.p.296. utque literam A. aliasque taceam literas, M. posteriori crure expanso decurtatum, D. antiquissi-

ma

ma forma expressum, E. S. R. T. &c digamma Æolicum insuper propria & antiqua sua scriptura observandum venit, quod quidem Antiquitatis ἀποσπασμάτιον huic nostræ Dissertatiunculæ, jam satis longæ, terminum esse volumus.





THEODORI BEZÆ
DE
GERMANA
PRONUNTIATIONE
GRÆCÆ LINGUÆ
L I B E R.



THEODORI BEZÆ
DE
GERMANA
PRONUNCIATIONE
GRÆCÆ LINGUÆ

LIBER

De Literis Græcis, in genere.



ANtiquissimum esse literarum inventum, illud in primis ostendit, quòd earum usu vix unquam carere potuisse hominum genus videatur. Ut illud præteream quod narrat Josephus, de duabus lapideis ante diluvium inscriptis à Setho Adami filio columnis: cujus tamen fides penes hunc scriptorem esto. Verisimilius est quod de coctilibus laterculis antiquis-

tiquiſſimis ex Beroſo & Epigene quodam Plinius commemorat. Nec idem Plinius libri VII. capite 56. procul aberrat à vero, arbitratus eas ſemper Aſſyrias fuiſſe. Docet enim ſacra hiſtoria, primos illos à diluvio patres humani generis, in Babyloniæ campos, quæ fuit Aſſyriæ poſtea denominatæ portio, conveniſſe. inter quos Heber quoque extitit, à quo ſunt Hebræi vocati. Sed & illud ex eadem hiſtoria conſtare poteſt, in Heberi familia, ad Abrahamum & ejus poſteros Hebræos perducta, primævam illam linguam, Hebræam videlicet, puram permanſiſſe, in plurimas poſtea dialectos diductam, admirabili Opt. Max. Dei providentia permanſiſſe.

Hebræas autem primò fuiſſe literarum appellationes, illud evincit, quòd nomina quibus à cæteris totius orbis terrarum gentibus etiamnum hodie exprimuntur, ab Hebræis illis ſunt deducta. Hoc in primis teſtatur Græcorum Alphabetum, illatis in Græciam à Cadmo Phœnice literis, quæ nunc quoque Hebræis nominibus Chaldaica dialecto terminatis appellantur. Et hæ quidem illæ ſunt de quarum recta pronuntiatione nunc agere conſtituimus.

A LITERIS igitur grammatici, tanquam à parte ſimpliciſſima, auctore quoque Ariſtotele περὶ ποιητικῆς, exordiuntur. Orationem enim in qua verſantur, primùm omnium in vocabula, eaque rurſus in ſyllabas, (niſi quum mo-

monoſyllaba ſunt) ſyllabas demum in literas dividunt, niſi quum & ipſæ ex una vocali conſtituuntur. Quamobrem etiam literæ à Græcis ϛοιχεῖα, id eſt elementa, vocantur, ut docet Plato in Cratylo, & Dionyſius. Eædem verò etiam γράμματα appellantur, à ſcribendo, ſive quod ex lineis conſtent. Sunt enim inventæ, ſimpliciſſimis articulatæ vocis ſonis certo linearum ductu exprimendis.

Sexdecim autem initio fuiſſe, idem Plinius, Dionyſius, & Plutarchus, ſcribunt: quibus poſtea octo fuerint adjectæ, nempe Trojano bello, à Palamede, Θ, Ξ, Φ, Χ, à Simonide melico, Ζ, Η, Υ, Ω. qua de re poſtea viderimus. Ariſtoteles contrà (teſtante Plinio) vult octodecim priſcas fuiſſe. Adjicit enim ad illas ſexdecim Cadmeas, Ζ & Φ. Ego (ut ſuo loco dicam) quum ex illis octo literis videam ſex nominari Hebræis vocibus, ut & illas ſexdecim, parem fuiſſe initio Græcarum & Hebræarum literarum (ut nunc Latinarum) vigintiduarum videlicet numerum, exiſtimo: quamvis ſingulæ ſingulis non prorſus reſpondeant. Unde igitur illa de ſexdecim literis Cadmeis ſententia? nempe quòd totidem nec plures ſint Græcæ linguæ ſoni ſimpliciſſimi: & quum propriè inventæ ſint literæ ſimplicibus ſonis ſignificandis, neceſſe eſt profectò in omni lingua, ut quidem commodè ſcribi poſſit, totidem omnino literas extare quot ſint ejus ſoni ſimplices. Alioquin, ſive plures ſive pauciores fuerint, & ſcriptio-

ni & pronuntiationi magnas tenebras offundi necesse fuerit. Idque solicitè Græcos observasse, vel hoc unum satis ostendit, quòd inter Elenchos Aristoteles nullam ex literis fallacem conclusionem numerat: quum nihil possit frequentius occurrere, si uni literæ duplicem sonum, vel contrà uni sono duas literas tribueris. Simplices igitur Græcæ linguæ sonos sexdecim, totidemque prorsus necessarias esse literas, ex eo apparet, quòd ex reliquis octo sonis, qui totidem literis scribuntur, alii sint compositi, alii suapte natura iidem atque compositi: sicut deinceps ostendemus.

Ac primo quidem loco de sexdecim illis antiquis Cadmi literis à nobis dicetur. Sed prius illud observandum est, veterum literas, tum Hebræas, tum Græcas, tum Latinas (has autem utrasque iisdem penè figuris fuisse testatur & probat Plinius lib. VII. cap. 58.) nonnisi majusculas usurpatas fuisse: quarum loco postea demum alteras non prorsus dissimiles, sed quæ uno calami ductu expeditius scriberentur, populi usurparunt.

De sexdecim Cadmi Literis.

A.

ALPHA, prima in omnibus linguis litera (exemplo Hebræorum, à quibus etiam appellationem sumsit) respondet Latinæ primæ

mæ vocali *A*, quæ à Latinis, ut & reliquæ vocales, ſolo ſuo ſono exprimitur, & caput bovis inverſum figura refert, (ac probabile eſt rudirer initio fuiſſe delineatam:) unde apud Heſychium legitur, ἄλφα, βοὸς κεφαλή. Et hinc fortaſſis exiſtimare licet, primos illos characteres literarum fuiſſe ad rerum quarundam formam excogitatos: quod colligi utcunque poſſe ex Hebræarum literarum appellationibus ac etiam formis videtur. Exprimitur verò clara & ſonora voce, ex radice linguæ prodeunte: & meritò prima eſt omnium literarum, quòd eam primam natura ipſa nos naſcentes doceat. Neque verò mihi dubium eſt quin ante puncta vocalia ab Hebræis Grammaticis, diviniſſimo certè invento excogitata, (quod poſt Hieronymi ſeculum accidit) Aleph idem prorſus illis atque cæteris gentibus ſonuerit. Quis enim illos arbitrari poſſit, conſonantium literarum formas habuiſſe, vocalium verò nullas? Ex hoc autem errore alius iſte eſt exortus, quòd Gutturales omnes literas pro aſpiratis grammatici acceperunt: quum Gutturalium nomine intelligantur literæ quæ ſolo gutture ſonum edunt: cujuſmodi ſunt ex vocalibus *a*, *e*, *i*, *o*, & aſpirationis nota: quæ tamen potius flatum edit quàm ſonum. Nam *u* labialis eſt tum vocalis, tum conſonans. id eſt, labiorum adminiculo pronuntiatur, ut conſonantes, *b*, *p*, *m*: ſicut aliarum conſonantium quædam lingua, quædam dentibus, quædam pa-

lato, tanquam aliquo vocis plectro, indigent. Sed de literis Hebræis fortaſſis aliàs. Peccant igitur Germani, literam iſtam, ſicut & Hebræorum Camets, ſono ad obſcurum *o* proxime accedente proferentes.

Ex eo verò quod prima hæc eſt Alphabeti litera, ſcitè Martialis quendam vocavit Alpha penulatorum, id eſt, à quo pauperum ſalutatorum agmen inciperet, ordine quodam ditiores antecedens, lectica vectos, honoris cauſa: ut pulchre Lucianus in Nigrino deſcribit.

Alia ratione ſeſe Deus in Apocalypſi *α* & *ω* vocat, non, quòd omnia anteceſſerit (etſi hoc verum eſt) ſive quaſi omnium primus: (nam contraria ratione dicendus etiam eſſet omnium poſtremus) ſed quòd ut ab eo & per eum omnis ordo naturæ extitit: ita ſit ipſe ultimus omnium rerum ſcopus. Quod noſter Paulus hiſce verbis diviniſſimè expreſſit, ὅτι ἐξ αὐτȣ̃ καὶ δι' αὐτȣ̃ καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα. ad Rom. XI. 36.

B.

BETA, reſpondens τῷ Beth Hebræorum, vulgò corruptè Vita appellatur, duplici errore. Secunda enim ipſius nominis litera eſt *ε* longum, non *i*, ſicut in ἦτα oſtendemus. Ipſum autem Beta cum *v* conſonante (quæ apud Latinos illud eſt quod apud Æoles δίγαμμα) perperam certè confunditur: quum omnino

omnino Latino *b* respondeat, ut & ipsa figura literæ ostendit. Idque ita esse, non modò liquet ex Ciceronis ad Pætum epistola (in qua docet, *bini* Latinum, & Græcum βίνει, eodem sono pronuntiari solita. Nam *i* quoque longum, ut ει pronuntiabatur: sicut suo loco dicemus) sed etiam ex Cratino, qui βῆ, βῆ, docet ovium vocem esse, id est, *bê*, *bê*, non *vê*, *vê*. Item ex Varrone, qui nostrum *balare* fictitium esse vult ab illa ovium voce: quas idcirco Græci βῆλα rectius vocassent, quam μῆλα. Vox enim earum (inquit ille) non *mee*, sed *bee* sonare videtur, quem locum nuper quidam in Græco Alphabeto corrupit. Hoc inquam non modò ex his rationibus apparet, sed etiam ex eo quòd ipsum Beta collocatur medium inter π tenue & φ aspiratum: *v* verò consonans omnino debet inter aspiratas numerari. Deinde digammatis sonum, ac proinde literam qua is sonus exprimitur, solos Æoles olim usurpasse, nemo est (opinor) qui nesciat.

Poteram autem etiam id argumentum afferre, quod Græci in Latinis transferendis, pro *b* Latino suum βῆτα: ut *Fabius*, Φάβιος: *Tiberius*, Τιβέριος: *Gabinius*, Γαβίνιος: & contra Latini pro β Græcorum suum *b* usurpent, ut βάρβαρος, *barbarus*: Βαβυλὼν, *Babylon*: Βάκχος, *Bacchus*: sed nihil est hoc argumento fallacius, quum nulla penè sit litera quæ in aliam non degeneret. Itaque apud Græcos etiam legimus, Βέῤῥης, Βαλέριος,

Βῆλον,

Βῆλον, id eſt, Latinè, Verres, Valerius, Velum: idcirco fortaſſe quòd quum Græci (exceptis Æolibus) illud δίγαμμα exprimere non poſſent, interdum ejus loco *b*, interdum (& quidem ſæpius) ȣ diphthongum ſcripſerunt. Quod autem Latini à βίος, *Vita*, à Βάδω, *Vado*, à Βασκαίνω, *Faſcino* derivarunt, factum eſt iſtorum ſonorum affinitate, non quod ſic β à Græcis pronuntiaretur. Cæterùm in hujus literæ pronuntiatione laborare præcipuè debent tum Vaſcones, ne illam cum *v* conſonante, tum Germani, ne illam cum *p* tenui, ipſi oppoſita, confundant. De Digammate verò plura in φ dicemus.

Γ.

Gamma, ſive (ut Iones appellarunt) *Gemma*, Hebræorum *Gimel*, imò eſt ipſum Latinorum *g*, teſte his verbis Feſto in Prodigia, *Quæ nunc c appellatur, antiquis g vocabatur.* Sed præterea in hujus literæ pronuntiatione Galli, tum Latina, tum Græca legentes peccare ſolent, quoties vel *e*, vel *i*, vel aliqua ex iis literis ſequitur, quas cum jota vulgo confundunt, nempe η, υ, ει, οι. Tunc enim alterum huic literæ ſonum tribuunt, cum j conſonante communem: ut qui pro Γερμανὸς legunt *Jermanos*, pro γίγνεσθαι, *Jigneſtæ*: pro γῆ, *Ji*: pro λέγει, *leji*: pro λόγοι, *loji*: pro λιγύς, *lijis*. Ac Germani in nonnullis ſequente *o* eundem errorem committunt.

mittunt. Pronuntiant enim *ego*, *eio*, & *Gallus*, *Jallus*. Sed utramque hanc pronuntiationem corruptam esse liquet.

Primùm enim certum est, Jotæ consonantis sonum à Græcis nunquam fuisse usurpatum, sicut suo loco dicemus. Deinde, uni literæ duplicem sonum tribuere non possimus, quin Græcos fateamur literarum inopia laborare: quod ne verisimile quidem fuerit. Eodem igitur sono hæc litera pronuntiari debet, quæcunque tandem vocalis sequatur, eo videlicet quem integrum retinuit ante α & ι.

Sed cujusmodi (quæso) istud est quod docent Grammatici, γ ante alterum, γ, vel κ, vel χ, vel ξ, sicut ν pronuntiari solêre? vt Ἄγγελος, Ἀγκίλια, Ἀγχίσης, *Angelus*, *Ancilia*, *Anchises*: quomodo proferre solent Latini? Nam profecto probabile est, Græcos, si pronuntiationem mutassent, ipsam quoque literam fuisse mutaturos: sicut in συμπληγάδες pro συνπληγάδες, κάββαλε pro κάτβαλε, & similibus: quòd ν ante π, & τ ante β collocari non possit, ut testatur Dionysius. Atqui tantum abest ut suum γ sequentibus illis literis mutari velint in ν grammatici, ut contrà, si ipsum ν occurrerit, velint converti in γ, usitata illa orthographiæ regula, quam tradit Gaza, Τὸ ν, οὔτε πρὸ τοῦ γ, ἢ χ, ἢ κ, ἢ ξ, σώζεται συντιθέμενον, ἀλλὰ τρέπεται εἰς τὸ γ. At (quæso) qua ratione dici possit ν converti in γ, ut deinde ipsum γ, sicut ν expunctum, pronun-

pronuntietur? Nam contra potius ipsum ν servari, & γ, si occurrisset, in ν converti oportuerat. Quid igitur? nempe unus hic etiam est ex grammaticorum nævis. Nam quod ad duplex γ attinet, quid obstat quominus pronuntietur à Græcis, ut & Latinis, in *Aggrego*, *Agger*, & *Aggero*, & similibus? Nam certè tanto mollior est duplicis γ pronuntiatio, quàm duplicis κ, quanto lenior est litera γ quàm κ. At Græci ἐκκλησία, Latini *ecclesia* scribunt & pronuntiant. Sed certè neque duplex γ apud Græcos invenitur, neque γ ante κ vel χ scribitur. Et quod addit de ξ Gaza, in illa sua regula, vanum est: quum ante ξ neque γ, neque ν apud Græcos scriptum inveniatur. Istud autem fefellit grammaticos, quòd non attenderunt consuevisse librorum descriptores, qui ante typographicen inventam Græcos libros, non illis majusculis, sive, ut vocant, capitalibus literis, sed alteris illis minutioribus ex aliis antiquioribus describebant, nonnihil diverso charactere literam ν interdum scribere consuevisse, qui ad γ proximè accederet.

Sciendum est igitur, verum N sic necessariò pronuntiari, ut linguæ mucro palatum feriat, quomodo ex Gallis soli Normanni literam illam efferunt, voces Gallicas terminantem. In altera verò ejus pronuntiatione lingua palatum non ferit, sed in medio motu quasi languescit, sicut Galli sua & omnia Latina in hanc literam desinentia vitiosissimè pro-

proferunt. Hæc autem illa eſt literæ *N* prolatio à Græcis ante alterum γ, item κ & χ, uſurpata, quòd alioqui prior ſyllaba in ν deſinens, cum ſyllaba proxima, à γ vel κ vel χ incipiente, cohærere, niſi aliquo Seva rapto (ut Hebræi loquuntur) interjecto, non poſſet. Ideo in hoc literæ ν ſitu, nempe ante γ, κ, χ, ſic minuſcula forma deſcriptæ, quæ eſt ν, librarii antiquiores & peritiores ſic illam pingere conſueverant, ut lineæ illæ duæ, quarum concurſu deſcribitur, paulo inferiùs ad angulos rectos coïrent, hac forma videlicet ⊬, qui character etſi differt à γ, in quo iſtæ ſunt obliquæ lineæ & inflexæ, tamen ad illam ſic accedit ut facilè iſte pro altero irrepſerit. Sic ergo hæc Græca & ſimilia literis illis minuſculis ſcribebantur, Ἄνγελος, Ἄνκυρα, Ἀνχίσης, non Ἄγγελος, Ἄγκυρα, Ἀγχίσης, quod grammaticos fefellit. Hujus autem animadverſionis probationem habeo planè neceſſariam, quòd abſurdiſſimum fuerit exiſtimare, literam ν in γ fuiſſe mutatam, quod tamen γ poſtea non ut γ, ſed ut expunctum ν, efferretur. Deinde ſic teſtor, me in vetuſtiſſimo epiſtolarum Pauli codice majuſculis literis ſcripto voces iſtiuſmodi ſcriptas deprehendiſſe, ΑΝΓΕΛΟΣ, ΑΝΚΥΡΑ, ΑΝΚΑΛΗ, quod etiam gloſſariorum permultorum vetuſtiſſimorum authoritate confirmari poteſt. Denique doctiſſimus ille Nigidius Figulus, teſtis omni exceptione major, hoc ipſum me docuit, à Gellio citatus, lib.

lib. XIX. cap. 14. sic hac ipsa de re scribens; *Inter literam N & G & C est alia vis, ut in nomine Anguis, & Angustia, & Ancora, & Increpat, & Incurrit, & Ingenuus. In omnibus enim his non verum N, sed adulterinum ponitur. Nam verum non esse, lingua indicio est. nam si ea litera esset, lingua palatum tangeret.*

Δ.

Delta, ab Hebræo Daleth, Latino *d* respondet, a Græcis autem nonnullis hodie quasi blæsa voce nescio quàm rectè enuntiatur, sono proximè ad ϑ accedente: quo modo Hebræi suum Daleth enuntiant, quando punctum non habet quod ipsi Daghes appellant. Verùm, si hæc pronuntiatio germana esset, oportuerat hanc literam inter aspiratas hinc recenseri. neque enim Delta hac aspiratione minus frangitur, quàm vel τ, vel π, vel κ: ex quibus oriuntur ϑ, φ, χ.

Deest autem Græcis sonus ille Hebræorum in hac litera, sicut etiam in g, quem raphatum vocant, daghessato oppositum: quòd has literas Græci nunquam aspirent, Hebræi sæpe. Ejus denique literæ Græcæ formam ab Hebræa & Latina divisam, nempe triquetram, æquilateram, elegantissimè describit Aratus, ubi Astrum quod Deltωtum vocatur depingit: & Hirtius lib. IV. ubi agit de Ægypto inferiori, quam Delta vocant.

E.

E.

E, ſecunda in literarum ſerie vocalis, numerò autem literarum quinta, prorſus ea ipſa eſt quam Hebræi pari loco ſitam, eodem quoque ſono & nomine appellant: falſò ab Hebræis grammaticis pro aſpirationis nota habitam: quamvis ipſius nomini He aſpiratio fuerit præpoſita, ut præpoſitivo articulo ἡ prorſus reſpondeat. Eſt igitur hæc quoque litera merè gutturalis, & ſimul vocalis. Nam aſpiratio vocem per ſe non edit: ac proinde Heth inter gutturales peculiari ratione à grammaticis Hebræis refertur, nempe non quòd per ſe, ut vocales, vel conjunctim cum vocalibus ſonum aliquem verum edat, ſed quòd ſit denſior quidam duntaxat flatus, ſolo gutture expreſſus. Quamobrem etiam à veteribus grammaticis & Græcis & Latinis ne inter literas quidem recenſetur, ſed inrer apices, vel adſcriptos, vel ſupraſcriptos, qui tum vocalium tum conſonantium vocem moderantur. Hanc autem unicam literam Græci (ut teſtatur Plato in Cratylo) & tres præterea vocales, nempe ο, ὠ, & υ, ſuis ſimplicibus ſonis appellarunt. Itaque epithetum illud, quo ψιλὸν, id eſt, nudum & tenue, vocatur, tum demum adjectum fuit quum cœperunt Græci inter ε & ει diſcrimen facere, & illud quidem inter literas, iſtud verò inter diphthongos recenſere. Veteres enim initio hanc literam vocabanr ει, ſicut oſtendit

 Athe-

Athenæus libro 10, & Plutarchus in eo libello quem inſcripſit περὶ τοῦ εἰ τοῦ ἐν Δελφοῖς: & poſt eum Euſtathius, in Iliad. ε. Item Nigidius apud Gellium, lib. 19. cap. 14. Qua de re plenius dicemus in ει diphthongo.

I.

IOTA, (id eſt, Iod Hebræum, *d* in *t* mutato) reſpondet j Latino: eſtque ſimpliciſſima & exiliſſima vocalis, ut ſono, ſic etiam figura: ideoque pumilio vocata. Unde illud Chriſti, *Ne unum quidem iota præteribit.* Sed quæritur à nonnullis quam vim habeat, quum aliis vocalibus præit initio dictionum peregrinarum: ut in Ἰούλιος, quod à Latinis ſumptum eſt: in Ἰωάννης, & Ἰησοῦς, & ſimilibus, quæ ab Hebræis ſumuntur. Nam illud Latinis eſt triſyllabum, ut iſta quoque Hebræis, in quibus *I* non eſſe vocalem conſtat: ut nec in illis, *Jampridem*, *Jecur*, *Jocus*, *Jucundus*, teſtatur Nigidius apud Gellium lib. XIX. cap. 14. quomodo apud nos Gallos etiam enuntiatur tum initio dictionum: ut *Je*, *Janin*, *Jamais*, diſyllabis: tum in medio, ut *Desjeuner*, triſyllabo: tum in fine, ut *desja.* Conſtat igitur hanc literam tum apud Hebræos, tum apud Latinos unum quidem ſonum vocalem, alterum verò conſonantem habere. Apud Græcos autem ſemper (ut arbitror) fuit vocalis.

K.

K.

Hanc literam Græcorum, alii Cappa, alii Coppa, vocarunt, duabus videlicet literis Caph & Coph ex adverſo reſpondentem. Neque propterea exiſtimandum eſt, Hebræos redundantem habere literam in hoc eodem ſono: quod etiam in aliquot aliis literis contingit, certam ob cauſam, cui neque in Græco neque Latino ſermone locus eſt. At Latinis illud objicitur, quòd ſuo *C* non contenti, etiam *K* & *Q* inter literas ſuas recenſeant, teſtante Fabio, & aliis poſt eum grammaticis, & quidem Priſciano, & Soſipatro in primis, *K* prorſus redundare. quæ tamen litera Græco κ, tum ſono, tum ipſo charactere, prorſus reſpondet. Sed nunc quidem nobis propoſitum non eſt de Latina pronuntiatione diſſerere. Illud potiùs nobis obſervandum eſt, eodem ſono, prorſus tenui videlicet & ſicco, hanc literam eſſe, non tantùm ante α, ο, υ, & ω, ut à Latinis hodie fieri conſuevit, ſed etiam ante ε & η pronuntiandam. Et quod grammatici præcipiunt pronuntiandam eſſe κ ut γ, poſt illud adulterinum γ, de quo paulò antè diximus, (ut ἄγκυρα, quaſi ſcriptum ſit ἄνγυρα,) merum eſt commentum.

Λ.

Lambda, id est, Hebræorum Lamed, maximè lubrica, ut annotat Plato in Cratylo, idem valet quod *L* Latinum.

M.

Mῦ, id est Mu, non My, sive (ut Iones loquuntur) Mῶ, quæ est Hebræis Mem, idem valet quod Latinum *M*: neque ullas apud Græcos dictiones claudit, ut rectè Fabius annotavit. Vulgò igitur à Gallis pessimè pronuntiatur, quoties syllabam claudit, infracto videlicet sono, & ore hiulco: quum debeat compressis labiis, veluti cum mugitu, efferri.

N.

Nῦ, id est, Nu, non Ny, respondet *N* Latino, debetque linguæ mucrone palatum ad dentium anteriorum radices feriente, & veluti sonum adjunctæ vocalis, intus, (ut ait Plato in Cratylo) cohibente, pronuntiari, sive syllabam inchoët, sive claudat, apud Græcos præsertim. Itaque idem in hac litera vitium admittitur, quod in superiore, à Gallis plerisque: exceptis Normannis, qui hanc literam tam egregiè exprimunt Latina pronuntiantes, quàm vitiosè quum Gallica legunt.

gunt. Contenti ſunt enim Galli dimidiato *M* & *N* ſono, quum ſyllabam claudunt: ut inter has duas literas diſtinguere non poſſis, imò verò ita ut neutra tota audiatur.

O.

Hanc literam ſi dixero Ajin Hebræo, perperam ſic pro Ojim appellato, & vocali, non conſonanti, reſpondere, ſcio fore ut hoc nomine velut hæreſeos ab Hebræorum grammaticorum gente accuſer. Ego tamen meritò id dici poſſe ſuſpicor, multis de cauſis, tum etiam ob ſitum hujus literæ quæ à Latinis & Orientalibus longè plurimis pro *O* ante *P* ſtatuitur; & apud Hebræos eum ipſum ſonum edebat quem Belgæ per W ſcribunt, & Picardi Galli pro *G* pronuntiant, ut *Wagner*, pro *Gagner*, & *Walon* pro Gallo. Et ſic quoque Sabaudis *Veſpa* dicitur *Weſpe*, quæ Gallis eſt *Gueſpe*. Sic Hebræum *Womorra*, Latinis eſt *Gomorra*. Sed de iſtis alius fortaſſe dabitur dicendi locus. Certè illius W ſonus vel ille ipſe eſt qui ȣ diphthongo tandem cœpit à Græcis ſcribi, vel ei proximus. Græcos autem veteres hanc literam non claro illo ſono, qui nunc unus tum literis ο & ω tribuitur, pronuntiaſſe, teſtantur, Nigidius apud Gellium, & ex recentioribus grammaticis Græcis Euſtathius. Atque adeò manifeſtè liquet ex illo epigrammate quod Thraſymachi Sophiſtæ monimen-

to inſcriptum erat, ut docet Athenæus lib. X. eſt autem ejuſmodi,

Τȣ́νομα, θῆθα, ῥῶ, ἄλφα σὰν, υ, μῦ, ἄλφα,
χι, ȣ, σαν.
Πατρὶς Χαλκηδών. ἡ δὲ τέχνη, σοφίη.

Nam his literis exprimitur Θρασύμαχος. itaque penultima litera, ȣ non ο eo tempore dicebatur: & in quibuſdam ο ſimplex, in quibusdam ȣ ſonabat: ut idem Athenæus, Achæum quendam tragicum citans, oſtendit. Ex qua conſuetudine diſtichon illud Auſonii, alioqui perplexum, explicandum eſt.

Una fuit quondam qua reſpondere Lacones
Littera, & irato regi placuêre negantes.

Nimirum ο, non υ, ſicut quidam exiſtimavit. Inde quoque opinor factum ut nomina apud Latinos in *us* deſinentia (quod tamen craſſiore ſono exprimebatur, ſicut in υ dicemus) Græci hac litera ο expreſſerint. ut *Publicola*, Ποπλικόλας, *Numitor*, Νομίτωρ, *Fabius*, Φάβιος, & ſimilia. Item ut Latini *o* Græcorum ſuo *v* expreſſerint. ut Ὀδυσσεὺς, *Ulyſſes.* Hinc quoque Latinæ voces *Nos* & *Vos*, nobis Gallis ſunt *Nous* & *Vous*: & Galliæ Lugdunenſis vulgus ſic ο pronuntiat (idque perperam) ut ȣ diphthongus audiatur. Narbonenſes contra ο ſcribunt pro ȣ, ut *beaucop* pro *beaucoup.* Quum igi-

igitur veteres Græci duplicem ſonum huic literæ (ex ſuo quoque ſono, ut ait Plato in Cratylo, nominatæ) tribuerent, nempe in quibuſdam ϗ, in quibuſdam ο clari & ſimplicis (quod inopiam ipſorum arguebat) merito cœperunt ϗ duabus literis ſcribere: adeo ut potuerit quoque ο ψιλὸν, id eſt tenue, vocari, ſicut ε ψιλὸν, ut ab ει diphthongo diſtingueretur. Maluerunt tamen ο μικρὸν vocare, ut ab ω diſcerneretur: quod μέγα nuncuparunt, tum ob craſſiorem characterem, tum ob pronuntiationis productionem.

Π.

PI, (quod Hebræi veteres, teſte Hieronymo, non PE, ut nunc, ſed PHE dicebant) idem valet quod *P* tenue; Quæ litera perperam à Germanis cum *B* confunditur, ſicut *D* cum *T*, & *G* cum *C*. Eorum tamen errori videntur grammatici patrocinari, quum monent ut præcedente μ efferetur π ſicut *b* Latinum. Sed nulla eſt ratio qua poſſit iſta præceptio confirmari.

Ρ.

PHO, Hebræis RES, aſperrima eſt omnium literarum: & Canina litera vocata, quod irritati canes illam frendendo exprimere ſoleant. Idem autem prorſus valet quod *R* Latinum:

ſed emollitur à Græcis initio vocabulorum, & in medio quoque, quoties geminatur, inſerta aſpiratione, quæ ſonum, non aſperiorem (ut nonnulli voluerunt) ſed denſiorem & veluti blæſum efficiat. Hac ipſa de cauſa Latini, præſertim veteres, non modo *Fuſius* pro *Furius*, & ſimilia dicebant, ſed etiam *Arboſem* pro *Arborem*, teſte Feſto, & *Quæſere* pro *Quærere*. Sic *Honos* & *Honor* promiſcue ſcribitur, & *floris* genitivus caſus a recto *flor* non a *flos* deducitur. Sed præſtat ſuum literæ cuique ſonum vindicare.

Σ.

Sigma, Hebræorum Samech (quod Dores San vocant, ſicut Herodotus & alii teſtantur, unde Sanphoræ, equi hujus literæ charactere ſignati) merus eſt ſibilus: ideóque ab Hebræis ſpecie quadam ſerpentis caudam ad caput retorquentis, & à Græcis, in gyrum ſeſe revolventis, hac videlicet figura Σ: vel veluti caput vibrantis, ut σ: denique ut ſeſe ſinuantis, pingitur, nempe ς, quam figuram Latini imitati ſunt. Reſpondet igitur *S* latino: & malè à Gallis infracto ſono & ſicut Zain Hebræorum pronuntiari ſolet, quoties vel in eadem vel in diverſis dictionibus reperitur media inter duas vocales. Sic enim *Cauſa* pronuntiant ac ſi *Cauza* ſcriptum eſſet, ut quidem vulgò Zeta efferri ſolet: quomodo Germani nonnulli perperam pro

βασιλεὺς

βασιλεὺς pronuntiant βαζιλεὺς. Sed hoc vitium dum nonnulli vitare ſtudent, in aliud incidunt, ita pronuntiantes acſi duplex ſſ ſciptum eſſet. Modus ergo in hac ſimplice litera tenendus eſt, ut lenis ſibilus audiatur.

Cæterùm diverſam olim fuiſſe hujus literæ majuſculæ figuram ab ea quæ nunc uſurpatur, ex eo liquere poteſt, quòd ab Euripide & Theodecte comparatur cincinno retorto, ab Agathone verò arcui Scythico: qualis eſt prorſus hodie Turcicus, remiſſus quidem, non intenſus. Quorum verſus ſuo loco ſubjiciemus, ex decimo Athenæi libro. Apparet autem hæc ejus figura in vetuſtis codicibus, & nummis, eadem prorſus ac *C* Latinorum: niſi quòd extrema cornua habet intus aliquantulum reflexa, & magis oblonga: hoc modo, ζ.

T.

Tau reſpondet *T* Latino. A grammaticis autem confunditur cum δ, quoties ν præcedit, ut ἀντὶ *andi*: quum *n* ante *t* ne Latini quidem reſpuant.

Υ.

Υ ψιλὸν, id eſt tenue vocatum, (initio quidem ut ab illo craſſo literæ *o* ſono, quæ per *u* enuntiabatur, poſtea vero ut ab ipſa

 diph-

diphthongo diſtingueretur) reſpondet literæ Hebræorum *Vau*, quum vocalis eſt, pro qua grammatici ſuum *Surec* & *Kibbuts* uſurpare cœperunt. Fuit enim hujus literæ duplex ſonus peculiarem ob cauſam ab Hebræis attributus. Quod autem hujus literæ autor à nonnullis habetur Pythagoras, parum probabiliter dicitur. Quis enim exiſtimet vel invehi novum aliquem ſonum ab illo potuiſſe, vel Græcis ad illius uſque tempora defuiſſe figuram, qua ſonum illum exprimerent? Quæ ſit autem hujus literæ vis, oſtendit epitheton τȣ ψιλȣ, quo tenuitas ejus ſignificatur, ut ad *Jota* vocalis exilitatem proximè accedens. Nam eo ſolo inter ſe differunt (inquit Dionyſius) quod *jota* pronuntiatur ſpiritu ad palatum illiſo (unde inter palatinas literas ab Hebræis recenſetur) & ore paululum aperto; υ ψιλὸν vero contractis labiis, quaſi ſtrangulato ſpiritu, effertur, ita ut anguſtus ſonus effluat. Itaque nemini dubium eſſe debet quin illud ſonet quod *v* Gallicum à Germanis dicitur, ut qui videlicet veteres Latinos imitati (ſicut etiamnum hodie Itali, & pleræque aliæ nationes) *v* vocale Latinum non aliter pronuntiant, quam nunc Græcos ſecuti Galli ου diphthongum. Itaque etiam coguntur Germani, characterum inopia, huic literæ duplicem ſonum tribuere: quem tamen appoſito quodam apice, hac videlicet figura *ú*, diſcernunt, quæ *v* Gallicum, id eſt, tenue & exile deſignat. Sed & Latini qui eodem

dem modo, id eſt, *ου* diphthongo, ſuum *u* vocale in pleriſque vocibus pronuntiabant, in quibuſdam tamen vocabulis (ut ait Fabius) medio ſono illud efferebant inter *u* & *i*, id eſt, qui neque tam craſſus eſſet atque *v* (quem videlicet efferebant pro *ου*) neque tam exilis quam *i*. Vnde factum eſſe idem ait ut pro *Optumus* & *Maxumus* ſcriptum ſit primum à C. Cæſare *Optimus* & *Maximus*: quem reliqui poſtea ſunt imitati, quia nimirum *u* illud vocale & exile, de quo loquimur, propter exilitatem multo propius ad *ι* quam ad *ȣ* accedit: adeo quidem ut Ovidius lib. de Remedio Amoris ſecundo, hæc duo nomina *Chryſeis* & *Briſeis* prima tantum litera differre ſcribat. Itaque Latini pro *u* tenui in ſuis vocabulis ſcribere cœperunt *i*: ut *Silla* & *Inclitus*, pro *Sulla* & *Inclutus*. In Græcis autem vocabulis, ſicut peregrinum ſonum, ſic etiam *υ ψιλὸν* Latini retinuerunt: propterea literis mere Latinis adjectum poſt *T*, quæ ut Hebræarum, ita etiam procul dubio fuit olim Latinarum ultima. Et hinc nonnulli effictum fuiſſe volunt characterem Υ, vero *ι* ad baſin literæ *v* vocalis adjecto. In nonnullis tamen pro *υ* pſilo Latini ſuum illud *u* uſurparunt, ut in *Tu*, *Sus*, *Super*, à Græcis, *τὺ* Dorico, *σῦς*, *ὑπὲρ*, & pauculis ſimilibus: quas tamen voces haud ſatis ſcio an illo ſuo *v*, id eſt *ȣ*, an vero potius *u* tenui & Græco pronuntiarint. Nobis autem nunc quidem ſat eſt germanum hujus literæ ſonum aperuiſſe;

ruiſſe: quem ipſe quoque à Latinis uſurpatus character, nempe *u*, demonſtrat, merè Græcus, ab altero Latino *u* diverſus. Recte igitur P. Ramus docuit duas eſſe iſtas literas diverſo ſono exprimendas: quarum una, ſit vocalis, altera vero, conſonans Æolica. Sed in eo maxime lapſus eſt, quod vocali hanc figuram *u* attribuit, conſonanti vero iſtam *v*: quum è contrario *v* ſit vocale, & purum putum Græcorum *v*: *u* vero ſit adulterina digammatis figura, ex Græco *beta* ſic a librorum deſcriptoribus quibuſdam jam olim depicto, *u*

Sed ne hoc quidem mihi videtur prætermittendum, quod annotat Athenæus lib. II. Græcos videlicet ipſius ætate conſueviſſe ſuo *u* uti in ſcribendo, non modo quum illud ſolum enuntiarent, ſed etiam pro diphthongo *ų*: ſicut etiam ſolo *o* diphthongum quoque *ȣ* deſcribebant.

De reliquis octo literis à Palamede & Simonide repertis.

ET hæ quidem ſunt ſexdecim illæ literæ ex Phœnicia in Græciam à Cadmo illatæ, & totidem ſonis ſimplicibus exprimendis repertæ. Quod autem aliæ præterea quatuor illis additæ dicuntur belli Trojani tempori-

poribus à Palamede, itidemque aliæ quatuor à Simonide Ceo, & melico poeta, mihi non fit verisimile. Primum enim ex illis octo literis, η, ω, ζ, ξ, ψ, φ, χ, θ, quæ sunt ab hoc vel illo inventæ, variant scriptorum sententiæ: eo excepto, quod omnium consensu η & ω Simonidi acceptæ referuntur. Deinde illa quarundam ex his octo nomina quum Hebræam originem habeant, ut Heta, Theta, Zeta, Phi, Chi, (quibus respondent Hebrææ voces, Heth, Thet, Tsade, Phe, Schim) argunt certè parem illis prioribus sexdecim antiquitatem. Sed hoc agnosco, Græcam linguam his octo non sonis quidem, sed characteribus carere posse, utpote quæ non necessitate, sed commodioris & compendiosioris scriptionis causa, sive initio, sive aliquanto post literas alias fuerint usurpatæ. Nam ut de η & ω priore loco dicam, quum quantitate sola non sono ab ε & ο differant, novis notis non indiguerunt. Imo quæri etiam posset cur Simonides alias etiam tres figuras non adhibuerit, quæ α, ι, υ, longas significarent. Huic autem quæstioni sic videtur responderi posse, ac etiam debere, ex Prisciano, solas illas ε & ο Simonidis temporibus fuisse in quibusdam vocibus productè, in quibusdam breviter enuntiatas: at tres illas, α, ι, υ, promiscue in quibusvis dictionibus initio fuisse ancipites, sicut in ἄρες ἄρες βροτολοιγέ. Quod salse exagitans Martialis, *Nobis*, inquit, *non licet esse tam disertis*. At apud

apud Hebræos quum nullas eſſe ancipites animadverterent grammatici recentiores, & nullam eſſe ex quinque vocalibus quæ in aliis etiam vocibus non produceretur, in aliis vero non corriperetur, decem puncta illis ſignificandis adhibuerunt, non ſono ſed quantitate diverſa. Præterea quum ſæpe σ occurreret cum quibuſdam mutis in eadem ſyllaba conjunctum, compendia quædam inventa ſunt, quibus geminæ literæ uno ductu ſcriberentur. Puta, ζ, ξ, ψ, quas literas idcirco duplices vocant. Poſtremo, quum ut ſcribit Euſtathius in Iliad. α, tribus literis, π, κ, τ, ſoleret interdum imponi ſpiritus denſus (nam ſolæ illæ mutæ apud Græcos aſpirantur) repertæ ſunt tres notæ, quibus eædem illæ literæ ſignificarentur aſpirari, ut apicem inſcribere minime ſit neceſſe: nempe φ, χ, θ, quas literas ob eam cauſam aſpiratas appellant. Sed de his age ſigillatim dicamus.

H.

Eta ab *Heth* Hebræorum nomen traxit, ſicut ipſa denominatio declarat: ſed illud etaim quod Athenæus lib. IX. ſcribit, his verbis, Οἶμαι δὲ καὶ διὰ τοῦ η στοιχείου τυπώσασθαι τοὺς παλαιοὺς τὴν δασεῖαν· διόπερ καὶ Ῥωμαῖοι περὶ πάντων τῶν δασυνομένων ὀνομάτων τὸ η προγράφουσι. Hactenus Athenæus. Eam autem notam poſtea pro ε longo Græcos uſurpaſſe, diſerte teſtatur

teſtatur Plato in Cratylo, his verbis, ϰ γὰρ ἢ ἐχρώμεθα, ἀλλὰ ε τὸ παλαιόν. quod nunc quoque in uſu eſt. H enim conſtat eſſe aſpirationis apud Latinos notam, quam & ipſos Græcos olim ſimili modo adſcripſiſſe annotant qui veteres nummos Græcos obſervarunt, initio quidem vocabulorum: ſiquidem Græci aſpiratione, niſi in litera ϱ geminata poſteriore, nunquam in mediis neque in ultimis ſyllabis utuntur. Eadem eſt prorſus ratio literæ *Heth* apud Hebræos: quam plerique Hebræi legentes perperam cum χ confundunt, quum eadem prorſus ſit aſpiratio quæ *H* literæ Latinæ, ut ipſe quoque character indicat: orto inde errore quod vocales literas, *Aleph*, *He*, & *Aijm*, putarunt eſſe aſpiratas: quarum diverſos veluti gradus fecerunt. Primum autem Simonidem, melicum poetam celeberrimum; qui 56, vel (ut alii volunt) 62 Olympiade floruit, hanc literam integram pro ε longo uſurpaſſe: cujus exemplum poſtea cæteri docti ſint ſequuti, charactere *H* ſic diviſo, ut ⱶ quidem denſiorem pronuntiationem, ⊣ vero tenuiorem & ſimpliciorem declararet: vocalibus dictionem inchoantibus initio quidem adſcripta, ut ⱶελένη: poſtea vero impoſita, ut ἑλένη. quarum figurarum vice poſtea minutioribus literis impoſiti ſunt characteres: & ille quidem aſpiratam, iſte vero tenuiorem ſonum notans: alterutra nota certe redundante. Sed & in eodem dialogo ſcribit, pro ι, quo veteres libenter uteren-

uterentur, uſurpari cœpiſſe vel ε vel η, clariores ſcilicet & magis inſignes literas. Ex quibus verbis apparet, perperam eos facere qui cum jota confundunt: à quibus ego magnopere contendo ut rationem tandem auctoritate veterum confirmatam diſcant depravatæ conſuetudini anteponere.

Quid ſcripſerit Euſtathius in librum Iliad. α, de parecheſi loquens, non ignoro: ſed vocabulo certe παρηχήσεως non idem ſonus, ſed affinis dumtaxat ſignificatur. Quod ſi παρήχησιν Euſtathius aliter intellexit: quam depravata fuerit ipſius tempore Græca pronuntiatio, vel illud declarat, quod hac ratione non modo η cum ι, ſed etiam η, ι, & ει, deinde ει & η, poſtremo αι & ε confuderit. Itaque tanti non debet eſſe illius recentioris auctoritas, ut veteribus omnibus opponatur: quum præſertim hæc depravatio maximas ſcribentibus objiciat difficultates, dum hæſitant, quod per ι profertur, ſitne per ι, an per η, vel υ, vel ει, vel οι, vel η, ſcribendum.

Quod ſi hæ rationes non ſufficiunt, age, alias etiam proferamus. Quæro igitur, ſi η ut ι proferendum eſt, cur inventum ſit & uſurpatum, quum ι anceps maneat. Quæro etiam cur in præteriti augmento ε in η mutetur. Nam certe ε, quamvis tenue, uberius tamen eſt quam ι: ita ut ſi in jota mutes, non augeri, ſed imminui videatur. Quæro demum cur η a Latinis Græca verba uſurpan-

pantibus nunquam mutetur in *ι*, nisi fortasse in *vestis* ab ἐσθὴς (quod tamen omnibus non placet) sed in *e* perpetuo, vel breve, ut κρηπὶς *crepida*: vel longum, ut Πηνελόπη *Penelope*. Nam *fagus* & *fama* & similia non deducuntur à Græcis φηγὸς & φήμη, sed vere Dorica sunt: qua dialecto magna Græcia utebatur. His denique accedit Gazae illius doctissimi, quamvis plane recentis grammatici, authoritas, qui lib. III. τῶ εἰς τέσσαρα sic scribit, de Temporum notis loquens. τῶν μὲν οὖν πάλαι ἴσως οὐ μόνον τὸ ε καὶ ο τόπος τοῖς τοιούτοις σημείοις, ἀλλὰ καὶ τὸ α καὶ ι καὶ υ. νῦν δὲ ἐπὶ μὲν τοῦ ε καὶ ο περιττά, τὸ γὰρ η καὶ ω μεταλαμβάνοντες γράφομεν.

Ω.

Ω mega, id est *o* magnum (quod & ipsum volunt fuisse a Simonide primo usurpatum) ita vocatum est ex collatione cum altero quod μικρὸν dicitur. Est enim re vera magnum, sive quantitatem spectes (est enim natura longum) & eo uno differt ab ο clariore, sicut declarant Plato in Cratylo & in Phædro, & tum Aristoteles in Poëtice, tum Dionysius in Rhetoricis, sive figuram, quum sit veluti ex duobus οο conflatum, ex veterum consuetudine, qui (ut inquit Fabius) ante repertam temporis longi notam, vocales productas in scribendo geminabant. Nunc tamen ita pingitur periodorum initiis, ut veterem

 terem

terem figuram nullo modo referat, in ipſo vero contextu, ita ut duplex υυ potius quam duplex οο referat. Qui error Euſtathii jam ætate inoleverat, ſicut apparet ex ipſius commentariis, Iliad. λ. Et hæc quidem de duabus illis longis vocalibus.

De literis duplicibus.

Z.

Ex tribus autem duplicibus literis, ſeu potius literarum compendiis, *Zeta* oppoſuimus *Tſade* Hebræorum, non *Zain.* Neque enim pronuntiari debet ſicut hodie a Gallis *ſ* litera effertur quum eſt inter duas vocales media, & ut *Zain* Hebræorum: neque etiam ut duplex *ſſ*, ſed ut *dſ*, qui ſonus eſt ſuaviſſimus, & a Latinis nunquam ſatis recte exprimi potuit, ut ait Fabius, declinant nimirum ad *tſ*, ſicut & Hebræi faciunt. Cæterum quod omnes aſſerunt Græci grammatici, nimirum non *dſ* (ut diximus) ſed *ſd* valere, hoc mihi quidem probari non poteſt. Nam primum omnium debet inter tres duplices eadem eſſe analogia: cæteræ autem non valent σπ, vel σκ, ſed πσ & κσ. Deinde ubi illa eſſet hujus literæ ſuavitas, qua Fabius teſtatur lib. XII. nullam dulcius ſpirare? Præterea quum hoc iidem grammatici obſervent, quoties nimirum duæ conſonantes in themate repe-

reperiuntur, priorem esse characteristicam, quæ (quoad ejus fieri potest) in præterito medio & aoristo secundo servetur: certe aoristus secundus ἔφραδον ostendit thema φράζω sic pronuntiandum esse, ut φράδσω non φράσδω audiatur. Postremo quum omnes tradant valere σδ, nemo tamen pronuntiat, sed Galli quidem ut σ infractum sonant, Germani vero & Itali vel inviti veram pronuntiationem retinuerunt. Decepti autem videntur (quod eorum pace dixerim) Græci grammatici Dorica dialecto, ut ζ dicerent δσ valere. dicunt enim Dores συρίσδω pro συρίζω, & similia. Sed hoc fit per literarum metathesin. unde etiam fortasse ortum est ut Latini ex ὄσδω, pro ὄζω, fecerint *odor*: & aliquando *Medentius*, ex Μεσδέντιος pro Μεζέντιος, dixerint. Cæterum quod apud Dionysium quoque in lib. περὶ συνθέσεως ὀνομάτων legitur ζ valere σδ, eum sane locum non dubito affirmare ab iis esse corruptum, qui ex aliorum grammaticorum opinione restituendum putarunt. Id enim apparet ex eo quod paulo post, quum inter se tres duplices literas comparat, suavissimum esse dicit ζ: quia reliquæ duæ, nempe ξ per κ, ψ vero per π, sibilum efficiant, quæ ambæ sunt tenues: ζ vero sensim & leniter spiritu aspiretur. Ex quibus verbis quis illud non videat, duplicium literarum naturam ex sibilo æstimari? quod fieri non potest in ζ, si ut σδ pronunties. nam ita futurum esset ut non σ, sed δ potissimum audiretur, & a σ

præcedente minime leniretur ad suavissimum illum sibilum exprimendum.

Ξ.

Literæ XI compedium ignorant Hebræi, utentes distinctis *Caph* & *Samech*. Valet autem interdum κσ, interdum γσ. quod ex obliquorum analogia apparet. dicimus enim φοίνιξ φοίνικος, & ἄντυξ ἄντυγος. Interdum tamen κ in obliquis aspiratur, sed præter recti naturam. Nam inter κ & σ locus aspirationi nullus esse potest. Itaque quamvis dicamus θρὶξ τριχὸς, minime tamen existimandum est ξ in θρὶξ valere χσ.

Ψ.

PSI modo valet βς, ut Ἄραψ Ἄραβος, modo πσ, κύκλωψ κύκλωπος. Existimat tamen Priscianus volubilius quiddam sonare quam *ps*, sed nescio quam recte. Et hæc quidem de duplicibus.

De tribus literis aspiratis.

In aspiratis literis primum omnium vetus error ille corrigendus videtur, quo nonnulli jampridem has literas pro aspiratis asperas nominant, quum potius densas & crassas vocare

re oporteat. Neque enim a Græcis τραχέα γράμματα, ſed δασέα dicuntur: quod copioſiorem ſpiritum requirant, ut ſit earum opima & quaſi adipalis pronuntiatio. Quamobrem etiam literas illas oppoſitas non lenes, ſed ψιλὰ, id eſt tenues & exiles appellant. *R* potius litera eſt aſpera, & *L* contra admodum lenis, ſicut Ovidius his verſiculis optime declarat de Remuriis loquens, quæ poſtea Lemuria dicta ſunt.

Aſpera (inquit) *mutata eſt in lenem tempore longo*
Littera, quæ toto nomine prima fuit.

Itaque a Græcis initio dictionum, & ſiquando geminata occurrerit, addito ſpiritu denſo lenitur: tantum abeſt ut recte faciant qui denſum cum aſpero confundunt. Ex his igitur literis

Θ.

THETA, funeſta illa in capitalibus judiciis litera (quod dictionem Θανατὸς inchoet) nomen ſumpſit a Teth Hebræorum, quod perperam pro *T tenui* accipitur. Eſt autem hic ſonus Latinis ignotus, niſi quum Græcas dictiones ſcribunt & enuntiant: quem proxime nos Galli exprimimus, quum *tiene* diſyllabum pronuntiamus. Sabaudi vero peni-

tus repræſentant quum pro Conte ſcribunt & pronuntiant Conthe.

Φ.

PHI reſpondet F Latino, id eſt (ut ipſe quoque character oſtendit) τῷ δίγαμμα Æolico, ut nunc quidem effertur. Nam olim (ut recte ſcribit Priſcianus) *f* vero τ͂ δίγαμμα ſono enuntiabatur, ita ſcil. ut nunc quoque a Germanis effertur. unde fundum ſuum Formianum Cicero vocat δίγαμμα: eratque is ſonus ſolis inter Græcos Æolibus peculiaris. Sed poſtea in ejus locum ſucceſſit *v* conſonans, ipſum vero digamma *f* in locum *p* aſpirati: quod tamen in vocabulis Græcis ſervatum eſt, ut in Philologia, Philoſophia, Philomela, & multis ejuſmodi. Pauca tamen excipiuntur, ut fama, fuga, fagus, a Græcis φημὴ, φυγὴ, φηγὸς, & alia præterea nonnulla, quæ uſus obtinuit ut per *f* ſcriberentur, quamvis Græca ſint. Hæc igitur cauſa eſt cur Cicero Græcum (ſicut annotat Fabius) teſtem irriſerit qui primam nominis Fundanii literam efferre non poſſet: ut qui ejus literæ ſonum ignoraret, a ſolis Æolibus inter Græcos uſurpatum. Nam idcirco etiam Græci pro Fabius & Fabricius ſcribunt φάβιος & φαβρίκιος. Illa vero quæ a Latinis per *u* conſonantem proferuntur, per ου diphthongum ſcribebantur, ſicut ex Dionyſio apparet

paret lib. ἀρχαιολογίας I. ut pro Velia & Valerius, Οὐελία & Οὐαλέριος, aucto syllabarum numero, quod eam literam eumque sonum soli ex Græcis Æoles usurparent. Apud Latinos igitur quum *f* in *p* aspirati sonum successisset, unica litera, propter characterum inopiam, & pro vocali & pro consonante cœpit usurpari. Idcirco Claudius Cæsar, teste Suetonio, ϝ δίγαμμα usum voluit revocare in *v* consonantis locum: sed inversa ejus figura, ut Ⅎ, quomodo in antiquo monimento ⅎiⅎos pro Vivos scriptum legitur: ne videlicet cum F confunderetur, quod pro *ph* longa jam consuetudine usurpabatur. Sed quod usu tam diuturno invaluerat, corrigi non potuit. Confirmant hæc igitur nostra de F litera opinionem, & satis (ni fallor) ostendunt eos non recte sentire qui inter F & *ph* discrimen aliquod constituere conantur.

X.

Hæc litera Chi Græce vocata omnino respondet Hebrææ literæ *Chin* dextro puncto signatæ: quam existimo perperam vocari *Schin*, & cum *Sameth*, si punctum sit sinistrum, confundi: ut alibi fortassis ostendam. Est autem hujus literæ Græcæ sonus Gallis perdifficilis, qui *ch* nonnisi crasse proferunt, ut in *Secher*, *Coucher*: sicut etiam Picardi pro *Ceci*, *Cela*, scribunt & pronuntiant *chechi*, *chela*, qui videtur verus sonus esse literæ *chin*

 cum

cum puncto ſiniſtro: quum hæc litera Græce pronuntianda ſit, ut a Germanis fieri conſuevit in *Machen*, *Kirchen*, & ſimilibus, quem fuiſſe arbitror alterum literæ *Chin* ſonum, dextro puncto notatæ, ut & *Caph* quod raphatum vocant. Quo ſono videlicet ille a Catullo exagitatus ſuum illud *chommoda* pro *commoda* ſonabat: ſicut altero illo craſſiore ſono ſæpe ſum miratus eruditos quoſdam literam *c* ante *e* & *i* proferre, ut *Chichero* pro *Cicero*. Quæ prolatio ſi vera eſſet, Græci profecto non Κικέρων ſed Χιχέρων ſcripſiſſent. Sed illud qui tandem ſit factum neſcio, ut Latini characterem hujus aſpiratæ literæ, nempe X, converſis literis IX vocarint, & pro duplici, quæ a Græcis *cſi* dicitur, uſurparint. Ephraimitis autem illud male ceſſit quod neutrum literæ *chin* ſonum noſſent, ideoque ſolum *ſamech* ubique ſonarent: ut narratur in Judicum hiſtoria, cap. duodecimo.

Et hæc quidem habuimus hoc tempore quæ de literis & germana earum pronuntiatione diceremus. Subtilius enim ſingularum naturam æſtimare, Oratoris eſt potius quam Grammatici. Libuit autem quoſdam Euripidis valde artificioſos & feſtivos verſus ex Athenæo ſubjicere, ex quibus cognoſcere liceat antiquas quarundam literarum formas. Apud Euripidem igitur in Theſeo paſtor quidam literarum imperitus, literas tamen quibus Theſei nomen ſcribitur ſic depingit.

Ἐγὼ

Ἐγὼ πέφυκα γραμμάτων μὲν οὐκ ἴδρις,
Μορφὰς δὲ λέξω, καὶ σαφῆ τεκμήρια.
Κύκλος τις. ὡς τόνοισιν ἐκμετρούμενος, Θ
Οὗτος δ' ἔχει σημεῖον ἐν μέσῳ σαφές.
Τὸ δεύτερον δὲ πρῶτα μὲν γραμμαὶ δύο, H
Ταύτας διείργει δ' ἐν μέσαις ἄλλη μία.
Τρίτον δὲ βοστρυχός τις ὡς εἱλιγμένος. Ϲ
Τὸ δ' αὖ τέταρτον ἰῶ μὲν εἰς ὀρθὸν μία, E
Λοξαὶ δ' ἐπ' αὐτῆς τρεῖς κατεστηριγμέναι
Εἰσίν. τὸ πέμπτον δ' οὐκ ἐν εὐμαρεῖ φράσαι, Y
Γραμμαὶ γὰρ εἰσὶν ἐκ διεστώτων δύο,
Αὗται δὲ συντρέχουσιν εἰς μίαν βάσιν.
Τὸ λοίσθιον δὲ τῷ τρίτῳ προσεμφερές. Ϲ

Subjicit autem idem Athenæus Agathonis & Theodectæ ejus argumenti verſiculos ab iſtis non multum diverſos, niſi quod Sigma comparant arcui Scythico, *E* pſilon vero tridenti in latus verſo.

De diphthongis.

Diphthongus ita ſolet definiri à grammaticis, ut ſit ſyllaba ex duabus vocalibus conflata ſonum ſuum retinentibus. Ego vero malim dicere, in unam mixtam vocem coeuntibus (nam alioquin quando diſtinctæ ſunt vocalium voces, duæ ſyllabæ naſcantur neceſſe eſt) aut hoc certe addiderim definitioni, Quæ raptim & uno ſpiritu referri poſſunt.

 Sunt

Sunt igitur propriæ diphthongi quibus hæc definitio convenit, cujufmodi numerantur fex. Inter quas rurfus difcernere licet. nam melius inter fe coalefcunt ευ & ȣ, quam cæteræ: melius item ει quam αι: peffime omnium αυ & οι. Sed de his quoque figillatim differemus.

De diphthongis propriis.

AI.

AI non dubium eft quin Latinorum *ai* refpondeat, raptim fcilicet & uno fpiritu pronuntiato, ut poft α non refpires, ne duæ fyllabæ pro una audiantur. Eam diphthongum veteres Latini ufurpabant, ut docent Fabius & Gellius. Sed poftea quum viderentur non fine aliquo hiatu coalefcere duæ iftæ tam diverfæ vocales, una fcilicet clariffima, altera vero plane exilis: ideo Latini mutarunt αι in *æ* diphthongum: quæ quidem ita facile pronuntiatur, ut neque *a*, neque *e*, fed mixtum ex utrisque fonum aperte audias. Præbuit tamen hæc mutatio erroris occafionem iis qui & Græca legentes & Latina, non aliter efferunt *ai* & *æ* quam *e* fimplex, manifefto errore: qui tamen Euftathii Homeri interpretis ætate jam irrepferat, ficut fupra oftendimus quum de η loqueremur. Galli vero

ro quum Latinam diphthongum *æ* exprimant, Græcam tamen *αι* perperam ſcribunt : ſicut in his vocabulis apparet, *aiſe*, *maiſon*, *maiſtre*, *faire*, & ſimilibus, aut *e* quod apertum vocant, ut, *c'eſt*, *terre*, *fer*. Picardi tamen & Narbonenſes germanum hujus ſonum exprimunt, quum *faire*, *aimer*, & ſimilia ita pronuntiant ut diſyllaba ſint, & nihilominus utriuſque vocalis ſonum facile intelligas uno ſpiritu enuntiatum.

ΑΥ.

ΑΥ, id eſt *au:* ut Aulus ΑΥλὸς, & aula *αὐλὴ*, tamen profertur ut *af:* quem errorem nonnulli quum vellent corrigere, in alium inciderunt nihilo minorem. Tradunt enim *υ* in hac diphthongo ita eſſe pronuntiandum ut in ave, ſi *e* ſuſtuleris, ita ut *u* conſonans audiatur. Quaſi vero vel *υ* apud Græcos conſonans eſſe poſſit, vel inter diphthongos numerentur eæ ſyllabæ quæ ex vocali & conſonante componuntur. Eſt igitur craſſior & ineptior hic error, quam ut refutatione indigeat. nam etiam ut hæc illis concederem, quomodo tandem illos accuſativos *χαῦν*, *ναῦν* pronunties? Galli vero ſive Latina ſive ſua legant, quamvis *au* ſcribant, tamen ita proferunt ut ſonum ex *a* & *o* mixtum intelligas. In quo etiam peccant proculdubio, quum *a* & *u* uno ſpiritu & ſubita pronuntiatione potius debeant efferri, ſicut memini unum inter cæte-

cæteros D. Alciatum, jurisconſultorum eruditiſſimum, olim audire expeditiſſimè pronuntiantem, quum Biturigibus ſumma cum laude jurisprudentiam profiteretur. Sed ab hoc ſono Galli abhorrent, propterea quod ſine aliquo hiatu non poſſunt hæ duæ literæ coire. Itaque ſæpe aſpirationem interponunt diſtinguendis ſyllabis, ut quum pronuntiant *habu* & *Mahumet.*

EI.

EI diphthongum hodie cum ſimplici jota confundunt homines etiam eruditiſſimi: ſed errore non minus manifeſto quam periculoſo, propter multiplicem unius ſoni ſignificandi rationem. Contrarium autem errorem Craſſus apud Ciceronem lib. de Oratore III, reprehendit in Sulpitio, qui *i* literam tollebat, *e* pleniſſimum dicebat. Latinis enim hæc diphthongus olim familiaris erat, ſicut indicant veteres grammatici qui de orthographia ſcripſerunt. Sed paulatim exolevit, adeo ut nunc ne accuſativos quidem illos plurales, *omneis*, *treis*, *parteis*, ſcribamus, ſed expuncto *i* cum Sulpitio, dicamus *omnes*, *tres*, *partes.* Servata eſt tamen in paucis quibuſdam, ut in *hei* & *queis.* ut de poëticis illis nihil dicam, *Orphei Calliopea:* &, *Jam validam Ilionei navem*, cæteriſque ejuſmodi. in quibus quod nonnulli contendunt *i* eſſe conſonantem, fateor me nec conſequi, nec probare poſſe.

Gal-

Galli vero hanc retinent in quibusdam, ut *plein*, *sein*, *feinct*. quibus adjungere possemus, *bain*, *main*, *pain*, *sainct*, & ejusmodi plurima, in quibus *e* potius quam *a* auditur. Lemovices autem edere solent germanum hunc sonum in extremis vocibus, ut *eccei* pro *ecce*, & *dominei* pro *domine*: quomodo etiam Latinos olim suum *e* pronuntiasse Fabius tradit, ut supra est à nobis ostensum: ut & Angli hodie hanc vocalem proferunt.

ET.

In ευ diphthongo hodie peccatur sicut in αυ paulo ante peccari ostendimus: quum tamen facillima sit ejus pronuntiatio, vocalibus optime & facillime in unum mixtum sonum coëuntibus, quem hodie Galli efferunt in *Dieu*, *ieu*, *lieu*, *feu*, & aliis plurimis. Latini quoque integram retinuerunt, ut *Orpheus*, *Peleus*, quæ nonnulli male quasi trisyllaba, solent enuntiare. Dicunt tamen iidem *Achilles* & *Ulysses*, ab Αχιλλεὺς & Οδυσσεὺς, expuncto *υ*.

OI.

OI diphthongo quam vulgo etiam cum jota confundunt, idem contigit apud Latinos quod de *αι* diximus, nempe ut *ι* in *ε* mutaretur, sitque ex *οι* factum *œ*, ut quum pro Φοῖβος & οἶ-

οἶϛρον ſcribunt *Phœbus* & *œſtrum*, & alia ejuſdem formæ. Apud veteres tamen comicos *quoi* reperitur monoſyllabum, & *quoiquam* diſyllabum. Sed alioquin ab hoc ſono abhorrent Latini, vocalibus nimirum dehiſcentibus. Galli vero quum Græcam ſcripturam retinuerint, quam nonnulli appoſito *y* deformarunt, tamen ita pronuntiant ut triphthongum audiamus, ſicut in his vocabulis liquet quæ ipſi à Græcis acceperunt, ut *moi*, *toi*, *ſoi*, à μοὶ, τοὶ, οἷ. Hæc enim & ſimilia ita ſolent efferre ut audias ο cum prima illa diphthongo *æ* coaleſcens, perinde acſi *moae*, *toae*, *ſoae*, ſcriptum eſſet, idque unica tantum ſyllaba. Manſit tamen in extremis ſyllabis integra hæc diphthongus, in iis quidem vocabulis quæ in *n* deſinunt, ut *ſoin*, *beſoin*, in quibus verus & germanus hujus diphthongi ſonus auditur. Nam qui cum jota confundunt, non modo refelluntur ipſa diphthongi definitione, ſed etiam quodam Thucydidis loco, ex libro hiſtoriarum primo, ex quo aperte liquet λιμὸς & λοιμὸς diverſe fuiſſe pronuntiata: uſque adeo tamen (ut & res ipſa oſtendit) affinibus inter ſe ſonis, ut utra vox ab Apolline eſſet enuntiata, aliquanto poſt editum oraculum ambigeretur. Quod enim nonnulli hinc effici volunt, unum & eundem ſonum literæ ι & οι diphthongi eſſe, falſo colligitur, Ariſtotele alioquin inter elenchos τῆς λέξεως hoc minime prætermiſſuro.

ΟΥ.

OΥ.

OΥ unica ex omnibus diphthongis germanum ſuum ſonum retinuit, quem tamen Latini, & aliæ pleræque gentes Latinos ſecutæ, unico *u* ſignificant, ſicut ſupra eſt à nobis copioſius explicatum. Nunquam enim apud Latinos *o* & *u* in eadem ſyllaba conjuncta reperias : quia apud eos unica illa litera *u* hunc mixtum ſonum valebat.

De Diphthongis Impropriis.

HActenus de diphthongis proprie ſic vocatis : quibus totidem opponuntur quæ impropriæ vocantur, propterea quod tres illarum nunc quidem non aliter quam ſimplices vocales efferuntur, in aliis vero vocales in unam ſyllabam non ita coaleſcùnt ut in iis quæ propriæ cognominantur. Nam quod quidam duas ex illis, nempe ηυ & ωυ idcirco volunt improprias eſſe vocatas, quod Ionum ſint propriæ : ſane probare non poſſum, quum ex ipſarum natura diphthongi tum impropriæ dicantur.

ῃ ῳ ᾳ.

Itaque in ῃ ῳ & ᾳ nihil audiri nunc ſolet præter puram terminationem η, ω, α. Punctum autem illud quod ſubſcribitur, ι ſubſcriptum vo-

vocant, quia ſcilicet pro ι ſcribitur, idque infra literam: ut intelligi poſſit non eſſe efferendum. Quod ſi hæc pronuntiatio eſt germana, conſequetur has dipthongos dici, non pronuntiationis ſed ſcriptionis cauſa: imo vero ne ſciptionis quidem, quum inter literas non ſoleat punctum numerari. Quamobrem etiam etiam in multis & impreſſis & manu ſcriptis codicibus memini videre prætermiſſum. Cur igitur (dices) ſubſcribitur, quum proferri non ſoleat. Certe cauſam unam eſſe puto quæ afferri poſſit: nempe ut partim caſus diſtinguat ejuſdem alioqui terminationis, ſicut λόγῳ tertio caſu ſingulari à λόγω dualis numeri diſtinguitur: partim ut declaret ex quibus vocalibus ſit facta contractio, ſicut βοᾷς & βοᾷ intelligimus ex βοάεις & βοάει contracta. Sed ne hæc quidem cauſa idonea videtur. cur enim tertium caſum ἡμέρᾳ diſtinguas à cæteris ejuſdem terminationis, inter rectum autem ἡμέρα & primum & quartum caſum dualis numeri, nullum diſcrimen conſtituas? Item quare μούσῃ ſubſcribas ι, quum nullus præterea ejus nominis obliquus in η terminetur? Apparet igitur aut temere hanc conſuetudinem fuiſſe uſurpatam, quod non puto: aut certe (quod arbitror) in his etiam diphthongis jota fuiſſe olim pronuntiatum, ſed exili admodum ſono, qui idcirco etiam evanuerit. Hoc autem verum eſſe, primum ex eo colligo quod in vetuſtis multis codicibus etiamnum reperitur ad latus adſcriptum, minore tamen forma

&

& pene dimidiata, quæ ſcribendi conſuetudo in literis majuſculis remanſit: deinde ex Fabii authoritate, qui libro primo de iis loquens, qui *i* longum per *ei* ſcribebant, ut *puerei*, *mendacei*, *furei*. Id, inquit, ſupervacuum eſt, tum etiam incommodum aliquando. Nam in his quæ proximam ab ultima literam *e* habebunt, & *i* longa terminabuntur, illam rationem ſequentes, vtemur *e* gemina, qualia ſunt hæc *aureei*, *argenteei*, & ſimilia: id quod iis præcipue qui ad lectionem inſtituentur, etiam impedimento erit: ſicut in Græcis accidit adjectione *ι* literæ, quam non ſolum dativis caſibus in parte ultima adſcribunt, ſed quibuſdam etiam interponunt, ut ληΐϛηι. Ex his igitur Quintiliani verbis apparet, veteres non ῃ, ut nunc ſolent, ſed ηι, id eſt, ut ipſe Fabius explicat, *eei* ſive *ei* una ſyllaba (idem enim valet *e* longum quod *ee* geminum) tum ſcripſiſſe tum pronuntiaſſe: ita tamen ut non triphthongus eſſet (cujus apud veteres nullus erat uſus) ſed diphthongus, ex *e* ſcilicet longo & *i*. Quam rationem ſi ſequamur, dicemus etiam non ῳ & ᾳ, ſed ωι & αι veteres ſcripſiſſe & legiſſe. Hinc autem etiam apparebit ratio cur impropriæ ſint hæ diphthongi appellatæ, quia nimirum in diphthongis proprie ſic vocatis,

catis, utraque vocalis debet celerrima pronuntiatione in unam vocem coire, ac prior præſertim, ut nullus hiatus audiri poſſit quo ſyllaba dirimatur. Id autem in iſtis fieri non poteſt, in quibus prior vocalis quum longa ſit, pronuntiationem nimium remoratur, ut pene duæ diſtinctæ ſyllabæ audiantur, niſi poſterioris vocalis ι ſonum infringas: quod quidem idcirco diximus tanquam dimidiatum adſcribi, hoc modo, Hι & Ωι. Hujus autem poſterioris exemplum præbere poſſunt Itali ſuum illud *oi me*, (hei mihi) monoſyllabum quidem pronuntiantes, ſed ita tamen ut *o* producatur, quod etiam faciunt Sabaudi, apud quos eadem illa particula οι per *o* longum accipitur pro *Ita*, affirmandi particula: eſtque monoſyllabum, pro quo Galli uſurpant *oui* diſyllabum.

HΥ. ΩΥ.

Sed & ηυ & ωυ cur impropriæ dicantur, & quomodo ſint enuntiandæ, ex iſtis ſatis apparere poteſt, eodem modo ſcilicet quo ευ & ου, quæ iſtis opponuntur, ſicut ſuperioribus tribus Hι, Ωι, Aι, oppoſitæ ſunt ει, οι & αι. Hoc tamen intereſt, quod η & ω in iſtis, quum longæ ſint, pronuntiationem ita retinent

retinent ut hiatum vitare non poſſis. Eorum autem errorem qui υ in iſtis diphthongis cum *u* conſonante vel φ confundunt, paulo ante refutavimus.

ΥΙ.

ΥΙ valet *ui*, non *i*, ut vulgo ſolent efferre. ἁρπυῖα, id eſt *harpuia*, non *harpia*. Hujus exemplum eſt apud Latinos *cui*, tertio caſu. In quo tamen nonnulli etiam ex veteribus volunt *i* eſſe conſonantem: ſed quibus non ſatis poſſum conjicere quid in mentem venerit, quum i in hoc vocabulo non aliud certe ſonet, quam in *quis*, & ſimilibus. Si cui tamen hoc exemplum non placuerit, hæc Gallica ſibi proponat, *Lui*, *Mui*, *Fui*, quæ ſunt monoſyllaba, & hanc diphthongum optime declarant. Cæterum cur inter improprias diphthongos hæc numeretur, quum præſertim hæ duæ vocales, pariter ſcilicet exiles, melius etiam inter ſe coaleſcant quam αι, vel αυ, vel οι, non memini legere à grammaticis explicatum. Eſt autem cauſa à ſuperioribus prorſus diverſa. In illis enim prior vocalis producta & pene ſola auditur, ut oſtendimus: in hac vero vocalis poſterior, id eſt τὸ ι, ſemper circumflectitur. Idcirco multo clarius & melius intelligitur, quam υ:

quum in propria diphthongo ſonus quidam æquis partibus ex utraque vocali temperatus exaudiatur. Scribit autem Athenæus, hanc diphthongum interdum per υ ſolum veteres ſcribere conſueviſſe: ex quo factum opinor ut Latini τὸ ι interdum expunxerint: ut in *muſca*, *harpya*, à μυῖα & ἅρπυια. Sed nobis vera ſcriptura ac pronuntiatio Græcarum vocum ſervanda eſt.

Sequebantur hic nonnulla de Accentibus, quæ invenies ſupra p. 171. ea enim, tacito Bezæ nomine, Mekerchi libello typographus ejus ſubjecerat.



JA-

JACOBI CERATINI
DE
SONO LITERARUM,
PRÆSERTIM
GRÆCARUM,
LIBELLUS.

DES. ERASMO
ROTERODAMO
JACOBUS CERATINUS
S.

INter multa & varia munera, quibus ornavit Deus hominem, atque ab aliis separavit animantibus, non in postremis ponenda est loquendi facultas, oratio: cujus quanta sit & vis & suavitas, perspicue cognorimus, si consideremus quantum nudus vocis humanæ sonus omnem excellat musicam, quam vel inflatu, vel fidibus, aut alia arte constare videmus. Hic vero quantum sit discriminis perspexerimus, si intelligamus, omnia illa, quantumvis suis illecebris demulceant aures, non esse nisi adumbratam quandam imaginem soni illius quem vox nostra syncera fundit, ad quem quanto accedunt imitatione propius,

hoc judicantur naturæ ſenſu perfectiora. Et quidem, quum is nullo adminiculo adjuncto ſit virtutis tam efficacis, ut animum excitet, deprimat, incitet, revocet: nunc gaudio, nunc mœrore, alias ſpe, metu alias impleat, & omnino tot afficiat modis, quot nobis affectus indidit natura. Principio, quid non faciat accedens eo vox, certa comprehenſione literarum & verborum libere quidem profluens, ſed tamen tanquam articulis quibusdam & membris diſtincta, & illigata nervorum vinculis? Deinde vero, ut non detur ſine mente ſonus; quid non efficiat eodem inſuper veniens ſententia, orationis vita? Nam verba, corporis, ſententias animæ locum obtinere dixerimus. Hinc ille modulatiſſimus cantus, qui feras; arbores, fluvios, duriſſima ſaxa moviſſe, & voluptate deliniiſſe dicitur, quum primo regnare cœpiſſet. Hinc illa flexanima Suadela, commodius Græcis dicta πειθώ: quam non ſine cauſa rerum reginam vocavit Euripides.

Hujus divinæ rei, hoc eſt orationis, quum moderatrix ſit pronuntiatio, ea autem ſuos habeat ſonos, quorum naturam prima illa orationis elementa complectuntur: age, experiamur, poſſimuſne aliquid inveſtigando conſequi, quod viam nobis aperiat ad cognoſcendum quæ literæ ſit uniuscujuſque natura, quæ virtus, quæ formandæ vocis ratio, quæ res ad perſpiciendam orationis naturam alioqui latentem, quum ſit neceſſaria, tum ſcitu eſt jucundiſſima. Vt enim medicus citra anatomiam (quam vocant) corporis humani & membrorum rationem cognoſcere non queat, ita nec orationis naturam ſatis habeas exploratam, niſi facta diſſectione quadam membratim, primo ſingula inſpicias, deinde in ipſa prima reſolvas elementa.

Tu vero ἐρασμιώτατε *Eraſme, boni conſulas oportet ſi amabilis tui nominis auſpicio in præſenti abuti videamur: præſertim quum id non faciamus, ut fieri ſolet, aut patrocinii libello eblandiendi, quum talem patronum non mereatur: aut novi favoris mihi conci-*

liandi, quum vetus tuum erga nos ſtudium ſemper fuerit vel nimium: multo vero minus beneficii captandi cauſa: quando benignius mihi non ſemel feciſti, quam voluntas mea tulerit: & omnino tua in nos merita, majora ſint, quam ſuſtinere poſſim. Sed iſta de literis tibi, literariæ rei principi, eo tantum offerimus animo, quo ſuperſtitioſa ſed minime ingrata vetuſtas Cereri & Baccho ſuas primitias conſecrabat: tametſi crederet eos illarum non modo non indigere, ſed ut authores etiam ac datores earundem veneraretur. Bene vale. Lovanii, Calend. Julii.



JACOBI CERATINI
DE
SONO LITERARUM,
PRÆSERTIM GRÆCARUM,
LIBELLUS.



Qui ab alia quam Hebræorum gente originem accepiſſe literas exiſtimant, longiſſime mihi videntur a vero recedere. Quid enim hujusmodi rerum aut non poſt additum fuit illi nationi, aut ante primis illis generis noſtri parentibus datum fuerat, non multo poſt conditum mundum, ut neceſſariæ artes, uſus vini, navigii, legum, & ſimilium? Quod reliquarum gentium impietas non

non agnoſcens, quidvis maluit, & quidem impudentiſſime ridiculeque, comminiſci, quam veritati ſubſcribere, ne vel ſic Dei nomen per ipſius dona, gloria illuſtraretur. Quicquid eſt induſtriæ neceſſariæ ad vitam mortalium ſuſtinendam, id à primis parentibus: quicquid poſt acceſſit humanitatis & veræ elegantiæ, ab illis equidem credo derivatum eſſe in cæteras nationes. nam eam gentem inſtituiſſe Deum ipſum ad omnem humanitatem, & rectum cultum, ſacra teſtantur volumina. Hinc tota Aſia excoli cœpta eſt, hinc Ægyptus literis & moribus erudita, hinc propagantibus ſe divinis donis (ut fit) Græcia & reliqua tandem Europa cœpit iiſdem frui bonis: ſed eorum authore minime cognito, donec ipſe miſeratus tenebras noſtras, ſeſe nobis per verbum ſuum revelaret. Sed jam rem ipſam inventa origine aggrediamur.

A.

A Igitur, ut ordine, ita & ſoni præſtantia, elementorum eſt primum. Profertur arteria (per quam vox omnis funditur) ſpiritum continente, ore figuram quam natura dedit, ſervante, immunem ab omni rictu, lingua pendula & leviter reducta, alias quietem prorſus agente, per quam ſonus temperato niſi egreditur. Sed nunc breviorem, nunc longiorem ſonum accipit. quod & reliquis duobus accidit, quæ δίχρονα (quaſi

(quaſi bitemporea) vocant, ι & υ. Quum longum habetur, omnino abſolutæ virtutis, & ſonantiſſimum eſt. Nam hic aperit os ſe liberius, & ſpiritus ſurſum verſus (quo omnis ſonus natura fertur) palatum petit, ſono productiore. Quum in brevibus numeratur, conciſe magis pronuntiandum, unico ſpiritus ictu, arteria minus diu occupata. Hanc ancipitem naturam apud Latinos habent quinque vocales omnes, ut nunc breves, nunc longiores occurrant. Vocalium autem ut quæque eſt optima, ita ſoni exiſtit expeditiſſimi, pleniſſimi, lætiſſimi: efficitque ut os hilaritate quadam renideat. Bonitatem ſi ſpectemus, hic fuerit ordo: α, præſertim ſi longum ſit: ω, υ, ο, ε, ι. Apud Latinos, *a*, *e*, (modo producatur: nam breve, penultimum locum tenet) *o*, (modo longum) *u*, *i*.

B.

B Ordine quidem proximum, ſed virtute remotiſſimum eſt, quum inter illa numeretur quæ ob ſoni inopiam ἄφωνα, (id eſt, non ſonantia, ſive muta) nominantur. Eſt autem adeo impediti & obſcuri, aut potius nullius ſoni, ut irrito conatu laboret dum exitum parat. Et quidem fruſtra niteretur, niſi vocalis ſubveniret, quæ veluti incluſum & vinctum eripiat ac ſolvat. quo vitio & cæteræ laborant mutæ. Profertur ſum-

ſummis labris, quæ antea comprimuntur, vocale hæſurum alioqui & ligatum ſonum foras mittente & vinculis liberante. Quanta hoc duritie aut mollitie fieri debeat, opinor colligi etiam poſſe ex dubus mutis φ & π, inter quas eſt media, ratione ζυζυγίας. Qui cenſent mollius eſſe pronuntiandum Græce quam Latine, videant quid præſcribant. Non aliter Græce quam Latine eſſe enuntiandum, ego vel Cicerone teſte probaro. Is libro nono Familiarium Epiſtolarum, in epiſtola cui initium, *Amo verecundiam*, agens de vocabulis obſcœnis, hæc ſcribit, *Cum loquimur terni, nihil flagitii dicimus: & cum bini, obſcœnum eſt.* Ex quibus verbis liquet eruditiſſimum illud Ciceronis ſeculum non ſecus pronuntiaſſe β Græce quam *b* Latine. nam *bini*, quo numerum ſignificant Latini, & βίνϵ, quod Græcis obſcœnum eſt verbum, ita pronuntiabant, nullum ut eſſet in vocibus ſoni diſcrimen. Quanquam arbitror Latinum b proferri à nobis nunc paulo durius quam ſatis eſt.

Γ.

Γ Profertur, lingua excitante ſe verſus interiorem palati partem ubi obtuſior quidam ſonus retrorſus coire videtur. Ad eundem modum finguntur κ & χ, quæ huic ſunt σύζυγα (id eſt conjugata) niſi quod aſpiratione & tenuitate ſoni diſcrepant. Inter quæ γ, ut virtutis, ita & ſoni eſt medii.

Δ.

Δ.

Δ Profertur illidente se lingua suprema summo oris cœlo, deinde illinc sese rejiciente, & sono præbente exitum circa dentes superiores: ita ut primo imos, post superiores dentes leviter incurvata feriat. Idem fit in promendis ϑ & τ, quæ huic sunt σύζυγα, & naturæ lege cohærentia.

E.

E Inter vocales natura non ita resonans, segnius os diducit, atque ictu circa arteriam fertur languidiore. Superiorem rictum aliquo modo deprimit, & utrinque linguam in molares impingit. Cæterum, quia vocalis, nulla non est consonante præstantior, & litera non paulo plenior. quod & Cicero palam facit libro tertio de oratore.

Z.

Z Duplicem (hoc est, duorum elementorum) accipit sonum, videlicet σ & δ. cujus fingendi rationem ex simplici est natura cognoscere: nisi quod nimius ille susurrus literæ σ hic temperatur, fitque multo levior: quod & reliquis duabus duplicibus contingit. Unde fit ut, tametsi σ insuavem literam accipiant, soni tamen sint, ut in suo genere, laudatissi-

datiſſimi. nam ſoni præſtantia antecellunt omnes ſemivocales, quæ inter conſonantes dignitate præminent. Porro ζ inter duplices (quod & Quintilianus libro duodecimo ſatis teſtatur) jucundiſſime ſonat: adeo ut ſpirante illius ſono ipſa oratio veluti exhilareſcens renideat. quod animadvertas in *Zephyrus*, *Zopyrus*, & ſimilibus.

H.

H Dignitate proximum eſt literarum principi α: quam tamen facile vincit, ſi corripiatur. Exitum habet minime impeditum; & ſonum reddit æquabili tenore linguam quieſcentem tranſeunte, qui (quod ſoni proprium eſt) in ſublime fertur. parcius tamen os aperit quam α productum. Unde licet cernere, diverſum eſſe hujus ſonum ad Iota. & eſſe quidem prorſus alium, ex M. Varrone intelligas: qui libro ſecundo de Re Ruſtica, docet, capras & oves Græcis fuiſſe dictas μῆλα, quod ſonare videntur *mee*, duplex videlicet ee. quod quid eſſe dicamus niſi merum η? Cujus rei ipſa etiam figura nos admonet. probabile eſt enim, primam ejus figuram fuiſſe duo εε conjuncta, loco iſtius quam nunc pingimus η: ſicut in ω uſuvenit. De ſono nullum relinquitur dubium, quum Latini ſemper in *a* vel in *e* longum vertant. Idem demonſtant verba μηκάδες, (id eſt *capræ*) & μηκᾷν, quæ vox fictitia imitatur balatum capra-

prarum. nam ut oves, *bee*, ita capræ *mee* potius videntur ſonare.

Θ.

Θ Quum ſit ex numero mutarum, nullam habet edendi ſoni facultatem, niſi vocalis labrorum & dentium clauſtra reſeret. Fingitur ut δ: ſed propter inſitam aſpirationis naturam, liberius linguam impellit verſus dentium diſcrimina. In hujus prolatione video quoſdam anſerinum ſibilum, (quem vocant) ambitioſe nimis conſectari, quem quare magis hic requirant quam in φ & χ, ſane velim audire. In uſurpatione vulgarium linguarum, puta Theutonicæ vel Gallicæ, idiotæ ſolo naturæ ſenſu animadvertere cernuntur ubi & quam decore literæ tenui τ aſpirationem addere conveniat. Quod videre liceat, conferendo ſcriptam ejus generis dictionem cum pronuntiatione qua ab illis promitur.

I.

I Inter vocales poſtremæ notæ eſt, quum nulla ſonum edat exilem magis, etiam tum quum producitur. Quod & Plato indicans, accommodam ait eſſe ad exprimendas res ſubtiles & penetrabiles, quod declarant, (ut ait) ἰέναι, ἵεσθαι, ac ſimilia. Dum profertur, ictu quodam petit ultimos dentes, quos genuinos appellant. naſciturque circa primores dentes

collisio spiritus: neque os multùm aperitur: neque labra hoc præstant, ut os illustriore & hilariore sono renideat. Quod Vergilius habens perspectum, *Olli subridens* dixit, non *Illi*, quum subjuncturus esset ridendi nomen, à quo natura literæ ι est aliena. Hæc mihi causa videtur mutatæ literæ. si enim propter magnificentiam solum fieret, quam postulat heroici carminis majestas, (quam causam adfert Phavorinus Gellianus) cur istuc magis fiat hic quam in aliis. Hujus autem literæ exilitas non ita est exanguis & tristis, ut non suo loco amœnitatis vel plurimum adducat, venusta gracilitate. qua de causa apud Latinos non raro in locum *e* migrat accita.

K.

K Sonum concipit, eadem (ut dictum est) conformatione oris, qua γ: tenuitate, quam postulat, excepta. In triplici illo ordine mutarum id perquam pulchrum est & commodum, quod natura unius literæ, puta intermediæ, cognita, noris item reliquarum duarum, tenuis & aspiratæ. Hæc nostra tempora nusquam magis quam in hujus elementi pronuntiatione discrepant, aliis ita proferentibus ut interdum ad σ proxime videatur accedere: nonnullis sic, ut de sono τ aliquid admixtum putes. quæ tamen prolatio (meo judicio) concinnior existit superiori: & eam quidam amplectuntur lubentius, quod è Græcia

cia qui noſtro ſæculo veniunt, ita ſonare videntur. quod ut alicujus momenti eſſe fateor, ita negaro eſſe ſatis ad probandum, eum eſſe ſonum legitimum: quum Græciæ lingua, non minus quam Italorum, ſit vaſtata & barbarie contaminata. Ego naturam illius illæſam conſervari arbitror, ſi ubique pronuntietur ut omnes id pronuntiant, velint, nolint, in ipſo elementi nomine *Cappa*: ubi proprie vim ſoni exprimi perſpicuum eſt, ut in κῶλον, κόμμα, κάλλος, κράτος, ubi proprietas ſoni ad amiſſim obſervatur. Neque nos abſterrere debet quod Latine *cœlum*, *cœna*, *cingo*, & ejus generis plurima, ſic proferuntur, ut in obſcuro ſit (niſi quis orthographiam teneat) ſit primum elementum *s*, an *c*. quando id fieri vitioſe, non eſt (opinor) qui dubitet.

Λ.

Λ Plenum dulcedinis & amœnitatis elementum, mira ſuavitate auribus illabitur. Profertur lingua pulſante palatum: ore ſatis rotundo & ad hilaritatem compoſito: labriſque minime compreſſis, libere profluentem ſonum fundens.

Μ.

Μ Compreſſis labris, concluſo ore ſonum colligit in interiore ejus parte: quem mugitu quodam non ſine moleſtia extrudit.

Infelicitas ejus potiſſimum apparet, quum claudit dictiones, quod quum Latina lingua nimis quam ſæpe patiatur, habetur & ipſa infelicior. Græca, quum in nulla dictione ferat, hoc etiam nomine cenſetur beatior. Hujus elementi mugientem ſonum fugientes poetæ Latini, curant id elidendum in carmine, ſequente vocale.

N.

N Citra labrorum compreſſionem, in oris interiori receſſu fingitur, ſpiritu quidem petente nares, ſed ſono per oris exitum meante: quem jucundum habet, & in fine ſuaviter tinnientem. Quare Græci, lingua mortalium feliciſſimi, hoc lubenter ſuas voces claudunt: quod Latinis rariſſime contingit.

Ξ.

Ξ E duarum literarum, κ & σ, natura temperatur, ac ſonum utriuſque mixtum complectitur: quem adeo non habet contractum & jejunum, ut vaſtior a quibuſdam judicetur. Ejus fingendi ratio ex ſimplicibus colligitur. Quam vero ſit non injucunda auribus litera, Attici teſtantur, exactiſſimi omnis elegantiæ judices, qui ſæpe repudiato σ amplectuntur, ut amabiliorem, ξ. nam hic (ut dictum eſt) ſuſurrum illum & feritatem facta temperata deponit.

O

O.

O Μικρὸν ipſo nomine naturæ ſuæ rationem indicat. etenim non tam eſt figura contractum, quam ſono non amplum. Dignitate antecellit quantitate temporis ſibi parem literam ε. eſtque ſoni lætioris. os enim recludit apertius: ictum vero circa arteriam accipit pleniorem.

Π.

Π Ut eſt natura elementorum quæ ψιλὰ vocant, tenuem ſonum ſortitur, ſummis labris exprimitur. Sonum non ederet, niſi vocalis ſuccurreret hærenti. quod vitium & cæterorum quæ ἄφωνα vocant, commune eſt omnium.

P.

P Secundum Platonem, eſt veluti inſtrumentum peridoneum omnis motionis. Profertur concitatius, lingua ad palatum juxta dentes excitata, & ſumma ſui parte ſpiritum eliſum vibrante ictu quodam tremulo: tam horrifico ſono auditum exaſperans, quam λ eundem ſoni dulcedine blandiens demulcet: &, ut naturæ eſt impetuoſæ, ita & maſculi eſt roboris. unde & oris firmitudinem requirit.

Σ.

Σ Inelegantis & injucundi habetur ſoni, ſibilum potius anſerum, ſerpentium, & ſimilium animalium, repræſentans, quàm humanæ voci ſplendorem concilians. Unde primi illi ſcriptores eo parciſſime ſunt uſi: adeo ut, teſte Demetrio Phalereo, odas totas videre licuerit ubi nullum ineſſet σ. Profertur lingua ſurſum adducta ad palatum, cujus medio ſpatio ſpiritus fertur, & circa dentes exilem & anguſtum & quodammodo triſtem ſibilum expellit. Verum natura ejus emendatur, & tanquam manſueſcit in duplicibus, ζ, ξ, ψ.

Τ.

T Ut cæteræ multæ, ori exhibet pluſculum negotii. Quod & Lucianus ſignificans, inducit literam σ objicientem τ, quod vinculis quibuſdam vocem humanam intorqueat ac dilacerare conetur. Præter ſoni tenuitatem, formatur ut δ. Hoc elementum apud Atticos & Dores frequenter σ ſua ejicit poſſeſſione, aliis quoque eadem licentia moleſtum. Vide Lucianum ludentem in Judicio vocalium.

Υ.

Υ Profertur contrahentibus ſe utrinque labris, ubi ſonus anguſtia quadam premi videtur. Eadem ratione fingitur *u* Latinis, niſi quod, dum coeunt labra, fiant productiora, non ſine ſuavitatis jactura: quum υ multo ſpiret ſuavius: ut mirabile ſit, hanc dulcedinem aut vix, aut ne vix quidem, ſed potius nullo modo percipi, dum nunc audimus pronuntiantes verba Græca aut Latina, quæ υ ſuo dulciſſimo ſono non vulgariter auribus commendaret: præſertim quum in barbaris linguis ejus pene nativum ſonum, placide fluentem frequenter percipiamus auribus. qua de cauſa in earum orthographia, i Græcum, ut nunc vocant, paſſim occurrit. Ex hoc ſolo elemento Ariſtophanes in ſua Pluto totum conficit verſum jambicum trimetrum, ῦ ὖ ῦ ῦ ῦ ῦ ῦ ῦ ῦ ῦ, quo tantum (ut ego quidem arbitror) geſtum & per nares flatum exprimit eorum, qui aliquid olfacientes, odoris genus exactius dijudicare & percipere conantur. quare clauſo ore, naribus modo ſpiritum revocantibus eſt efferendus: ſi tamen hoc eſt efferre. Et hoc, qualecumque eſt, nonnihil faciat ad cognoſcendam elementi naturam.

Φ. Χ.

Φ Et χ, utrumque noris, cognito utriusque vel medio vel tenui elemento: non sis modo nescius, accessionem fieri per aspirationem, quæ dignitatis quendam gradum addit. Ex mutis enim primum locum obtinent quorum dignitas aspiratione amplificatur: proximum, quæ medio inter tenuem & aspiratum sono promuntur: infimum, quæ ob tenuitatem soni, gracilitatem quandam præ se ferunt.

Ψ.

Ψ Duplex elementnm ϖ complectitur & σ, quibus non paulo resonat plenius & jucundius. Fit miro enim modo ut facta mixtura, alterum alterius sonum commendet. Id etiam boni accidit ζ & ξ duplicibus.

Ω.

Ω Μέγα primo pene aspectu hominem trahit in sui cognitionem, figuræ magnitudine (unde nomen habet) quam æquat soni amplitudo. Figura duo ο ο repræsentat, pronuntiatio tantundem soni commixtum promit. Prima figura, (à qua nimium hactenus recessit) videntur duo ο ο conjunctius posita

ſita eſſe in utroque circulo ſuperne clauſo: ad quem modum etiam nunc à nonnullis effigiatur. quod eo dico, ne quis dubitet contineri hic ſimplicis ο geminum ſonum. Profertur ore rotundo, compoſito & decenti labrorum habitu, ſpiritu ictum reddente circa oris extremitatem, ſono, quem habet magnificum, collecto in altiori oris receſſu. Et ut ordine poſtremum eſt, ita virtutis præſtantia tertium ſortitur locum. nullum enim elementum, poſt α longum & η, felicioris illo & plenioris ſoni habetur.

Hactenus, res dum perſequimur ſubtiles adeo & minutas multorum ut fallant oculos, ſubſidio uſi ſumus eorum qui olim in his explicandis magno ſtudiorum fructu verſati ſunt, cum aliorum quorundam, tum maxime elegantiſſimi Demetrii illius Phalerei & Terentiani: quibus neſcio viris quid queat inveniri acutius. In hoc quidem genere diphthongorum rationem (quod ſupereſſe videtur) tractandum ſuſceperimus lubenter, ſiquid extaret quo poſſemus aliquo pacto mentis aciem & cogitationes convertere, ceu nautæ ſuum ſolent curſum ad cynoſuram aut elicen ſydera dirigere. Neque enim ſapientis eſſe judico, duce nemine hoc ingredi pelagus. Quanquam quæ diphthongorum ratio, qui ſonus debeat eſſe, facile

intelligitur ex vocalium, unde conflantur, natura. Vetuſtiſſimos illos duarum vocalium ſonum una diphthongo expreſſiſſe, ipſa nominis ratio abunde ſatis declarat. Succedentes ætates an idem obſervarint, equidem addubito: præſertim quum videam Ciceroniano tam docto ſeculo diphthongum ει non fuiſſe pronuntiatam ut diphthongum conveniebat, ſed ut ι tantum. quod luce clarius cernas apud Ciceronem (eo loco quem in litera β adduximus) in dictionibus *bini* & βίνει. quumque ex Aulo Gellio intelligamus, eandem dipthongum in dictione *treis* & ſimilibus nihil niſi ι ſonuiſſe. Ex Græcorum autem diphthongis quaſdam proferunt ſua lingua & quidem pleno ſono Galli & Germani tam inferi quam ſuperi, non tam diſciplina quam naturæ ſenſu captantes quod aures afficiat & impleat.

Porro ſyllabæ, literarum, è quibus connectuntur, naturam concipiunt, adeo ut inter breves aliam contingat alia breviorem fieri, pro literarum numero: è longis item aliam alia, propter eandem cauſam, longiorem. Secundum quam varietatem, ſonorum etiam naſcitur diverſitas. nam additis vel detractis literis, ſoni non tantum creſcunt, aut diminuuntur, ſed & vel duritie & aſperitate horreſcunt, vel mollitie & lenitate dulceſcunt. Sed hæc exemplo dilucidemus.

In

In verbo ὀδὸς, ο brevis eſt ſyllaba : accedente ϱ, fiat ῥόδος, manet qualis ante erat : adjiciatur inſuper τ, & fiat τϱόπος, brevis adhuc manet : ſuperaddamus & tertiam literam σ, & ſit ςϱόφος, tibi ſyllaba permanet brevis, tribus incrementis, quæ manifeſte auribus percipimus, acceptis. Eadem tibi ratione creſcet per gradus longa. ut, longa eſt ſyllaba ἦν : creſcet, ſi dicas τήν : fiat πλὴν, & poſtremo ϖλὴν, magis atque magis non modo literis ſed & ſono augebitur.

Hæc (ut & omnia quæ de literis diximus) eo ſpectant ut rebus ſtudeamus (quæ propria eloquentiæ laus eſt) verba accommodare. ut enim nihil eſt ineptius, quam in ſublimi dicendi genere verbis uti humilibus & abjectioribus, in humili contra, ſonantioribus & grandiloquis : ita abſurde fecerimus, ſi non, tractando res lætas, verbis utamur ſplendidioribus & natura hilarioribus : ſi triſtia contra proſequamur, non obſcuriora & minus ad jucunditatem appoſita uſurpemus. Quibus neglectis, nec ipſi elegantiorem autorem ad plenum capiemus, nec dicere quicquam dignum eruditis auribus poterimus. Atque hic quidem & ſcopus & uſus (ſi quem iſta juvabunt) fuerit hujus (qualecunque judicabitur) opuſculi : cui nihil eorum attexuimus quæ ex Priſciano adduci poſſe videbantur : primum, compendii ſtudio, & quod ſatis ille

le ſit ſtudioſis familiaris: deinde, quod ad illum ire cupiamus, ſi ſint qui plura deſiderent quibusdam de literis Latinis. Illud vero quod habet de vario ejuſdem vocalis ſono, pro quantitatis, accentus & ſpiritus diverſitate, ut ſingulæ vocales, decem aut plures accipiant ſonorum differentias, illud, inquam, pulchre convenit, & conferendum duco cum iis quæ paulo ante de ſyllabis, Demetrium ſequuti, tradidimus.

FINIS.



APO-

APOLOGETICUM
PRO
VETERI AC GERMANA
LINGUÆ GRÆCÆ
PRONUNTIATIONE

EX HODIERNA CACOPHONIA IN PRISCAM EUPHONIAM FACILE VINDICANDA,

AD
CLARISSIMUM
VIRUM

D. MICHAELEM HOSPITALEM,

Franciæ Cancellarium, ipsius olim disceptatorem, ut aliarum controversiarum, verissimum ac sapientissimum judicem.

AD CANDIDUM LECTOREM PRÆFATIO.

Quum nos venimus primum in cogitationem hujus actiunculæ constituendæ, Candide Lector, ac nos postea dedimus ipsi ad illam conscribendam, uihil quidem certe minus, nihil etiam posterius nobis fuit, quam ut statutum quicquam haberemus cum animis nostris atque deliberatum de ea in lucem proferenda. Quid enim illa complectitur dignum sinceris atque sublimibus ingeniis? quid etiam probandum limatis & politis ætatis nostræ judiciis? Itaque libere ac ingenue ipsi fatemur nos hanc invitos hoc maxime sæculo variis disciplinis ac præsentis argumenti scientia pererudito edidisse. Quod profecto dum confitemur, nihil reformidamus illius sapientis reprehensionem, qui non desinit se gloriatione & prædicatione, sed frustra, extollere: quod nihil unquam faciat invitus,

vitus, nihil dolens, nihil coactus. In nobis enim non tanta vis eſt conſtantiæ & ſapientiæ deſideranda: quam fortaſſe nemo dum mortalis eſt conſequutus. Sed cauſam hujus ſcriptionis primum, deinde editionis, non dubitamus quin, quum intellexeris, vehementer probes, atque juſtiſſimam exiſtimes. Ac primum quidem orationis hujus ſcriptæ tibi veriſſime confirmamus clariſſimum & honoratiſſimum virum D. MICHAELEM HOSPITALEM, Philopappum noſtrum, Franciæ Cancellarium, nobis authorem fuiſſe: cujus cum fœlix & omnibus bonis grata eſt & ſemper erit memoria, tum nobis nepotibus longe gratiſſima & jucundiſſima, ut nunquam videatur oblivione conterenda. At vero, inquies, quid vos? e tanta rei familiaris jactura etiam percipitis voluptatem? Tu ſic habeto è conſilio Ariſtotelis, iſtiuſmodi admirationem eſſe homini ſapienti intermittendam, ἐν τοις πένθεσι καὶ θρήνοις ἐγγίνεται τις ἡδονή· ἐκείνη γὰρ λύπη ἐπὶ τῷ μὴ ὑπάρχειν, ἡδονὴ δὲ ἐν τῷ μεμνῆσθαι καὶ ὁρᾶν πῶς ἐκεῖνον καὶ ἃ ἔπραττε καὶ οἷος ἦν, id eſt, In luctu & lamentatione volupe quid-

quiddam ineſt, dolor enim verſatur quidem in deſiderio abſentis: ſed voluptas in recordatione & quaſi inſpectione illius quod in vita geſſerit, & qualis fuerit, qua quidem cogitatione aſſeretur ille ab omni injuria oblivionis, contra quoſdam maledicos convitiatores. Tu igitur deſine jam mirari, cur avi noſtri memoriam, qui fuerit noſtræ familiæ columen, & jam ad ſedes æthereas evectus, gratiſſimam & jucundiſſimam colamus, & quem in poſterum exiſtimemus & literarum & literatorum teſtimoniis, monumentisque rerum bene geſtarum ad immortalitatem conſecratum.

Itaque quondam fuit quum ille noſter Philopappus pergeret à nobis repoſcere rationem Iſocraticæ prælectionis (quæ eſt ſapientum patrum familias in primis laudabilis & juventuti perutilis conſuetudo) ut nos curaverimus, qui tum fuit captus ætatis noſtræ, ei ſatisfacere & rationem noſtri ſtudii probare: verum quum ſibi novum & antea nunquam auditum Græce pronuntiandi genus audiviſſet, talis pronuntiationis cœpit a nobis rationem ſciſcitari: quam

quidem certe ex imparato, qualiſcunque tum fuit, reddidimus, hinc poſtea rem totam ad præceptorem noſtrum D. Gualterium ſtatim retulimus, quam ſimulatque intellexit, non de ea conquievit, donec nos edocuerit, æquiſſimum & clariſſimum rectæ conſcientiæ indicium, maximamque adoleſcentibus virtutis futuræ indolem eſſe, ſi nos non parentibus modo, verum etiam ſingulis hominibus rationes dictorum & factorum probaremus. Quare nos ad id quotidie vehementer hortari, θετικὸν nobis proponere, ut fit in ſcholis exercitationis gratia. Summa tandem rationum noſtrarum bene ſubducta cum patre chariſſ. D. Bellebatio communicatur: quam ille (ſicut jampridem antea ſæpe) ejuſque fratres honorati patrui noſtri Boetalleus & Meſſeus omnes Regi a conſilio & ſupplicibus libellis, literis ac virtute illuſtres viri, maxime comprobarunt. Sed in primis conſilium patris prudentiæ plenum fuit, ut avo potius actio legenda proponeretur, quam illi memoriter a nobis recitaretur: quod majorem vim perſuaſionis & recordationis haberet orationis lectio, quam ſimplex ejuſdem audi-

auditio: quemadmodum Stoicus ille nos docuit apud Agellium, " Facilius eru-" dieris, si legas & memineris magis." Item Ausonius lib. 4. epist. 2. post. Idyl. 3. scribens Hesperio filio: " Libellum, " quem ad nepotulum meum sororis tuæ " filium instar protreptici luseram, ven-" turus ipse præmisi legendum, hoc enim " malui, quam ipse recitare: esset ut tibi " censura liberior: quæ duabus caussis " impediri solet: quod aures nostras au-" dita velocius quam lecta prætereunt: " & quod sinceritas judicandi præsentia " recitantis oneratur. Nunc tibi utrum-" que integrum est: quia & legenti tibi " libera mora est, & judicatura non ob-" stat virtus agentis." Idem quoque præcipit Crassus libro tertio de Orat. " In " duritia translationum notanda, faci-" lius ad ea, quæ visa, quam ad illa, quæ " audita sunt, mentis oculi ferentur." Illius tandem lectione & argumentis sic avus noster captus est, ut non obscure multis diceret, illam tertia se repetiisse lectione: quasi fuisset pictura illa quæ decies spectata placeret. Testes quidem hujus commemorationis & prædicationis locupletissimos tum habuimus, non do-

mesticos solum, verum etiam alienos, qui sæpe consalutandi gratia illum invisebant. Ita vis nostrarum rationum caussam obtinuit certissimam. Nec est quod aliquis hic objiciat avum nepotibus suis facillime hoc indulsisse, qui (sicut majores reliqui atque parentes) nihil non hujusmodi à liberis postulatum concederet libenter. Id quidem certe videretur quodammodo probandum, si de aliquo certo genere hominum & mulierum, matrum, amitarum, materterarum, aviarum, matronarum, aliarumque ejusdem consanguinitatis & cognationis prædicaretur: Sed tantam tanto viro judicii levitatem affingere, qui amoris ardore de præsenti quæstione non incorrupte nec integre judicarit, hominis est prorsus ignorantis perpetuam illius viri constantiam, invictum veritatis studium, summam rerum variarum scientiam. Hæc tamen, lector, non eo à nobis dicuntur, ut hoc tibi præjudicio adimatur libertas de re proposita judicandi: sed ut te verbis Horatii possimus affari,

- - - - Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti: si non, his utere nostris.

Ha-

Habuisti adhuc, candide Lector, occasionem actionis institutæ: nunc editionis caussam cognosce. Itaque ubi illa famam, nescio quam, ex ea prædicatione sibi collegisset (est enim præclarum a laudato viro laudari) efflagitarunt nonnulli à nobis illius exempla: quibus cum impertiti fuissemus, iterum nos rogarunt uti permitteremus illam in vulgus exire. Quasi vero (dicebamus) esset Minerva illa Phidiæ, quæ in arce poni & in apertum prodire mereatur. Hanc à nobis repulsam tulerunt. Illi tamen semel repulsi, nihilo secius perrexerunt, nescio qua spe laudabilis exitus, nos sollicitare, & animos arroganti falsaque de nobis opinione tentare. Sed tantumdem ut prius propterea secum tulerunt, quod nullos inde spiritus majores sumpsimus. Ex iis autem qui postularant audiebamus tres jam apud exteros agere: unde vehementer suspicabamur fore, ut unus cæteris audacior ad quidvis divulgandum vel ipsas puerorum nænias, divulgaret etiam hanc minutam actiunculam. Itaque nos aliquam hujus deformitatem & pravitatem, vel hujusmodi notam, quam ipsi non inussimus, veriti, eam

maluimus ipsi ab exteris tandem aliquando receptam, & jam typis illic commissam, hic imprimendam curare. Quanquam autem ea posset fortassis ex aliena quam e nostra officina prodire multo speciosior & ornatior (facilis enim est ad inventum & prius dictum accessio) libentius tamen voluimus nos ejus maculas (quibus videretur aspersa) eluere, quam alienas notare & delere. ἡμεῖς γὰρ φιλήκοοί τε καὶ φιλομαθεῖς τυγχάνομεν ὄντες, οὐκ ἀμαθεῖς, οὔτε ἀπαίδευτοι. *Illius enim nos, ut indocti & imperiti, atque adeo, qui semper ruri, non Athenis, fuerimus educati & instituti, maxime egemus. Quare, candide lector, nihil tibi mirum faciat hæc oratio, si inde rustica; inerudita, horrida, inculta exierit & emanarit in vulgus: sed illa accipias eo animi candore, quo ipsi nunc tibi damus & proponimus: cujus candoris fiducia fretos ac munitos audi nos agentes. Vignæo, 12. Calendas Octobris, 1578. Vale.*

PHI-



PHILOPAPPUS HURALTHOSPITALIORUM, SIVE APOLOGETICUM, PRO VETERI AC GERMANA LINGUÆ GRÆCÆ PRONUNTIATIONE

Ex hodierna cacophonia in priscam euphoniam facile vindicanda;

Ad Clarissimum Virum,

D. MICHAELEM HOSPITALEM,

Franciæ Cancellarium, ipsius olim disceptatorem, ut aliarum controversiarum, verissimum ac sapientissimum judicem.



NOS videbimur fortasse certis quibusdam ingeniis inepti atque insolentes, καί τι ὡς λεπτολογοῦντες, atque adeo nimis subtiliter de minutis reculis differentes, Philopappe, iisque maxime, qui solum intuen-

tur in ſplendorem & dignitatem perſonæ, quam tu ſumma cum æquitate & conſtantia ſemper ſuſtines: quod te gravioribus ſtudiis ac rebus occupatum, minutis literulis odioſe interpellamus, & ad earum Alphabetum revocamus: quæ rem ludicram potius & quandam verius puerorum luſionem præ ſe ferant, quam rei argumentum quod ingenii tui magnitudini pariter æqualiterque reſpondere poſſit: ſed hujuſmodi ingenia honeſtiſſimum in hanc rem exemplum virorum & in literis & in rebus præclare gerendis facile principum opinione iſta levabit: qui egregiam quidem ſuam operam ac ſtudium in rem literariam olim contulerunt, in eaque vehementer elaborarunt. Tales enim nobis Græcia extulit, Platonem, Ariſtotelem, Theodecten, & alios innumerabiles. Tales etiam Italia, quibus non ſecus atque philoſophis eo laudis & dignitatis loco grammaticum ſtudium fuit, ut ipſius commendatione famam memoriamque ſui nominis voluerint poſteris eſſe gratiſſimam. Hoc autem genere laudis inter cæteros maxime floruerunt tres ſummi clariſſimique viri, M. Terentius Varro, M. T. Cicero, C. Julius Cæſar, quibus tam illuſtre tamque honorificum hujus commentationis ſtudium viſum fuit, ut illud ſummis & ampliſſimis honoribus, quos in Rep. eſſent conſequuti, longe anteponerent, & libros hac de re in ſummo bellorum civilium ardore conſcriberent: ut T. Pomponius Atticus in Bruto,

ſo, Suetonius in Julio Cæſare, ſcribunt: quem hic memorat conſcripſiſſe in tranſitu Alpium duos libros de Analogia. Eam quidem Analogiam probe noſti eſſe grammaticam, qua deprehenduntur impoſitiones & declinationes verborum (ut Varro & Fabius *Inſt. Orat. lib.* I. *c.* 6. loqnuntur) non autem Mathematicam proportionem, vel Dialecticam ſimilitudinem: qualis fortaſſe fuerit hæc, ut octonarius ad quaternarium, ſic quaternarius ad binarium. vel ſi mavis exemplum Fabii Quint. ut unum ad decem, ſic decem ad centum: vel εἰς τὸ ἀνάπαλιν, vice verſa. Eam enim nobis facit fidem non ſolum eorum librorum confectio, ſed etiam hiſtoria Romanorum, quæ narrat eos ſemper ſenatum & fora cogitaſſe, arma tractaſſe: perpaucos autem, idque leviter, ut Cicero *Init. lib.* II. *de Offic.* ſcribit. " Quibus vitiis declinatis quod in rebus " honeſtis & cognitione dignis operæ curæque " ponetur, id jure laudabitur: ut in Aſtrologia " C. Sulpitium audivimus: in Geometria Sex. " Pompejum Cn. Pompeji Magni patruum ipſi " cognovimus." Perpaucos inquimus, Mathemata, tum Romæ inviſa (ut Tacit. refert lib. II. & XVII.) obſervaſſe, præter Arithmeticam rei nummariæ: cuſus cauſſa illos inſectatur Horatius Epiſtola ad Piſones,

Romani pueri longis rationibus aſſem
Diſcunt in partes centum diducere. dicat

Filius Albini, ſi de quicunce remota eſt
Uncia, quid ſuperat? poteras dixiſſe triens.

Contra, in ſummo apud Græcos honore Geometria fuit: itaque nihil Mathematicis illuſtrius. At nos metiendi ratiocinandique utilitate hujus artis terminavimus modum, ait Cicero prima Tuſculana. Itaque, Philopappe, quum nos iſta te ingenii propenſione in litteras præditum eſſe habeamus exploratum, tecum hoc tempore bona cum tua venia libere audemus agere de veteri ac germana linguæ Græcæ pronuntiatione, cujus certe conſuetudo videtur tam longe jam deflexiſſe de ſpatio & curriculo veteris Helleniſmi, quam quod longiſſime: ut nuſquam pene gentium hodie fueris, ubi perſpicias vix pauca illius reſtare veſtigia. unde profecto nemini debet, nedum tibi, mirum videri, ſi hac ætate reperiantur qui à vulgari & pervagata Græcè pronuntiandi ratione deſciſcant, & ſe ad normam veterum repetendam totos conforment. Enim vero, roget aliquis, ſi tam pauca illius veteris indicia uſquam appareant, ubi tu ipſe indagabis? ubi perſcrutaberis? quonam etiam pacto jamdiu intermortuam excitabis? excitatam denique quaſi ex mortuis quomodo in uſum revocabis, ac, prope dixerimus, vita & ſpiritu donabis? Hujuſmodi quidem vocibus hominis illius qui id objicit, hæc pauca ſic reſpondemus: diſtinctos literarum ſonos ho-

hodie non auribus quidem audiri & percipi poſſe ex mutis magiſtris : ad eorum tamen principium & fontem nos poſſe à grammaticis deduci, ab iiſdem plurimum in vera literarii ſoni perceptione juvari, diſtinctione organorum vocalium, & ſonorum cuique literæ congruentium : multum quoque à rhetoribus, qui, cum in principiis & clauſulis inciſorum, membrorum & periodorum, ſimilitudinem ſoni diligenter obſervari & conſiderari præſcribunt, ad numerum orationis: tum de literarum ſubtilitate & granditate præcipiunt. multum paſſim à poëtis, hiſtoricis, philoſophis, Græcumque vertentibus in Latinum, vel contra, Latinum in Græcum: è quibus, ſicut nos ab iiſdem & à poſteris aſſumpſimus, quidquid D. Eraſmus, quidquid Joannes Checus ſcripſerunt de hac controverſia ſonorum literariorum, primum eſt acceptum: quorum alterum fruſtra Cancellarius Cantabrigienſis & Epiſcopus Vintonienſis in Britannia jampridem hac literaria pugna exercuerat. Deinde inter cæteros memoriæ & regionis noſtræ doctiſſimos viros primus extitit Lutetiæ Petrus Ramus, qui depravatam linguæ Græcæ & Latinæ pronuntiationem & liberalium artium diſtinctionem voce & ſcripto reformare, atque inter alios unus qui vitioſam Gallicæ ſcriptionem reſtituere tentarit : cujus profecto laudabiles conatus omnes, *μάλιϛα μὲν οἱ περὶ ἀλήθειαν καὶ εὐμάθειαν εὐπαθεῖς*, politiori humanitate viri, ſemper probarunt, ſtudioſi clario-

ris

ris doctrinæ & facilioris amarunt, posteri denique de hac semper illum amabunt His successit Dionysius Lambinus in pronuntiatione suarum prælectionum. Postremo ad hanc depravatæ pronuntiationis correctionem accesserunt Adolphi Mecherchi subsidia firmissima. Itaque recta quam nos quærimus pronuntiatio, prius in profundum demersa, ex antiquitatis ipsius monimentis primum eruta est: deinde ex ejusdem fontibus ab illis eruditissimis viris hausta, paulatim postea emersit. Atque jam inde in Gallia, Britannia, Flandria, multisque aliis regionibus studiose diligenterque & percipi & exerceri cœpit: unde nos hic quanta humani judicii & consilii vi poterimus efficere, variis auctoribus rationibusque bene subductis, summam faciemus opinionum nostrarum: quam nos breviter exponentes audi, si placet, libenter.

Nos igitur, Philopappe, quo res melius ac facilius tota progrediatur, primum de caussa vocalium & aliarum ab his conflatarum ost ndemus quis sit noster sensus: de quibu postquam habueris, de consonantibus etiam postea cognosces. Tradunt grammatici tria in explicatione literarum in primis spectanda, figuram, nomen, potestatem, quibus sigilatim aliæ ab aliis secernantur, & internoscantur. Sed ut non confuse permiscentur illarum nomina & figuræ: sic profecto debet confusionis etiam expers esse potestas: ut non uni detrahatur, quod ad alteram injuste transfera-

feratur. Vis autem illius poteftatis cernitur maxime in nativi foni redditione. Verbi gratia, quod ἄλφα (ut ab elementorum duce initium fumatur) vel etim quælibet alia litera fonat, alia nimirum quidem litera minime debet fonare: quod itidem eadem figurat & appellat id alia nec figurare, nec appellare jure poteft. Vera quidem certe funt & certa ifta grammaticorum præcepta & inftituta, memoriæque diligenter ab omnibus veritatis ftudiofis mandanda. Unde ftatuere nobis licet, perutilem poteftatis diffimilitudinem in literis pronuntandis retinendam, quæ conftantiffime fervatur in earumdem nominibus & figuris. Quod quum ita fit, non fibi injufte fumere debent aliæ aliarum fonos & poteftates: fed unaquæque id fibi, quod ipfius fit, folum vendicet ex lege juftitiæ & æquitatis: quam natura naturæque notio & ratio jam inde ab illorum ortu fanxerunt. Si qua forte plus eo appetat & affumat, jus non folum naturæ violat, verum etiam vinculum focietatis initæ diffolvit. Quale crimen hodierno die intenditur in ἰῶτα (id eft, in abutentes hujus literæ fono, ad fonum hic conquerentium exprimendum) quod peragitur reum juris violati. Ac primum a duabus vocalibus η υ: deinde à quatuor geminis fororibus ει, οι, ηυ, υι. quibus appofite (ut poftea dicetur) veteres grammatici διφθόγγοις nomen pofuerunt. Hæ fimul omnes juftiffimæ aerrimæque accufatrices confentiunt ac veluti

ti conjurant inter se de maleficio ac injuria in ἰῶτα vindicanda. Adstringunt illud tyrannidis apud te judicem æquissimum, ac de eo graviter conqueruntur. Expostulationis autem summam hujusmodi nunc tibi faciunt.

Ex quo (inquiunt illæ) perditum & sceleratum illud ἰῶτα nostra spoliavit & privavit nos prima & nativa sonandi potestate, & quasi de possessione dejecit, in ore oculisque omnium omnino hominum cogimur obmutescere, non secus ac si nobis lingua esset resecta: quod si qua sermonis collocutionisque nobis facultas concedatur (ut accidit sæpissime) illam nobis surripit furacissime ἰῶτα, & exercet tamen tenuissime. οὐδὲν γὰρ ἐκείνου λεπτοφωνότερον, id est, *nihil est quod exilius eo sonet.* Ea vero tum vel maxime fit nobis injuria in conferta populi frequentia atque in maxima principum celebritate, quum nos illuc omnes simul consultatum, concionatum, judicatum provocamur. Id autem quam eveniat frequentissime, vix dici potest. Nullus enim locus, nedum ullus hominum conventus, nobis potest carere. Ibi quum adsumus, nullo tamen modo audimur: etiamsi tenuissima omnium nostrum sit οὗ ἰῶτα πολὺ ἐυηχοτέρα καὶ ἐυφωνοτέρα, *multo sonantior & vocalior.* Nunquam certe prius in illa Græcorum veteri & erudita natione tantum injuriæ pertulimus & sensimus. Sed eo tempore, quod quæque à prima sui constitutione obtinuerat, id demum secure tenebat, eoque fruebatur quiete. Neque

que enim Academia, neque Lyceum, neque porticus, neque Odeium, neque Palladium, neque Panegyris, neque Cynoſarges, nec denique Athenæum, tantam vim nobis inferri unquam tuliſſent : quum celebritas illorum magna ex parte videretur tum conſtare noſtri ſtatus incolumitate. Nunc vero devenimus eo reſque noſtræ reciderunt, ut una cum plerisque aliis hanc communem injuſtitiam conqueramur, quaſi inter Cyclopas veverimus, ubi *Odyſſ.* ἰῶτα *verſ.* 112.

Τοῖσιν δ' οὔτ' ἀγοραὶ βουληφόροι, οὔτε θέμιστες.

Item, *verſ.* 215.

Ἄγριον, οὔτε δίκας εὖ εἰδότα, οὔτε θέμιστας.

Neque fora conſilii, neque jura valent.
Et apud agreſtem, neque jura, neque leges ſcientem.

Cæca cujuſque cupiditas

Jura negat ſibi nata, nihil non arrogat armis.

Talis quidem jotaciſmus (licet enim in novo & inaudito crimine nomen uſurpare novum & inauditum) aliquanto nobis tolerabilior videretur, ſi quod inde vel ad rem publicam vel ad privatam afferri poſſet adjumentum. Jam vero contra, quum utraque maximum

mum ab eo accipiat uſquequaque detrimentum, nemo (credimus quidem) reperietur, niſi inſigniter ſtultus, qui non ſtatim re cognita & perſpecta cenſeat delendum omnino illius principatum, noſque juſte conquerentes judicet reſtituendas in priſcam & integram vocalitatem nativumque ſonum. Quo quidem certe recuperato, οὐδέποτε πάντων τῶν πρότερον ἀδικημάτων μνησικακήσομεν, omnes omnium ſuperiorum temporum injurias oblivione ſempiterna conteremus: καὶ κατὰ τὸ ψήφισμα τῆς ἀμνηςίας, ex decreto oblivionis injuriarum, damnum quod nobis adhuc dederit, reſarciendum negligemus.

Iſtæ ſunt (honorate ave) vocalium & diphthongorum querelæ, iſta ſunt poſtulata: quibus tum demum illæ ſuperſedebunt ac deſiſtent, fœduſque concordiæ libenter ferient, quum tuo judicio in ἰῶτα gravi turpique crimine manifeſtæ injuſtitiæ notatum conſtituto, reſtituentur in antiquum poteſtatis domicilium. At quoniam non ſatis eſt hic tibi explicatum quantum auditoribus incommodi ferat jotaciſmus, paulo fuſius declarandum putamus. Eſt autem hic incommoditas duplex in Tautophonia & Amphibolia. Nos quidem moleſtiſſime ferimus Tautologiam, cujuſcunque rei fuerit, ut tu, ſæpius quam dici poſſit, cum in privatis lectionibus ac ſtudiis, tum vero maxime in tanta tot clariſſimorum virorum & principum luce verſatus, potuiſti experiri. Quæ cauſa certe fuit Iſocrati,

crati, ut idem apud eosdem sæpius iterandum vetaret: nisi quis malit illud vulgo jactatum sibi, ut inerti musico, objici, qui, quia perpetuo ac eodem cantilenæ sono aurem percutiat, vix stipem dicitur mereri. Notum quidem est omnibus illud Ulyssis in fine Odyss. μ.

— ἐχθρὸν δέ μοι ἐστίν
Αὖθις ἀριζήλως εἰρημένα μυθολογεύειν.

—— grave mihi & molestum est
Jam aperte explicata narratione iterata explicare.

Non dissimili loco atque numero nos habere debemus Tautophoniam, siquidem dum illa efficitur ut oratio semper eodem fluat tenore, nulla soni varietas auditur, quæ animos audientium retineat: nulla voluptas capitur, quæ fessos audiendo reficiat. Ita omnis elegantia orationis, venustas, concinnitas perit, atque pro his deformitas pravitasque subit. Ique talem Tautophoniæ incommoditatem, ut injucundum & insuavem sonum; aures graviter offensæ repudiant. Sic certe sumus à Plutarcho περὶ παίδων ἀγωγῆς edocti, μονῳδία γὰρ ἐν ἅπασιν ἐστὶ πλήσμιον τε καὶ πρόσαντες. Id est, *Unius enim tenoris cantilena ubique satietatem parit, & molestiam exhibet.* Quid vero Amphibolia? hæc quidem tanto gravius incommodat orationi, quanto mentem auditui cæ-

terisque ſenſibus præſtare judicamus. Sic animum auditoris perplexum retinet, ut ille totus æſtuet dubitatione, nec cernere veritatem poſſit. Cui quantas olim tenebras, quantam rerum obſcuritatem illa offuderint oracula Delphica & Pythica divina ſcilicet, non obſcure ipſæ hiſtoriæ loquuntur: quas quamquam tibi ſatis perſpectas & cognitas certo ſcimus, hanc tamen unam pro infinitis tibi primum proponemus ex hiſtoria Thucydidis lib. 2.

Ἥξει Δωριακὸς πόλεμος καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ.
Veniet Doriacum bellum, & una cum ipſo peſtis.

E qua quidem voce & altera λιμὸς huic ipſi paronomaſta & agnominata, præter fallacias oraculorum, & captioſas ſophiſtarum argumentationes, accepimus multos etiam colligere quandam priſcorum Athenienſium dubitationem de vera utriuſque primæ ſyllabæ pronuntiatione. ſed illi falluntur: quia veteres non de legitimo ſono diphthongi οι & vocalis ἰῶτα dubitarunt, quum probe ſcirent illam διφθόγγως ſonare οὕτως ἐν τῷ λοιμός, ὡς ἐν τοῖς Oileus & Troilus ἐκφωνηθεῖσιν ἀδιαλύτως, (ne quis forte nobis objiciat hæc uſurpari conſueſſe à poëtis διὰ τῆς διαλύσεως) ὡς καὶ ἐν τῷ Euboia: ἰῶτα vero in λιμὸς audiri μονοφθόγγως, tanquam diceres *uniſone*. Tota igitur quæſtio in eo verſabatur, ut quum alii diſſimiliter aliis utrumque vocabulum & ſcriberent & pro-

pronuntiarent, ſciſcitando tandem ſcirent utram vocem in verſu retinuiſſent ipſorum majores. Cujus quidem rei index fuit tandem eventus, quum peſtis bellum conſequuta fuiſſet, majores legiſſe λοιμός: quum vero fames idem bellum, λιμός. unde conſtat utramque vocem & literis & ſonis diverſis tunc ſcriptam & pronuntiatam: ideoque nunc ita & ſcribendam & proferendam. Hoc quidem lege methodi locum expoſitionis alterum requirebat: Sed quia videbatur Amphiboliæ ratio non hoc verſu ſolum illuſtrari, ſed etiam vera pronuntiatio utriuſque literæ ſtabiliri, utrumque conjunximus, ne idem verſus eſſet nobis poſtea repetendus. Deinde tibi effingetur etiam utriuſque vitii tum Tautophoniæ tum Amphiboliæ exemplum, quod ex hoc jotaciſmo proficiſcitur, & quale paſſim obſervari poteſt in omni ſcriptorum Græcorum genere: ut hæc vitioſa pronuntiatio videatur aptiſſimè conficta ad mendaces ethnicorum tripodas, & ad paralogiſmos ſophiſtarum reperta. Hæc igitur ſententia proponatur, & poſt Græce per jotaciſmum proferatur, Μὴ σὺ μὲν εἴποις μοὶ ὅτι ἡ πόλις ξύμπασα σὴ τοῖς λοιμοῖς φθείροιτο, οἱονεὶ ποίμνη τοῖς θηρείοις. καὶ γυνὴ σοῦ τεθνήκοι ἤδη σοὶ, καὶ τρεῖς υἱοί· ὥστε πρὸς τὴν τῶν λοιπῶν σωτηρίαν χρῆναι δεῖ μετοικῆσαι ταχίστη. Id eſt, *Ne tu quidem mihi dicas tuam civitatem peſtilentia, ut gregem feris, omnino perdi: atque tuam uxorem ternosque jam tuos liberos tibi mortuos eſſe: ut ad reliquos conſervandum celerrima ſane migratione*

 uten-

utendum ſit. Sed quoniam hic jotaciſmus non poteſt ubique voce repræſentari, ſcripto ſic, quoad ejus fieri poterit, exprimatur è recentium Græca pronuntione, *Mi ſi men ipis mi, oti i polis ſimbaſa ſi tis limis phtirito ioni pimni tis tiriis: ke jini ſou tetniki idi ſi, ke tris ii: oſte pros tin ton lipon ſotirian criſte di metikiſi takiſti.* Hic te, ſicut cæteros auditores, videmus diligenter audire, & ad id quod profertur, ſtudioſe attendere. Hæret tamen tuus reliquorumque auditorum omnium animus quamlibet in Græcis exercitatus ad has voces jotaciſatas. Primum ſic defixus hæret in *mi*, ut plane neſciat particulane ſit prohibendi, an lugendi, an caſus dandi. In *ſi* quoque non minor eſt ignoratio. poteſt enim tria vel fortaſſe plura deſignare, Tu, tibi, tua. Præterea *ipis*, dicas, vel ſubſis, vel equis. At quæſo ne hæc tibi examinatio ſit moleſta: jotaciſmus certe in cauſa eſt cur *polis* tum de urbe, tum de multitudine, vel de pullis equinis, tum de binis axis cæleſtis terminis intelligatur: ut *ſimbaſa* de eventu & de univerſitate: ut *idi* de tempore & de monte, vel de ſpecie, vel de verbo ſciendi, ſic *limis* de peſte, fame, animo, *ioni* de ſimilitudine vel de nepotibus, qui υἱωνοί: ut *pimni* de grege vel de leguminibus coctis, quæ πύνοι: ut etiam *tiriis* de feris: vel de foribus: quæ θύρια, vel de caſeolis, qui etiam τύρια dicuntur. Item *jini* de muliere & de verbo. Ita *tris* de nomine vel de adverbio. denique *ij* de filiis & de ſa-

ſagittis, vel de ſtrenuo ἠεῖ. Poſtea *lipon* licet interpretari de reliquis, vel doloribus, vel defectu, vel caniſtro: quæ varie ſcribuntur, λοιπῶν, λυπῶν, λειπὼν, λεῖπον. Denique *criſte* de verbo utendi, de homine commodo, vel uncto. quorum tamen ſcriptura plane diverſa eſt ab hac perverſa pronuntiatione, χρῆσθαι, χρηστὲ, χριστὲ, ut δὴ δεῖ.

Omnes autem hæ dictiones fortaſſe de multo pluribus dici poterunt, ſi quis attentius ſingularum paronomaſias & adnominationes perpenderit. Sed tolletur de oratione nec non de intelligentia iſtud impedimentum, ſi quælibet vocalis & diphthongus ſuum effecerit ſonum, & legitimo accentu ſingulæ voces pronuntiatæ fuerint: quod utrumque natura, ratio & notatio indicant & requirunt. Illius quidem natura & ratio poſtulant pronuntiationem cujusque vocalis ab aliis ita ſecretam & ſeparatam, ut ſunt diſtincta vocalium nomina & figuræ. Hujus vero notatio à duplici ſono nomen eſt mutuata, quaſi literam eſſe diceres biſſonam Latine: διὰ τὸ δὶς φθέγγεσθαι, quod bis ſonet. Sed pro hac tenui & obſcura pronuntiatione veteres tibi reponerent hanc claram & ſonoram, *Meè sù mèn eïpois moì, höti hee pólis xúmpaſa ſeè toïs loimoïs ptheíroito, hoionel poimneè toïs theeríois, cái guneè ſoũ tethnéecoi ëedee ſoì, còi treïs huioí, höoſte pròs teèn tõon loipõon ſooteerían chreeſthai deè metoikéeſei tachíſthee.* Quod ſiquis ad voluntatem & ſententiam primariorum grammaticorum aggregare ſuam recuſet, ac

in illa depravata pronuntiatione permanſionem perpetuo faciendam ſecum reputet, ut priſcorum voluntatem & uſum audet immutare, liceat illi quoque ſimili vel temeritate vel ignoratione dipthongis nomen aliud adoptare. Nos quidem non arbitramur novum aliud aptius ad ſimplicem ipſius ſonum effingi poſſe, nec accommodatius ad vitioſam pronuntiationem, quam ſi hanc geminam vocalium coagmentationem vocites monophthongum unius ſoni literam, juxta atque dicitur Græce ῥῆμα μονοσύλλαβον, verbum unius ſyllabæ. Sed longe aliter ſentiunt Plutarchus in Sympoſ.& Hermogenes. ille quidem, dum ἄλφα in conjunctione diphthongorum ſcribit quendam tenere principatum, ac uti ſic cæteris vocalibus ipſum conſequentibus, ut cum ipſis ſimul ſonet, vocalius quidem & ſubito ſine interſpiratione, ut natura ipſius fert. Idcirco αι non ε vel αϊ in poſterum ſonabit, neque αυ *af*, vel *a-v*, quum hæc literarum conjunctio nequeat bis ſonare: ſed prior, ut diphthongus in Gallicis vocibus, *Pais*, *Paiſant*, patria, ruſticus: quomodo *faire* & *maiſtre* à quibusdam Picardis & Narbonenſibus proferuntur: poſterior autem, ut *u* Gallicum poſt *e* in ευ, quale auditur in vocibus Gallicis, *Dieu*, *lieu*: quale etiam in Latinis diſſyllabis Theſeus, Peleus. ſic poſt α in αυ, ſicut ex incremento temporali perſpicuum eſt in ηὔδα imperfecto thematis αὐδάω, quod reperias Iliad. α.

Καὶ

Καὶ τότε δὴ θάρσησε, καὶ ἤυδα μάντις ἀμύμων.

Et tunc vates præſenti animo inculpatus audacter hominis ore loquutus eſt.

Sic enim Euſtathius αὐδᾷν interpretatur τὸ ἀνθρωπίνως λαλεῖν. Hic ἤυδα διασυλλάβως ἐκφωνητέον, tanquam ſcriptum eſſet ἔευδα: & νῆυς, tanquam νεεῦς μονοσυλλάβως per u Latinum. Hujus præterea diphthongi vis recte poteſt repræſentari Gallica dictione *bahu*. ἀλλ' ὅμως ἂν ἄνευ δασύτητος καὶ διαιρέσεως προφέροιτο λέξις τοιαύτη. Id eſt, *hujuſmodi tamen dictio ſine interſpiratione & diviſione proferatur*: ſic quoque poſt ο in ȣ. Quanquam autem nonnulli dicant ȣ ſolam è diphthongis legitimum & nativum ſonum retinuiſſe, in eo tamen nondum audivimus aperte pronuntiando τὸ υ referre ſonum quem u Latinum Gallice pronuntiatum refert, aut certe aliquid in ipſo de ſua poteſtate ſibi reſervare, quale videtur retinendum ex verbis in Latinum converſis Muſa & Curetes, quæ Græce ſcribuntur & proferuntur μȣ̃σα & κȣρῆτες. Aliter quoque Hermogenes in lib. περὶ σεμνότητος, ſentit, dum præcipit à vocalibus & diphthongis grandem effici orationem. Verum iſta granditas ubi apparebit in jotaciſmo tam exili & attenuato, in quo plane audiuntur omnia τιτίζειν & μινυρίζειν, pipire & mutire? Cui vitio ſi locus eſſet relictus in ſimilibus noſtræ linguæ, dictu quidem certe mirum ac pene incredibile,

quam digniſſimis modis acciperetur à noſtris poëtis.

Tu igitur, Philopappe, his rationibus, authoritate, judicio clarorum eruditorumque virorum impulſus, atque adeo rei veritate commotus, & impedimentis tuæ intelligentiæ monitus, convelle & labefacta ſtatum tam pernicioſi jotaciſmi, & in perpetuum exilium cito projice. Tu ſex literas miſere ac turpiter ſpoliatas exorna ſumma tuæ ſententiæ æquitate, & reſtitue in antiquam poſſeſſionem. Tu denique, penes quem ſumma cauſarum Gallicarum omniumque judiciorum conſiſtit, acerrimum te præbe vindicem vitiorum: quod quidem certe ex bonitate & æquitate cauſæ ſine provocatione potes hic præſtare.

Permultis quidem videtur reſtare ſcrupulus, quem duæ vocales longæ η & ω injiciunt: & ille jamdiu male grammaticos habet & graviter exercet, qui ſentitur, & in eo verſatur, quo ſoni genere à ſuis brevibus illæ diſtingui debeant. Quanquam is facile eximetur, ſi bene ac diligenter utriuſque figura conſideretur, & ſuperior veterum Græcorum pronuntiatio characteribus Latinis expreſſa teneatur memoria. Ex illius enim obſervatione animadvertetur η e gemino εε & altero inverſo ε϶ coaluiſſe: itidem ω ex duplici charactere οο conflatum eſſe. Itaque binis utrumque temporibus ègere. i. hiatu & mora aliquanto longiore interponenda in eo proferendo.

do. Neque acceſſio puncti ſubſcripti τοῖς η, ω, α, quidquam addit vel demit huic germanæ pronuntiationi, quod veteres è tali ſubſcriptione puncti ſignificarint nullam fieri acceſſionem ſoni ad hujuſmodi vocales, neque puncta conſueſſe pronunciari, neque etiam ullas literarum ſeminotas, nedum ſemijota imis præpoſitivarum lateribus adſcriptum τοῖς ηι ωι αι Hic locus nos certe ſubmonuit, quod legimus in libris a Mamerto Patiſſonio Lutetiæ excuſis, ubi diphthongi ae & oe ſeparatim abque inſitione figurantur. quod inventum ſive Joſepho Scaligero, viro polygloſſo, & antiquæ ſcripturæ acerrimo inveſtigatori, ſive typographo ipſius imitatori vigilantiſſimo & diligentiſſimo, ſive denique vetuſtis exemplaribus tribuendum ſit, mire quidem videtur exprimere & effingere diphthongorum ſonos ad rationem appellationis. Talis enim figura clariſſimo eſt argumento unamquamque diphthongum referre ſonum è gemino utriuſque vocalis mixtum ac temperatum: quem videtur in ſimplicem contrahere implicata diphthongi figura. quod itidem Euſtathius in hunc verſum Odyſſ. α, videtur ſubindicaſſe,

Ξεῖνοι δ' ἀλλήλων πατρώϊοι εὐχόμεθ' εἶναι.

Antiquum inter nos jus hoſpitalitatis profitemur coluiſſe,

quum ſic annotavit, ἰςέον ἢ ὅτι πατρῷος κτηλι-

 κὸν

κὸν μέν ἐςι. &c. Id eſt, *Sciendum eſt, πατρῷος poſſeſſivum eſſe, & fieri è genitivo πατρὸς πατροῖος, ſicut è genitivo παντὸς παντοῖος: & o producto in ω, πατρῷος, manente ἰῶτα in adſcriptione. Ita formatur etiam μητρῷος & παππῷος. verum πατρῶϊος, μητρῶϊος, παππώϊος fiunt ex ἰῶτα, quod prius punctum fuerat, adſcripto, & jam inde ſtatim pronuntiato. Sic etiam μινῷος, pronuntiatur μινώϊος.* Sed quanto η & ω magis ſonant quam ε & ο: tanto etiam ſonantius diphthongi ηυ & ωυ quæ videntur illis ex adverſo reſpondere, debent audiri. Sonus tamen longarum vocalium, qui ſic charactere duplici repræſentatur, minime divulſus hic efficiendus, nec audiendus eſt, ſed perpetuus: qualem ex ovium balatu in ipſo η, qualem quoque è rauco drenſatu olorum in ω percipiemus: ſicut poſtea proponetur è Cratino & Ariſtophane in doctrina conſonantium.

Ac ne quid ipſi ſilentio videamur tranſire, Hellenismus quidem certe his duabus longis, ſicut tribus denſatis (quas vulgus grammaticorum male pro aſpiratis aſperas nominat, quum nihil aſperitatis habeant, neque etiam τραχέα, verum δασέα γράμματα vocentur) potuiſſet (inquimus) carere Helleniſmus his literis & tribus duplicibus, ζ ξ ψ.

De x Latino Fabius *Inſtit. Orat. Lib.* I. *c.* 6. idem ſcripſit. „ Noſtrarum ultima x, „ (quam Cicero in Oratore vocat literam „ vaſtiorem) carere potuiſſemus, ſi non quæ- „ ſiviſſemus.„ Nam ſexdecim illæ à Cadmo in-

inventæ ſatis eſſe videbantur ad totidem ſonos exprimendos. Quid ergo (dicet aliquis) profuit acceſſio iſtarum octo, partim à Palamede, partim à Simonide facta? Quidam ob id inventas judicant quod aliquo compendio ſcripturam nonnihil juvarent, ut, quod duplici vel charactere, vel certe uno & aliqua nota, prius fiebat, ex placitis principum grammaticorum, id ſimplici poſtea conſtaret.

Ypſilon, quod ita vocatur quia ipſius ſonus ſimplex ac tenuis ſit, extra diphthongos, αυ, ευ, ου, ωυ, ηυ, υι, præter communem & ſuperiorem vocalium querelam, ut e tyrannide jotaciſmi in libertatem nativi ſoni vindicetur, aliquid præterea aliud poſtulare præcipue videtur, quo magis ejus poteſtas ab omnibus intelligatur. Nam præterquam quod Priſcianus, Terentianus, Capella, & alii plerique poſtea recentiores grammatici ſcribunt, non ſatis quidem rationi congruenter, illius ſonum eſſe medium inter diphthongum ȣ & ἰῶτα, quem eadem edit labiis appreſſis & pœne coeuntibus, ἰῶτα vero ipſa paululum diducta legitime requirit: υψιλὸν tamen & figura & ſono aliquo refert ordinem & gruiſmum avium Palamedis convolantium, e quo & ordine & conico, & tanquam diceres appreſſu labiorum, ipſius figura excogitata eſt. Refert quoque eundem ſonum vox κόκκυξ & κοκκύζειν, cuculus & cucurrire: unde conſtat υψιλὸν ſonare u Gallicum, & Kibbuts ſephathain

thain Hebraice ſic a labiorum collectione nominatum, בֻ. Veruntamen non debet nos perturbare nec abducere vulgaris & Gallica appellatio *coucou* à ſonando υψιλὸν per u Gallicum, & ad ſonum alienum traducere: quum nos etiam Galli *cocu* proferamus: quaſi alterum à κοῦκκος, alterum à κόκκυξ ſit deflexum. Vtrumque enim nomen apud Græcos legitur. Huc addo aliam confirmationem ex verbis Græcis, quæ cum fiunt Latina, ſemper υ vertitur in u Latinum Gallice pronuntiatum, affinitate ſoni, nunquam in ἰῶτα. Hujuſmodi autem verborum ſic è Græco converſorum in Latinum hæc ſunto exempla, μῦς, *mus*: ὗς, *ſus*: σὺ, *tu*: δύο, *duo*: κύμινον, *cuminum*: βότρυς, *botrus*: τύρβη, *turba*: ῥύω, *ruo*: πτύω, *ſpuo*: κύβος, *cubus*. Neque nos verba è Græco fonte ſic cadentia putamus, more Italorum tum pronuntianda, *mous*, *ſous*, *tou*, *douo*, *tourba*, ut pronuntiatur *Davous*, *ſervous*, & ſimilia: ſed ritu Gallorum, *mus*, *ſus*, *duo*, *turba*. Quæ vero manant è finibus ος & ους, ut e Τόμος & Οἰδίπους, Tomus & Oedipus, arbitramur Italico ſono recte afficienda, *Tomous*, *Oedipous*, quod nemo dum, ut exiſtimamus, animadvertit & obſervavit, vel certe notavit. Itaque nos hoc obſervatione digniſſimum cenſuimus ad originem vocum indicandam: niſi quis forte putet linguam Latinam antiquitate cum Græca certare. Præterea in diphthongo impropria ῃ audiatur talis ſonus, qualis in his Galli-

Gallicis, *eſtant las il s'appuia.* Itaque ad hujus formam pronuntianda erit vox ἅρπῦια & omnia generis muliebris & præteriti perfecti temporis participia, tam activa, quam media, τετυφῦια & τετυπῦια, *harpuia*, *tetuphuia*, *tetupuia*, quod in poſtremo Servius innuit lib. 3. Æneid. in hunc verſum,

Harpuiæ & magnis quatiunt clangoribus alas.

In *harpuiæ* (inquit) Græca diphthongus eſt: nam Latine υ non habemus. Qualis etiam ſonus auditur in his Gallicis, *Je ne puis*, *Je ne ſuis*, *un mui*, *di lui*, monoſyllabis, ἐκ ταύτης μὲν δὴ τȢ̃ υ κακοφωνίας διὰ τȢ̃ ἰῶτα ἡ κακογραφία τῶν Κελτικῶν ὀνομάτων, τῶν γε μάλιστα διὰ τȢ̃ ἰῶτα γραφθέντων ἐγένετο. Id eſt, *Ex hac quidem certe depravata pronuntiatione υ pſili jota perverſa Gallicorum verborum ſcriptura nata eſt. I'ay ouy dyre que le Roy & la Royne devyſent famylyerement avec luy.* Cujuſmodi infinita in litteris Gallice ſcriptis doctiſſimorum etiam virorum reperias.

Ex eodem pronuntiationis vitio natum etiam eſt hoc malum, ὅπως τὸ Μωυσῆς δισύλλαβον διεσαλμένον ᾖ εἰς τὴν τρισυλλαβίαν. Id eſt, *ut hæc vox diſſyllaba fieret triſſyllaba*, quaſi ſeptuaginta interpretes bibliorum reddidiſſent vocem Hebræam משה Moyſes: in qua bis peccatum eſt à Latinis, & quod è voce illa diſſyllaba tam Hebræa, quam Græca Μωυσῆς vel Dorice Μωσῆς, facta ſit triſſyllaba,

&

& quod ſubjunctiva diphthongi ωυ divulſe per ἰῶτα pronuntiata ſit. Huc accedit ſcholiaſtes Ariſtophanis in hunc verſum,

ὖὖ ὖὖ ὖὖ, ὖὖ ὖὖ ὖὖ hæc annotans, διὰ τοῦ ψιλῶν τούτων ὖ δείκνυσιν ὅτι χοιρείων κρεῶν ὀσμῆς ᾔσθετο. ἀλλα ὖ ὖ ἐπίρρημα θαυμαστικόν. ἢ ὀσφραινόμενος τοῦτο φησί. Id eſt, *Significat per hæc* υ *pſila ſycophantam carnes ſuillas olfactu percepiſſe. Cæterum* ὖ ὖ *eſt adverbium admirantis, vel quis olfaciens aliquid profert hoc.* Ex hoc quidem certe verſu & ex hac annotatione facile perſpicitur, quum nos expiramus, & occluſo ore ſpiritum per nares emittimus, ſonitum edi prope aſſimilem u Latino Gallice pronuntiato. Denique υ ſola eſt ex omnibus vocalibus quæ præſidium labiorum, ut litera Hebraica modo citata, maxime requirat: ex quorum coitione & ſpiritus coarctatione ſatis fuit argumenti Dionyſio Halicarnaſſeo ad diſtinguendum illius ſonum à cæteris. Sed ad magis commendandam vim τοῦ υ ψιλοῦ, poſtremo accedat hoc encomium Fabii Quintiliani, *Jucundiſſimas ex Græcis literas non habemus, vocalem alteram, alteram, conſonantem: quibus nullæ apud illos dulcius ſpirant: quas mutuari ſolemus quoties illorum nominibus utimur, ut in Zephyris & Zopyris: quæ ſi noſtris literis ſcribantur, ſurdum quiddam & barbarum efficient, & velut in locum earum ſuccedent triſtes & horridæ, quibus Græcia caret.* Retinendæ igitur ſunt hæ literæ ſolum in vocibus Græcis, nempe & ζ & υ.

Com-

Communis adhuc fuit, honorate ave, querela sex literarum de ἰῶτα, & peculiaris tractatio de proprio ac legitimo sono vocalis υ psili: cujus præterea nunc privata querimonia deploranda est & explicanda. Nam quum in coagmentatione diphthongorum aliis, quas grammatici præpositivas appellant, agglutinatur, ex sese cogitur veluti migrare in consonantem, atque suum sexum ementiri. Unde facillime & optime perspicias quam recte sibi constent propugnatores depravatæ pronuntiationis: quos si juberes hanc dictionem proferre εὔθραυστος, id est, *contusu facilis*, hanc illi perinde pronuntiarent acsi vocalis subjunctiva esset à præpositiva plane divulsa, & utraque præpositiva ε & α separatim sonaret cum interspiratione: υ ψιλὸν vero cum sequente consonaret per vau, ut in *avo* sublata vocali *o*: vel per *f* digamma, ita ut prima hujus vocis syllaba, itidem secunda, *evthra*, *avstos*, vel *efthra*, *aftos* pronuntiarentur. Eheu! quid istud est aliud, nisi artus concinne inter se connexos, instar Hippolyti, discerpere & dilacerare? quid etiam nisi res a natura copulatas errore divellere? At vero (dicet aliquis) talem diphthongorum secretionem in summis habent deliciis non solum vulgus Græcorum, sed etiam eruditissimi quique. Is certe (ut verum dicamus) nobis propemodum idem dicere videtur, atque ille qui lævitatem & asperitatem, levitatem & gravitatem sibi pariter

ter æqualiterque reſpondere confirmaret, vel qui objiceret,

Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri.

Huc duos hominis ſenſus, tactum & auditum, teſtes & judices appellamus: hanc contentionem dijudicent aures, quæ ſonos ſequentium ſyllabarum uſurparint, ſimplexne an etiam duplex conſonans, an ejuſdem multiplex concurſus jucundiorem & ſuaviorem ſonum reddat. Statuent procul dubio, θα & τα vel *thra* & *ſta*, ἡδύφωνα μὲν εἶναι, ſuaviter ſonare: τὰ δὲ *fthra* & *fſta* vel etiam *vthra* vel *fthra*: item *vſta* vel *fſta*, τραχύφωνα eſſe & veluti ſtridere. Ex his igitur conficimus, tale objectum pro mendacio manifeſte comperto & deprehenſo eſſe habendum: taleſque iſtorum hominum delicias morbis mulierum gravidarum (quos medici malacias nominant) aſſimiles: quibus laborantes, pro ſuavibus cibis avide veſcuntur carbonibus atris, gravibus: de quibus ſic Lucretius Lib. 6.

Carbonumque gravis vis atque odor inſinuatur
Quam facile in cerebrum, niſi aquam præcepimus ante.

Rabula aliquis, qui ſemper quod nomen ipſum præ ſe ferat, callide conſectatur, non deſiſtet hic tergiverſari, & judicio ſenſuum damnatus obtrudet tamen faſtidioſe conſuetu-

ſuetudinem. Cujus quidem putatur jus eſſe id quod voluntate omnium ſine lege vetuſtas comprobarit, & in ea jura ſunt quædam ipſa jam certa propter vetuſtatem. Nos, quum infiniti ſit laboris ac plane inutilis cum rabularum ingeniis confligtari, illud damus reſponſum, nunquam apud bonos viros & eruditos tantum ponderis & momenti vitioſæ & corruptæ conſuetudini fuiſſe, ut ea ſuo mendacio potuerit veritatem contaminare, ſed potius pura & incorrupta conſuetudine ab iisdem impura debuerit emendari: quemadmodum bona vita ſemper ſibi conſtare & immota eſſe, mala vero mutari, & pravorum morum mutatio fieri: ſicut docet Theogenis,

Οὐ χρὴ κιγκλίζειν ἀγαθὸν βίον, ἀλλ' ἀτρεμίζειν·
Τὸν δὲ κακὸν κινεῖν, ἔς' ἂν ἐς ὀρθὰ λάβῃς.

Non oportet bonam vitam mutare, ſed immotam ſervare:
Malam vero mutare, donec rectam aſſequutus fueris.

tametſi omnia inſtitutis & opinionibus teneri, nihil veritati relinqui, omnia deinceps multis tenebris offuſa nonnulli philoſophi dixerunt. Itaque nos, illis omnibus miſſis, à recto curſu neque tardemur, neque jam ingreſſi inde revocemur: atque nos adverſus tale

consuetudinis jus iniquum usurpemus illud Horatianum ad Pisones,

At nostri proavi Plautinos & numeros &
Laudavere sales: nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati.

Præterea vero non est huc quisquam ex media Attica, ὡς τῶν ἀκριτομύθων τινὲς θρυλλοῦσιν, id est, *ut quidam temere dictitant*, accersendus, qui Gallos diphthongorum sonos recte doceat. Nos enim possumus eos ipsos à nobis, quasi jure postliminii, repetere, exterosque docere: quippe qui ex commentariis Cæsaris & aliorum historicorum libris, certo sciamus, majores nostros veteres Gallos & ex his Gallo-græcos & Druidas characteribus Græcarum literarum usos fuisse, & iisdem sonos patriæ linguæ articulatim distinxisse. Quare non solum diphthongos & triphthongos, hisque longiores recte pronuntiamus: verum etiam nullam ex vocalibus devorantes, indissoluta voce plane distinguimus, *Beau lieu*, *Beaux yeux*, *ioyaux*, *ioyeux*. Quod quum ita sit, valde stultum fuerit quærere foris & aliunde petere quæ tibi sunt domi ad manum commodissime. Quotum enim quemque Gallorum hodie reperias, qui æquo animo ferat μονοφωνίαν suarum diphthongorum & triphthongorum? Id est, si una sola enuncietur, velut quælibet ex tribus vocalibus? In aliena vero lingua id tentare, nedum cogitare,

gitare, hominis proculdubio fuerit audacis & temerarii.

Enimvero, honorate ave, ſcholia Euſtathii in verſus Iliad. α, infra notatos (quorum exemplum doctrinæ vocalium & diphthongorum, ut maxime proprium, appoſuimus) nunc in hanc diſquiſitionem venire poſſunt, an nos progreſſione jam inſtituta ad veterem literarum Græcarum pronuntiationem repetendam prohibere poſſint, necne. De his autem amice admoniti ſumus à P. Daniele, Aurelienſi juriſconſulto, viro priſcæ literaturæ ſtudiis valde dedito ac liberaliter erudito. Itaque in hos poëtæ Iliad. α. v. 403. 404. 405. verſus quorumvis multorum judicio videtur omnino ab hac noſtra ſententia & conſilio diſcrepare,

Ον Βελάρεων καλέουσι θεοὶ, ἄνδρες δέ τε πάντες
Αἰγαίων. ὁ γὰρ αὖτε βίηου πατρὸς ἀμείνων.
Ος ῥα παρὰ Κρονίωνι καθέζετο κύδεϊ γαίων.

In hos (inquimus) verſus hæc commentatus eſt Euſtathius, Οτι τὴν μὲν τοῦ ΑΙγαίωνος παρήχησιν ἐξέκλινεν, ὡς εἴρηται, ὁ ποιητὴς, ἐν τῷ μὴ ὁμοιοπτώτως εἰπεῖν, Αἰγαίων κύδεϊ γαίων, ἀλλ' ἐν ἀρχῇ μὲν σίχου ἑνὸς εἰπεῖν ΑΙγαίωνα, ἐν δὲ τέλει τοῦ ἑτέρου, γαίων, αἰτιατικὴν δηλονότι καὶ εὐθεῖαν. εἰ καὶ ἄλλως ἡ ἔκθλιψις τοῦ α τῆς αἰτιατικῆς εἰς τρισυλλαβίαν συςείλασα τὸν ΑΙγαίωνα, ἔμφασιν δίδωσι παρηχήσεως. καὶ οὕτω μὲν οὐ καθαρῶς παρήχησεν ὁ ποιητὴς ἐν τῷ ΑΙγαίωνι· ἐφεξῆς δ' ἑτέρᾳ

παρηχήσει χρᾶται, εἰπὼν ὅτι τὸν Αἰγαίωνα ὑπέδδεισαν μάκαρες θεοί, οὐδέ τ' ἔδησαν· τοῦτο γὰρ πάνυ καινότροπον. διὸ καὶ σπάνιοι αἱ τοιαῦται πανταχοῦ παρηχ. &c.

Id est,

Quem Briareum dii quidem vocant, omnes autem homines
Aegæonem, hic quidem virtute patria confidentior erat,
Qui Saturnidæ gloria elatus assidebat.

Quod Poeta deflexit παρήχησιν, *id est agnominationem AEgæonis (ut dictum est) cum non pronuntiavit casu eodem,* Αἰγαίων κύδεϊ γαίων, *sed initio unius versus dixit,* Αἰγαίωνα, *& in fine alterius,* γαίων, *per accusandi casum & rectum: quanquam alioqui elisio* τοῦ α *illius accusativi casus, faciens* γαίωνα *trisyllabum, expressum agnominationis indicium dat. Et ita quidem non pure & aperte usus est poeta parechesi, id est agnominatione, in voce* Αἰγαίων: *sed deinde agnominatione altera utitur, dicens,* Αἰγαίων' ἔδδεισαν μάκαρες θεοί, οὐδέ τ' ἔδησαν. *Hoc autem valde novi & mutati cujusdam modi est: ideoque tales parecheses ubique raræ sunt. Majori enim ex parte parecheses (id est, dictiones assimiliter sonantes) differunt non solum significatione, sed etiam pronuntiatione, ut Odyss. ω. v. 464. 465.* Εὐπείθει πείθοντο. *item Iliad. ζ. v. 201.* καππεδίον τὸ ἀλήϊον οἶος ἀλᾶτο, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων. *Verum rarum est & moderatum, agnominationes esse ejusdem soni usquequaque (id est,*

in

in omnibus syllabis) apud Poetam, cujusmodi est Iliad. δ. v. 22. & θ. v. 260. χόλ☉ δὲ μὲν ἄγει☉ ᾖρει. Ηρῃ δ' ἐκ ἔχαδε ςῆθ☉ χόλον. *Aliquid etiam tale paulo ante dictum est Iliad. α. v. 274.* Ἀλλὰ πίθεσθε ἢ ὔμμες· ἐπεὶ πείθεσθαι ἄμεινον. *Etenim* τὸ πίθεσθε *secundi aoristi medii imperativi, pluralis, &* τὸ πείθεσθαι *infiniti, in diversa scriptura eundem sonum habent. Item in sequentibus ponit rectum nominis* Ηρας *per duo* η η, *& vocativum vocis* Ιριδ☉ *per totidem* ι ι, *altera alteris proxima, per talem parechesin, omnino quidem idem sonantem, sed dissimili sententia & scriptura. Dicit enim Iliad.* σ. *v.* 182. Ιρι θεὰ, τίς γάρ σε προέεκε; Ηρη με προέηκε. *Illud quoque est hujus generis,* Οὐκ ἐφθήση κενὸς ἐναντίον μȣ, ἀλλ' ἄλλον τρόπον καινός. *Quia hic* κενὸς *&* καινὸς *sunt eadem, sono per omnia simili, præterquam quod prius scribitur per* ε, *posterius vero scripturam assequutum est per diphthongum. Est quoque illud simile apud Theocritum Idyll.* ζ. Ορη φίλε ὃ μελύδριον ὥρη ἔξε πόνησα, *id est,* ὁρη τὸ μελύδριον ὃ καθ' ὥραν ἐπονησάμην. *Illud quoque, proverbii speciem præbens.* ζεῖ χύτρα, ζῇ φιλία, *id est, Fervet olla: vivit amicitia. Atque hoc genus parechesis eundem plane sonum habet, ac differt sola scriptura: quod contrario modo se habet atque rhetorica parechesis, quæ iisdem literis scripta, differt pronuntiatione.*

Est præterea aliud peregrinum parechesis genus, quo Poeta etiam utitur: hujusque idonea exempla in scholiis super Odysseam apponuntur. Est autem hujusmodi, quum aliquis in dissimili scriptura

vocalium parechesi utitur, non secus atque in superioribus, sed similitudinem soni quodammodo etiam immutat: qua ratione hoc opponitur illi sono prorsus simili qui ipsum præcessit. Quale est, Σκύλλη κοίλης ἐκ νηός. *&,* Επειὸς ἐποίησεν σὺν Αθήνῃ. *&,* φίλησε δὲ φῦλον ἀοιδῶν. *& hoc Arriani,* φῦσαι Φινέα. *& istud Hesiodi,* Φυλέα φίλον μακάρεσσι θεοῖσι. *Euripides,* ἐλελίζει αἴλινον, *& alia quæcunque sunt similia. Videntur autem hujusmodi non affectata esse, sed, ut res oblata est, per parechesin efferri, sicut etiam in Odyssea dictum est.*

Est aliud etiam subtile genus parechesis, quod fit literarum transpositione: cujusmodi quid expressit, qui dixit, orationis νᾶμα *(id est fluxum) videri manna auditoribus. Nam* νᾶμα *progressum tanquam refluxione quadam in manna velut mutato cursu fluxit. Hujusmodi etiam est hoc,* Οὐ λίθῳ βαλὼν, ἀλλὰ τῇ χειρὶ λαβών. *Et* λέπας *ac* πέλας *apud Lycophronem. Ejusdem sunt etiam semina apud Poetam, qui, quum dixisset in Odyssea,* ἠμείψατο μύθῳ, *subjecit,* θυμὸν ὄρινας: *quasi* μῦθος *&* θυμὸς *ex iisdem literis constarent. Idem quoque* μῦθος *apparet in hoc* θυμοδακὴς, *id est, mordens animum. Item in illo Iliad. α. ver. 24.* Οὐκ ἤνδανε θυμῷ, κρατερὸν δ' ἐπὶ μῦθον ἔτελλεν. *Sic, quum nonnulli studiose elaborassent in una dictione, & eam varie inflexissent, alii manere ipsam in loco sinentes, aliter luserunt quæ voluerunt. Comœdia quidem certe fecit ejusmodi dithyrambica, cogens in una dictione scripturas varias intelligere: quale est quum dixit*

dixit Arist. in Pluto, ὁ Ζεὺς λήροις τὲς νικῶντας ἀναδῶν. *nam* λήροις *dicitur, quasi quum victores in Olympicis certaminibus futili & vano plausu deliniuntur. Vult autem dicere etiam quod* λειρίοις, *videlicet* ἄνθεσι, (*liliaceis floribus*) *victores coronat. Idem facit Comicus in Equit. & quum* κηρύλε *animalis mentionem faciens, quod per* η *scribitur, dicteria jacit in quendam tonsorem, illum volens intelligi* κηρύλον, *tanquam à* κείρω (*id est tondeo*) κερεύω, *quod per diphthongum scribitur. Est etiam illud simile*, Ἐστεφάνιξα κἀδωρησάμlω. *videtur enim dicere, Dono excepi: obiter autem subindicat hoc dictum esse Dorice, quod* ἐστεφάνιξα *sit ex dialecto Dorica. Sed hæc Comica ludicra sunt per quandam homonymiam: (id est nominis communitatem) nec tamen sunt parechefes, nam parechesis non comprehenditur una sola dictione, sed minimum duabus. Denique consideratio dictarum parecheseωn est hujusmodi. Parechesis aut differentiam quandam habet in dictionum pronuntiatione, sed similitudinem in scriptura, eamque duplicem: (aut enim recte propositis dictionibus quæ parechesin faciunt, aut inverse. Recte quidem in hoc*, Εὐπείθει πείθοντο, *& similibus, quod quidem certe parechesis genus omnium est præcipuum maxime. Inverse autem, qualia sunt*, μῦθος, θυμὸς, *&* βαλὼν, λαβὼν, *& similia) vel vice versa, similitudinem habet in pronuntiatione dictionum, sed differentiam in scriptura vocalium: quale est illud*, ἔδδεισαν ἠδέ τ' ἔδησαν. *Sæpe autem utrumque habet, nempe differentiam &*

vocis & scripturæ: ut illud, Φυλέα φίλον μακάρεσσι. Εἴδωλον δ' ἑτέρωθεν ἑταίρου πόλλ' ἀγόρευε. *Item,* ἥλω γὰρ ἧλος *(id est, deprehensus est clavus) juxta proverbium V. Polit. Aristotelis scriptum: quod ignorantes aliter scribunt, ut enim* πάσσαλος πασσάλῳ, *(id est, paxillus paxillo) extruditur, sic ipsi* ἧλος ἥλῳ *(id est, clavus clavo) dicunt,* quum putarent ἥλω casum esse dandi ab ἧλος, ac nescirent ab aoristo secundo, ἥλων, ἥλως, ἥλω, verbi ἁλίσκομαι (id est capior) deflecti: unde locus Aristotelis videtur aut castigandus, aut aliunde atque ex hoc philosopho petendus.

De hac autem nostra interpretatione superiorum scholiorum, velimus, honorate ave, ita sentias, ut de re maximi laboris & industriæ, quæ non solum nobis, sed etiam aliis, multo quidem quam nos sumus, doctioribus, difficillima videtur, propter testimonia poetarum, oratorum, historicorum & philosophorum huc citata, quæ, unde essent deprompta, nulla habuerunt indicia. Itaque diu nobis fuit de locis illorum quasi divinandum. Huc etiam accedit, quod major habenda sit ratio literarum & verborum quam rerum in hac disputatione, solum instituta ad earum & syllabarum sonos recte distinguendos atque pronuntiandos. Sed enim hæc scholia, quia propugnatores & defensores vitiosæ pronuntiationis firmissima sibi propugnacula & præsidia putant in illis collocata, eo vehementius a nobis oppugnanda judi-

judicavimus, ut ipſis tum appoſitione machinarum, tum arcta teſtitudine tandem ſubrutis, talis cauſa omnibus plane nudetur defenſoribus. Eamobrem, ubi ardentibus animis nos cepimus conſilium examinandi ſingula horum ſcholiorum pondera, non tam profecto decertandi quam veri inveſtigandi ſtudio, minimum videlicet momenti ac munitionis, vi & ratione ſingulorum diligenter explorata, in illis eſſe poſitum animadvertimus ad infirmationem veteris pronuntiationis, quam nunc cum aliis in antiquæ formæ dignitatem reſtituere paramus: unde ſibi optime conſulerent præſidiarii milites, ſi arcem vitioſæ pronuntiationis propugnatione vacuam relinquerent. Sed quis non ſcholiaſtem (quamvis facile omnium grammaticorum Græcorum princeps habeatur & ſit) unius *παρηχήσεως* nomine omnes propemodum tropos & figuras orationis hic perturbaſſe & confudiſſe judicaret? *εἴγε μὴ πάνυ σφόδρα κἀκεῖνος δοκεῖ ἄπειρος τοῦ τὰς λέξεις καὶ τοὺς λόγους ἐκτρέπειν τῆς συνηθείας.* Id eſt, *niſi ille prorſus omnino immutandæ dictionis & a communi conſuetudine orationis removendæ videatur imperitus.* Idem profecto Quinctilianus feciſſe lib. IX. videtur in vi ac natura Paronomaſiæ explicanda: quod *σχῆμα* Latini fecerunt *ἀντίστροφον τῇ παρηχήσει*, & agnominationem interpretati ſunt. Confuſionem autem Fabii facile quidem perſpicias vel ex uno & altero illius exemplo: cujus modi hæc ſunt, *mulier*

rerum omnium imperita, *in omnibus rebus infelix.* Hic *in rerum omnium*, atque *in omnibus rebus* nihil eſt diverſæ ſententiæ, ideoque nec ibi vis paronomaſiæ ſtatui poteſt, quæ præter aliquam ſoni ſimilitudinem, differentiam quoque notionis ſeparatæ juxta requirit: ſicut poſt hujus loci examen ex Hermogene docebimus. Atqui voces iſtæ, *rerum*, *rebus*, *omnium*, *omnibus*, quod ab eadem origine varie cadant, Polyptoton efficiunt, ut hic ipſe rhetor ibidem paulo ante definierat: qui in hoc etiam putat Paronomaſiam eſſe, *quæ lex privatis hominibus eſſe lex non videbatur*: ſed quia hic vox eſt eadem rei ejuſdem, nihilque immutata, non facit hanc figuram, atque contra nos potius illic exiſtimamus Epanorthoſin eſſe, ſententiæ figuram.

Sunt quoque illic talis perturbationis alia multa exempla, quæ prudentes præterimus. Præterimus etiam variam effingendæ hujus figuræ rationem, à Rutilio Lupo traditam, quæ fit additione, detractione, mutatione, porrectione, contractione, & ſimilibus literæ vel ſyllabæ affectionibus: omiſſis præterea talium modorum exemplis, ubi σχήματα λέξεων non minus confuſa ſunt in vi Paronomaſiæ explicanda, quam apud Quintilianum, & hic apud Euſtathium: in quem diligentius diſcendi ſtudio nunc inquirere properamus, rudiorem eloquutionis rhetoricæ gratia. Quod ut commodius fiat, ejus doctrinam, quantum judicio rationis prudenter ſubdu-

cendæ

cendæ per ætatem ingeniique captum valemus, arbitramur tributam in quatuor genera Parecheſeos & Epilogum. Illa autem ſunt, ζαυτόφωνον, ξενίζον, πανῦργον, κωμικόν: quorum quum ipſe tantum probet primum, fruſtra videtur ejus oratio tanta in cæteris conſumta. Nos quidem certe agnoſcimus, ex conſideratione hujus primi exempli, quod ſcholiaſten vehementer exercet, duplicem dictionis figuram: ac primum initio primæ ſententiæ, ὃν Βριάρεων καλέυσι θεοὶ, & in ejuſdem fine, Αἰγαίων, auditur quædam ſoni ſimilitudo: dummodo poſtrema vox mutilata διὰ τῦ ἀποςρόφυ non expleatur: quam rhetores ἐπανάληψιν nominant: (qualis eſt illa 4. Ver. *Saluti potius conſulam quam voluntati.*) Deinde ſequentes duæ ſententiæ ſimiliter deſinunt διὰ της ἐπιςροφῆς in ἀμείνων & in γαίων: vel Ariſtotele judice, qui ſententias hoc ſimiliter cadendi genere clauſas appellat, III. Rhet. παρομοίωσιν ἐπὶ τελευτῇ. Cujus eſt illic hoc exemplum, ὐκ ῴήθησαν αὐτὸν παιδίον τέlοκέναι, ἀλλ' αὐτον αἴτιον γεγονέναι, Id eſt, *non exiſtimarunt hunc puerum peperiſſe, ſed potius ipſum authorem fuiſſe.* Hæc ſoni ſimilitudo in fine ſententiæ, ab Hermogene & ab aliis Græcis, & poſtea à Latinis, ut à Quintiliano, ὁμοιοτέλευτος, & ab aliis ἐπιςροφὴ vocatur. Nihil hic pugnat cum noſtro inſtit ito, quin ſit omnino liberum ab expugnatione. In his verſibus excutiendis & explicandis animadvertimus & notavimus, quod nobis

nobis præceptionem illam Grammaticæ Græcæ dubiam fecit, quæ jubet duas dictiones apostropho affectas instar unius proferendas. Quod si hic fieret, mora & interspiratio clausulæ, colo interpunctæ, tolleretur. Nos vero, ut cum bona venia grammaticorum dixerimus, ausimus in hujusmodi exemplo (fortassis etiam in dissimilibus) integrum Αἰγαίωνα proferre, facilioris intelligentiæ gratia. Videris tamen, ac cæteri benevoli lectores & auditores, quid de eo statuere debeatis, & nos & alios candide admoneatis. Alterum quod sequitur ibidem,

Τὸν καὶ ὑπέδδεισαν μάκαρες θεοὶ, οὐδέ τ' ἔδησαν.

(Id est, *Hunc timuerunt beati dii, neque ligaverunt.*)

similiter sonat in medio unius membri, & in alterius clausula. Quale est illud Ciceronis Ver. 3. *Habuit honorem ut proditori, non ut amico, fidem,* quæ sane ratio sonandi ἐπάνοδος dicenda est. Neque hic expugnatur nostra ratio: nisi quis forte putet penultimas utriusque verbi syllabas ει & η ἀλλήλοις παρηχεῖσθαι. Qua certe tam sinistra opinione Pierius, ac plerique omnes grammatici doctiores, illum, si velit, levabunt. Siquidem omnes hi docent utrumque sibi aliquantum assonare: quippe quod η conflatum sit è geminatione τοῦ ι ψιλοῦ, ut ante dictum est: sed illud duplex,

duplex, productius, hoc ſimplex, contractius auditur, ut in penultima Latine accinenda *amavere*: quæ ſoni ſimilitudo non hic perit acceſſione ȣ ἰῶτα, nec in aliis quidem diphthongis, utram libet habeant ſibi annexam ſubjunctivam: quod generatim dictum ſit. Idem videtur Euſtathius nobiſcum hic recognoſcere, dum confitetur τȣ̃το τὸ σχῆμα καινότροπον καὶ σπάνιον εἶναι, Id eſt, *raram eſſe & innovatam hanc figuram.* Eam ob rem cogitur deſcripte & electe terminare veram agnominationem non ſolum ſignificatu ſed etiam pronuntiatione, idque aliis exemplis declarat, ut, Εὐπείθει πείθοντο, Eupithi parebant: item,

> Ἤτοι ὃ καππεδίον τὸ ἀλήιον οἶος ἀλᾶτο,
> Ὃν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων.
> *Hic quidem per campum Aleium, (tanquam diceres ariditate impaſcuum) ſolus errabat,*
> *Suum animum exedens, viam tritam hominum fugiens.*

Quos verſus Cicero maluit πληθυντικῶς interpretari,

> *Qui miſer in campis mœrens errabat Aleis.*
> *Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans.*

Hermogenes aſſumpſit etiam hoc exemplum, quod exiſtimaret illud maxime idoneum ad vim paronomaſiæ indicandam: quum dicit μάλιστα

λιστα ἐνεργῶς παρηχεῖν, id est, efficacissime assonare. Credimus id contigisse è concursu duorum schematum, paronomasiæ & epistrophes. Nam præter has voces ἀλήιον, ἀλᾶτο, ἀλεείνων, in primis syllabis similiter assonantes, exaudiuntur præterea utriusque incisi clausulæ in secundo versu similiter assonantes. Atque ut tibi major fiat orationis nostræ fides, audi scholiasten in hoc distichon, τὸ δὲ ἀλεείνων καὶ τὸ ἀλήιον καὶ τὸ ἀλᾶτο, διὰ τὴν τοῦ ἤχου ἐγγύτητα, παρήχησιν φασὶν οἱ παλαιοί. αἱ γὰρ λέξεις ἀπὸ τοῦ α καὶ λ ἀρχόμεναι ὁμοιότητα ἤχου προβάλλουσιν. ὅρα καὶ παρίσωσιν τοῦ κατέδων καὶ ἀλεείνων· ἐπίτηδες κἀνταῦθα τοῦ ποιητοῦ ἱλαρύνοντος διὰ παρηχήσεως τὴν ἱστορικὴν σκυθρωπότητα. Id est, *hanc trium vocum consequutionem veteres dicunt propter soni propinquitatem Parecehesin. dictiones enim ab α & λ initium ducentes designant similitudinem soni. Vide etiam æqualem membrorum in versu secundo numerum & sonum: quum hic poëta consulto per similitudinem soni exhilararit tristem historiæ severitatem.* Quare status nostræ disputationis adhuc manet integer: imo vero confirmatur.

Pergamus ad reliqua: quæ vero sequuntur exempla, sunt τῆς παρηχήσεως πάντη ταυτοφώνου,

Ητοι Αθηναίη ἀκέων ἦν, οὐδέ τι εἶπε,
Σκυζομένη Διὶ πατρί. χόλος δέ μιν ἄγριος ᾕρει.
Ηρῃ δ' οὐκ ἔχαδε στῆθος χόλον.

Nimirum Pallas ne hiscere quidem poterat,
nec quicquam dicebat,

Ira-

Irata Jovi patri: ira gravis ipſam inceſſebat.
Junonis autem non vincebat pectus iram.

Hic χόλος initio prioris membri & χόλον in fine poſterioris, voces ſunt ejuſdem rei, paululum caſibus immutatæ in ultimis ſyllabis: unde fit Polyptoton. ἥρει autem in ultima ſyllaba, propter affinitatem τοῦ ε καὶ η poteſt leviter aſſonare poſtremæ τοῦ ἥρη, per ἀναδίπλωσιν. quam ſoni ſimilitudinem hic ſcholiaſtes καινὴν ὥραν vocat: ubi etiam hoc addit, παρηχεῖται γάρ πως τὸ ῥῆμα τὸ ἥρει πρὸς ἥρη κύριον ὄνομα. Id eſt, *Aſſonat enim quodammodo verbum nomini proprio.* Item in hoc,

Ἀλλὰ πίθεσθε καὶ ὔμμες· ἐπεὶ πείθεσθαι ἄμεινον.

Verum parete etiam vos, quum parere melius ſit,

hic (inquimus) dictio ejuſdem ſenſus repetitur, & ab eadem origine varie delabitur, ſi legitima illius fuerit pronuntiatio, ideoque Polyptoton illic eſt ſtatuendum. Ubi præterea ſi qua eſt forte ſoni ſimilitudo, ea naſcitur ex ipſius vicinitate, qui percipitur aliquantulus è literis ε ει legitime pronuntiatis. Dicere autem, diphthongum monophthongo pariter æqualiterque ſimilitudine ſoni reſpondere, ſane hominis eſt imperite docti & literati. Neque audiendus videtur hic Nigidius, qui

qui ſcriptum reliquit, non tam accuſandos eſſe Græcos quod τὸ ȣ ex ο & υ coagmentarint, quam quod το ει ex ε & ι. Nam illud quidem, inopia characteris ad talem ſonum referendum apti, hoc vero nulla neceſſitate coacti excogitarunt. unde falſo putantur diphthongus ει & ſimplex ι nullo diſcrimine ſoni pronuntianda, ut ex antecedentibus patet. Ac præterea ex imminuta utriuſque diphthongi οι & ει forma debet etiam, ut quantitas, ſic ſonus imminui: qualis utriuſque imminutio reperitur in σολικισμὸς & χιεϱ́γεϱ. & certe priorem οι quidam Normandi recte exprimunt ad rationem conjunctæ utriuſque vocalis, quum τὸ *moi* pronuntiant ad morem Hebræorum גוי *goi* μονοσυλλάβως, gens. Quod ſi tribueretur ſuus cuique literæ ſonus, ſcilicet & docentes atque diſcentes maximo levarentur onere, quod utrique coguntur ſubinde in diſtinguendis ac percipiendis modis, temporibus, numeris, caſibus, ſuſtinere. Qua commoditate deſtitutus ſcholiaſtes, ſe vehementer hic excruciat in diſtinguendis harum dictionum proprietatibus & notandis.

Sed longe gravior percipitur incommoditas è vitioſa pronuntiatione, quum ſententia hoc vitio ſic obſcuratur, ut difficilius ænigma Herculano nodo videatur: quale cernitur in exemplo ſequenti. Verba tamen poëtæ Iliad. ζ verſ. 182. rectum habent, non caſum vocandi,

Ἶρι θεὰ τίς γάρ σε θεῶν ἐμοὶ ἄγγελον ἧκε;
Τὸν δ' αὖτε προσέειπε ποδήνεμος ὠκέα Ἶρις,
Ἥρη με προέηκε Διὸς κυδρὴ παράκοιτις.

O Iri dea, quis te deorum ad me nuntiam misit?
Huic (Achilli) respondit Iris, pedum celeritate valens,
Juno me præmisit illustris uxor Jovis.

Hic Eustathius graviter arietat in nostram sententiam, & quibusdam funditus eam labefacere videtur. ait enim Homerum ponere bina ηη, & totidem ιι, alteris altera proxime respondentia, per Parechesin idem omnino sonantem. Nos hic vota facimus, ô Eustathi, ut te ab inferis excites, quo tecum coram sic agere possimus. Quanquam quid te provocemus, qui hoc genus Parecheseos jam improbaris memor, sciens, & prudens, non obliviosus, non imprudens? secus aliqua venia dignus esses. Sic enim in hos versus annotasti, ἐν τούτοις δὲ ἐπαναφορικῶς κεῖται. καὶ ἡ ἐν τῇ α ῥαψωδίᾳ παρασημειωθεῖσα ψευδοπαρήχησις, τὸ, Ἶρι θεὰ τίς γάρ σε ἧκε, καὶ τὸ, Ἥρη μὲ προέηκε Διὸς κυδρὴ παράκοιτις. Id est, *In his autem falsa soni assimilitudo, quæ lib. α. Iliad. annotata fuit, per anaphoram repetitur.* Eodem fere argumento repudiat illam Parechesin v. 252. Odyss. α. Τὸν δ' ἐπαλαστήσασα προσηύδα Παλλὰς Ἀθήνη, οὐκ ἔστι παρήχησις διὰ τὴν ταυτότητα τοῦ ἤχου τοῦ ἐπαλαστήσασα καὶ Παλλάς· ἀλλ' ἁπλῶς οὕτως ἐκ τοῦ

παρατυχόντος αἱ λέξεις συνέπεσον. Id eſt, *Hæ duæ voces non ſimiliter aſſonant, ſed ſimpliciter ac per ſe ita fortuito concurrerunt.* Et paulo poſt reddit rationem, quod Homerus in re ſeria non ſoleat quicquam tale ludere. Quærimus tamen an iſta tua verba indicent propinquitatem binorum η η inter ſe, eandemque totidem ι ι, inter ſe, ut duplex ſit comparatio. Id ſi ita eſſet, unum η alteri ſimiliter aſſonaret: item unum ι ſonum alteri ſimilem referret. Quod ſi forte tibi mens eſſet alia (qualem nos tibi eſſe non ſuſpicamur) graviter doleremus, ſi geminum η η gemino ι ι ſimilitudine ſoni reſponderet, præceptoribus tuis à te turpiſſimam inſcitiæ notam inuri, qui te puerum vario & multiplici charactere coegerint unum eundemque ſonum reddere, quem tu uno ac ſimplici facile poteras referre. Verum per me ſimili ſono ſibi & tibi reſpondeant, quando ita vis. Non eſt tamen iſta ſoni ſimilitudo à natura utrique tributa: ideoque nobis minime probanda: nec monſtrum conſuetudinis (ſi ea ſola niteris) vim naturæ debet inferre. Hic te iterum interrogamus utrum η ſuo ſono addixit ipſum ι, an contra. Si η hic dominatur, procul dubio εε geminum auditur: (cujus ſimplicis appellatio epſilon debet te ſatis monere de vero hujus geminati ſono) ſi ι, quidam pipitus. Tu fortaſſe aliter annotaſſes, ſi pro *Iri* poëta ſcripſiſſet *Iſi*, quæ fuit omnis ſcientiæ veritatisque dea, & filia Inachi, vel Mercurii, ſcriptura mutata

è

è canina litera in anſerinam. concurſus enim geminæ caninæ in abſonum errorem te videtur impuliſſe. Itaque expergiſcere divine Plato, qui in tuo Cratylo dixeris, ὀ γὰρ η ἐγχρώμεθα, ἀλλὰ ε, τὸ παλαιόν. Id eſt, *Non utebamur* η, *ſed* ε, *olim.* Non hic tibi creditur, & tanquam dixeris, non utebamur olim η, ſed ι, intelligitur, & pro illo affingi & proferri hoc videmus. Expergiſcere tu quoque ô Deci magne Auſoni Burdegalenſis, qui cecineris poſt Platonem:

> Ἦτα *quod Æolidum, quodque e valet, hoc Latiar e*
> *Præſto quod e Latium ſemper breve, Dorica vox* ε.

Excitate vos (inquimus) ac voce Stentorea & genuina nobis pronuntiate Ἶρα & Ἥρα, ut, quis ſit utriuſque naturalis ſonus, noſtris auribus percipiatur, errorque tam abſonus evellatur. Tolerabilius quidem talis ruſticitas & peregrinitas reſonaret in illius ore, qui ab eodem divino philoſopho ibidem notatur, ὅτι τῷ α ξενικῶς ἀντὶ τοῦ η ἐχρήσατο, *quod peregrina dialecto uſus eſſet*, τῷ α *vice* τοῦ η, in Ἀθηνᾶ pro ἡ θεονόη proferendo. Quod ſi feciſſent noſtri pronuntiatores, haberent Dores quibus ſuam κακοφωνίαν tuerentur: nunc autem illis nuſquam patet aditus, quo preſſi confugiant. Unde videlicet nulla prorſus ſoni ſimilitudo in vocalibus harum vocum Ἥρη & Ἶρα ſtatuenda

 erit:

erit: quod præterea videatur & figura & ſoni exilitate tam longe remotum ab η, quam quod maxime.

Quæ te Euſtathi ſæcula tam corrupta tulerunt? ὡς μὲν τοὺς κόρακας μινυρίζειν, ὀρταλίχους ἢ κρώζειν καθ' ἡλικίαν σου, *ut tua ætate corvi pipierint, implumes autem pulli crocitarint.* Utcunque illa fuerit, improba quidem extitit ad corruptelam hujus linguæ magiſtra, fœcundaque culpæ turpiter ac barbare pronuntiandi. Quanquam ferunt Euſtathium fuiſſe Conſtantinopolitanum, Archiepiſcopum Theſſalonicæ, & ſub Andronico imperatore vixiſſe, Alexandro tertio & Lucio item III. Romanorum pontificibus, anno à Chriſto nato M. C. LXXX.

Eundem certe ſonum in clauſula verſus,

Τὸν δ' αὖτε προσέειπε ποδήνεμος ὠκέα Ιρις,

& initio, Ηρη μὲ προέηκε Διὸς κυδρὴ παράκοιτις, audiremus per anadiploſin, ſi vocales utriusque dictionis æqualiter ſonarent. In principiis autem, Ιρι θεὰ &c. & in hoc, Ηρη μὲ προέηκε &c. ſimilis audiretur ſonus per anaphoram, eadem conditione. In hoc autem exemplo κενὸς & καινός: cujus quidem prius membrum videtur ſumptum è XXIII. cap. verſu 15. & XXX. cap. verſu 20. Exodi: ſed poſterius, ἀλλ' ἄλλον τρόπον καινὸς, aliunde eſt depromptum, vel à ſcholiaſte additum. (litera autem Hebraica complectitur hanc ſen-

ſententiam prioris, *neque videbuntur facies meæ inanes*, Id eſt, filii Iſraëlis non apparebunt coram Arca ſine muneribus ad teſtificandum grati ſui erga me animi affectum) in hoc, inquimus, exemplo ſcholiaſtes non videtur ſecum ſatis conſentire. Nam primum affirmat, illa duo verba παρηχεῖσθαι ἀλλήλοις ἀπαραλλάκτως, id eſt, *ſimiliter inter ſe & conſtanter ſonare*. Deinde addit exceptionem diverſæ ſcripturæ per quandam correctionem. Unde perſpicuum eſt, illum voluiſſe poſtremas tantum utriuſque vocis ſyllabas ſimiliter aſſonare. Nos autem hic potius agnoſcimus ἐπάνοδον & regreſſum ad eundem in medio ac fine ſententiæ ſonum. quare jotaciſmus iſte in Ιρις, ut vox abſona extra modum & abſurda, extenuandus eſt maxime: jucunditas autem τοῦ η in Ηρη & claritas ingeminanda. Sic ſtabit noſtra ſententia, vi & impreſſione arietis minime everſa. Præterea in exemplo ſequenti ex εἰδυλλ. ζ. Theocriti petito, maleque recitato. nam illic ſic legitur,

Ἀλλ' ἄγε βωκολικᾶς ταχέως ἀρχώμεθ' ἀοιδᾶς,
Σιμιχίδα. κἠγὼ μὲν, ὅρη φίλος εἴτοι ἀρέσκει
Τοῦθ' ὅτι πρᾶν ἐν ὄρει τὸ μελύδριον ἐξεπόνασα.

Verum age o Simichida cito incipiamus bucolicum carmen.
Ego quidem, vide obſecro an hæc cantiuncula tibi placeat,
Quam paulo ante ſum in monte meditatus.

In hoc (inquimus) exemplo, quod hic ſcriptum ſcholiaſtes apponit, ὅρη φίλε ὁ μελύδριον ὥρῃ ἐξεπόνασα, *Vide, amice, quam cantiunculam intra horam eloboraverim,* ſimilitudo ſoni tolerabilior eſt in ο & ω: illo ſimplici & acutiori: hoc, duplici & graviori: ut modo de ε & η dictum eſt. Veruntamen, ut hic legitur, malumus principium & medium ſententiæ διὰ τῆς ἐπανόδου ſimiliter aſſonare, atque ὥρῃ in dandi caſu legere. In hoc item, ζεῖ χύτρα, ζῇ φιλία, id eſt, *fervet olla, vivit amicitia,* exaudiri quoque poſſet perexigua ſoni ſimilitudo, ſicut antea monuimus in ἔδδεισαν & ἔδησαν.

Fuerunt adhuc exempla τῆς παρηχήσεως πάντη ταυτοφώνου à nobis examinata: genus ejuſdem ſubit ſecundum, cujus impreſſio remiſſior erit, ariete oppugnantium jam valde retuſo. At vero quum author perexiguam in eo ponat operam, ὅτι τὴν ταυτοφωνίαν πῶς ἀλλοιοῖ, id eſt, *quod immutet quodammodo ſoni ſimilitudinem,* nobis quoque ſatis erit hic ſubſcribere dictiones, quæ videntur aliis aliæ aliquantulum aſſonare, σκύλλη, κοίλη, ἐπειὸς, ἐποίησε, φίλησε, φῦλον, φῦναι, φινέα, φυλέα, φίλον ἐλελίζει, αἴλινον. in primis harum dictionibus υ & οι non ſunt ταυτόφωνα, neque ει & οι in ſecundis, neque ι & υ in tertiis, neque in quartis, neque in quintis, nec denique in ultimis. Quare hoc genus repudiandum, vel autoris judicio & cenſura. Hæc de genere peregrino παρηχήσεως. Tertium deinceps erit πανοῦργον: quod

quod etsi nomine suo præ se fert quandam ingenii callidi & acuti fiduciam, minime tamen poterit fundamenta status nostri subruere. Plus enim habet ostentationis, quam confirmationis, aut utilitatis. Eamque ob rem suspicamur potius esse inventum hominis curiose & jucunde ludentis cum pueris, & parum de studiis ipsorum solliciti, quam de illis cupientis bene mereri. Definitur tamen ex trajectione literarum: de quo ipsemet scholiastes in versum 55. Iliad. α. scribit, ὅτι ἡ Ἥρα ὁ ἀὴρ δηλοῦται, φασὶ, καὶ ἐκ τοῦ ἀναγραμματισμοῦ. ἐξ ὧν γὰρ καὶ ἡ Ἥρα γραμμάτων, ἐκ τούτων λαλεῖται καὶ ὁ ἀήρ. τοῦτο δὲ ὁμοιότητα τῶν ταυτογραφουμένων δηλοῖ. τοιαῦτά τινα καὶ τὸ, χόλος, ὄχλος· καὶ τὸ ἐρατὴ, ἀρετή. καὶ τὸ φλύαρος, φλαῦρος, παρ' Ἀττικοῖς καὶ ἐν τούτοις γὰρ συγγένειά τις, ὥσπερ ἐν γράμμασιν, οὕτω καὶ ἐν νοήμασι. Id est, *Quod autem manifesto* ἀὴρ *arguatur ex* ἥρα, *ajunt perspicuum esse è transpositione literarum. Nam quibus* ἥρα *literis enuntiatur, iisdem etiam* ἀήρ. *Hoc vero demonstrat similitudinem iisdem literis: Cujusmodi sunt quædam*, ut χόλος, ὄχλος· ἀρετὴ, ἐρατή· φλύαρος, φλαῦρος. id est, *ira, turba, virtus, amabilis, nugator, vilis apud Atticos.* Quales etiam hodie anagrammatismi, atque adeo tanquam diceres anasyllabismi, dictionum Gallicarum passim in Gallia exercentur, ad laudationem juxta adhibiti, atque ad vituperationem efficti. Authoris autem exempla sunt, νᾶμα, μάννα· βαλὼν, λαβών· λεπὰς, πέλας. μῦθος, θυμός. Hujusmodi etiam sunt, ἀρ-

 γὸς,

γὸς, *ἀγρὶς*, *albus*, *ager.* Sed in omnibus quidem certe linguis multa verba reperiuntur hac literarum mutua inversione, variaque literarum & syllabarum transpositione alia ex aliis conflari: ut in Latinis, Roma, mora, amor, Maro: ut etiam in Hebraicis רקע *Rakah expandit.* קרע *Karah diripit.* ערק *Harak fugit.* Verum, ne ipsi curiosi videamur in aliorum curiositate notanda, missum hoc faciamus, atque eadem opera sequentem parechesin comicam prætereamus: quod ut illud genus est inutiliter affectatum, sic hoc plane ab omni figura videtur alienum. Quod ut cognoscatur ita esse, atque è sensu scholiastæ depromptum, subjiciantur ipsius exempla, *ὁ Ζεῦς λήροις τοὺς νικοῦντας ἀναδῶν στεφανοῖ*, *Juppiter rebus frivolis victores redimiens coronat.* Hic τὸ *λήροις* explicatur *μεταφορικῶς* pro *λειρίοις ἄνθεσι*, *floribus liliaceis.* Sic *κηρύλου* nomine, quæ est avis *ἀλκύων*, intelligitur ridiculus quidam tonsor, per metaphoram. Postremo *ἐστεφάνιξα κἀδωρησάμην*, id est, *coronavi & dono excepi.* In his quidem exemplis singulares sunt dictiones modificatæ: in quibus nullus plane relinquitur parechesi locus: quippe quæ suo nomine duo minimum vocabula sibi assonantia requirit, sicut omnia comparatorum genera.

Multus quidem certe sermo adhuc consumptus est in his quatuor parecheseos generibus explicandis: pro quibus sequens epilogus satis fuisse videretur. Sed quid agas? ita

Græci ſunt ἀμετροεπεῖς φύσει, id eſt, *naturæ immodice loquaces.* Quanquam autem hoc ſchematis genus aperta definitione prius non declaravit, ſed tantum κατά τινα ἐξήγησιν deſcripſit, hoc modo, αἱ παρηχήσεις, ἤγουν αἱ ταυτὸν ἠχοῦσαι λέξεις, *Parecheſes, id eſt, dictiones ſimiliter ſonantes:* eam tamen iterum perverſa methodo ad calcem orationis tribuit in rectam & inverſam. Tot ſcilicet partitionum particulæ ſatis nobis arguunt, parecheſin eſſe Euſtathio genus quoddam figurarum, non ſpeciem. Id autem oſtendunt exempla initiis, mediis, & clauſulis ſententiarum ſimiliter inter ſe ſonantia: quemadmodum antea docuimus. Nec minori eſt argumento noſtræ conjecturæ, quod ſcribit hic ſcholiaſtes per correctionem tamen Odyſſ. α.

—— —— οὐ νύ τ' Ὀδυσσεὺς
Ἀργείων παρὰ νηυσὶ χαρίζετο ἱερὰ ῥέζων
Τροίῃ ἐν εὐρείῃ; τί νύ οἱ τόσον ὠδύσαο Ζεῦ;

Annon Ulyſſes apud naves Argivorum grata
tibi offerebat ſacra
In lata Trojæ regione? cur tantopere ei ſuccenſes ô Juppiter?

Παρήχησίς ἐστι (φασὶν) ἢ μᾶλλον ἐτυμολογία τοῦ Ὀδυσσέως, ἐκ τοῦ ὀδύσσω ἐτυμολογουμένου· ὅτι φερωνύμως λέγεται Ὀδυσσεὺς, οἷα τοῦ Διὸς ὀδυσσομένου αὐτῷ. καὶ ἂν ὁ πάππος Αὐτόλυκος Ὀδυσσέα τοῦτο ὠνόμασε, διότι πολλοῖς ἐκείνῳ τῷ Αὐτολύκῳ ὀδύσσαντο. Id eſt,

Parechesis est, (*ajunt*) *ac potius Etymologia, tanquam Ulysses ab ὀδύσσω notaretur: quod proprie dicitur Ulysses, quasi Juppiter sit ipsi iratus: quanquam avus ipsius Autolycus sic Ulyssem nominavit, quia plerique ipsi Autolyco essent irati.* Recte parechesis exemplum repetit, Εὐπείθει πείθοντο, *Eupithi parebant*: eamque κυριωτάτην honorifice appellat. Recte quidem, sed multo rectius fecisset si μόνην simpliciter addidisset. i. maxime præcipuam & solam. Inversa vero parechesis jam ante subiit nostrum examen: iterantur tamen odiose illius exempla: quorum nos sumus his quatuor contenti, μῦθος, θυμός· λαβών, βαλών. Subdistribuitur tertio molestius parechesis in unam, è similitudine pronuntiationis, & in alteram, è dissimilitudine literarum constantem, ut ἔδδεισαν, & ἔδησαν: ubi demonstravimus antea non puram esse soni similitudinem, sed solum quandam illius vicinitatem. Annectit præterea quandam subdivisiunculam, quum voces pronuntiatione & scriptura à se disgregantur. quod tamen jam ante subnotatum fuerat: unde quis non effici videt, υ ψιλόν & η dissimiliter sonare? In hunc autem versum,

Εἴδωλον δ' ἑτέρωθεν ἑταίρου πόλλ' ἀγόρευε,

scholiastes hæc annotat, ὅτι παρήχησίν τινα ἔχει, ὡς καὶ ἐν ἄλλοις ἐδηλώθη, *Parechesin* (*id est agnominationem*) *quandam hoc versu contineri, alibi* (1. *Iliad.*) *explicatam.* Sed mox de his duabus paronomastis vocibus, ut de quibusdam

aliis,

aliis, dicetur. Præterea ex his, ἧλος ἥλῳ, πάσσαλος πασσάλῳ ἐκκρούεται, *Clavus clavo, Paxillus paxillo extruditur*, perſpicuum eſt, utrobique eandem vocem ejuſdem rei varie ab eadem origine cecidiſſe. Illic igitur Polyptoton collocetur.

Sed dicet hic fortaſſe aliquis, Euſtathius alibi videtur diſtinguere Paronomaſiam à Parecheſi, quas vos ſimiles facitis figuras. Nobis (præterquam quod plerique omnes viri eruditi nobiſcum hic faciunt) confirmat etiam hanc ſententiam hoc exemplum, Ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί, *Achivæ*, *non jam Achivi*, id eſt, Vos dicemini animos gerere muliebres, non viriles (quod loco proverbii poteſt uſurpari) non enim aliter ſonant in duabus primis ſyllabis hæ duæ voces inter ſe atque ἔδδεισαν & ἔδησαν in tribus. Huc accedit etiam quod Hermogenes & ipſemet Euſtathius ſuam Parecheſin ſimilibus illuſtrant exemplis, quibus & ſuam Paronomaſiam ipſi rhetores Latini. Non meminimus tamen hanc apud Hermogenem legiſſe: unde facile conjectamus, illam nomine παρηχήσεως ab eo comprehenſam, ut alias dictionis figuras.

Supereſt jam ut ex Hermogene diſcamus, quæ vera ſit τῆς παρηχήσεως ratio. παρήχησις δέ ἐστι κάλλος ὁμοίων ὀνομάτων, ἐν διαφόρῳ γνώσει ταυτὸν ἠχούντων, *Parecheſis eſt ornatus nominum ſimilium* (ſive dictionum generatim, ut ipſe declarat) *in diverſa notione idem ſonantium.* Quæ certe definitio quatuor illuſtratur exemplis:

plis: Primo quidem, è lib. VII. τῶν Ελληνικῶν Xenophontis: ubi tamen sic legitur, Πεισίαν οὖν τὸν Αργεῖον στρατηγοῦντα ἐν τῷ Αργει πείθει προκαταλαβεῖν. Id est, *Itaque* (Epaminondas) *Pisiæ Argivorum præfecto persuadet ut occupet* (Onium). Unde hic locus Hermogenis corrigendus videtur, nisi alibi possit reperiri. Altero vero exemplo, ex Odyss. ω. Εὐπείθει πείθοντο. Tertio ex Iliad. ζ. ἤτοι ὁ καππεδίον &c. ut superius: quæ duo exempla fuerunt etiam Eustathii supra. Quarto denique exemplo ex primo Thucydidis, τοῦτον δὲ διὰ μεγεθός τε τοῦ Ελους οὐκ ἐδύναντο ἑλεῖν καὶ ἅμα μαχιμώτατοι εἰσὶ τῶν Αἰγυπτίων οἱ Ελειοί. Id est, *Hunc* (Amyrtæum) *per munitionem urbis Heli non poterant capere: atque adeo, quod Helii bellicosissimi essent Ægyptiorum.* Ex his quatuor Hermogenis exemplis intelligimus vim hujus figuræ, quemadmodum dictiones sint in ea partim sibi leviter assonantes, perpetuo tamen diversa significantes: quæ propria est hujus figuræ forma, & per quam est id quod est, & ab aliis distinguitur figuris dictionum: sicut pleraque Eustathii exempla, non tam à nobis omnino repudiata, quam propriis figuris restituta. Unde conficere possumus è Fabio Quinliano, Paronomasiam, esse figuram quæ similitudine aliqua vocum vertit in se aures & excitat: quæcunque & quotquot syllabæ illas feriant hujusmodi soni similitudine. Istam quoque simplicis soni vicinitatem videtur assignificare conjunctio harum duarum vocum

πα-

παρηχήσεως & παρονομασίας, unde etiam voces aliæ videntur ad alias alludere. Id autem sigillatim notamus: quia sæpenumero singulares syllabæ singularibus tantum comperiuntur assonare, ut Græce in πείθουσι Πειθέαν, & Latine, *Juno Græcos juvat.* Ad extremum id etiam unum admonere operæ putamus, non vi sola vocalium (à quibus nos solis hic oppugnari videmur) omnia similiter sonanda oportere metiri ac æstimare, sed facultate etiam consonantium literarum: quæ quum in verbis occurrunt, & in sententiis diversis aliæ aliis respondent, modo similiter assonant, modo diducunt labia, modo eadem comprimunt: modo susurrant, modo linguam reflectunt in cælum palati: modo os contrahunt: modo clarius, obscurius, plenius atque remissius consonant: modo aliis atque aliis flatibus, sonis & ictibus afficiunt organa. Ex quorum percussionibus fragor quidam sonitus fertur ad aures, ut est cujusque vis & natura cum vocalibus conjuncta. Hæc igitur teneamus, statum actionis nostræ non posse tali Parechesi labefactari & convelli. Quod si quis forte velit efficere ex his dictionibus, ἔδδεισαν καὶ ἔδησαν, ex ἑτέρωθεν ἑταίρου, denique ex φυλέα καὶ φῦλον, similibusque aliis literis, ει & η, υψιλὸν & ι similiter sonare, perinde cæteris videatur ridicule dicere acsi quis affirmaret, *i* & *u*, item *e* & *i* eundem habere sonum in hac duplici paronomasia Ciceronis, *ut apertus in corripiendis pecuniis, sic in spe corrupendi judicii.* *Item,*

Item, non emissus ex urbe, sed in urbem immissus esse videatur. Cujus enim aures vel mediocriter eruditæ istuc sic ferre possent, quin ipse statim cogatur tanta infantia sustollere cachinnum? Itaque nec è Parechesi (cujus exempla partim ad Tropos, partim ad alias dictionis & sententiæ figuras pertinere visa sunt) veros & nativos literarum sonos percipi, neque nostras de earundem recta pronuntiatione rationes ab ea tolli posse, nedum infirmari, judicamus. Unde efficimus quod propositum est initio, cursum nostræ pronuntiationis à primariis philosophis & authoribus aliis repetitæ interpellatione scholiorum Eustathii non impediri, quin ille libere possit progredi. Itaque propugnatores novæ pronuntiationis Græcæ firmioribus præsidiis, molibus, subsidiis arcem jotacismi sui muniant & fulciant: ne quid ipsis simile contingat è mala pronuntiatione, atque olim Ephrateorum duobus & quadraginta millibus (quod tamen deus ab illis avertat) Jud. 12. Quod si qua fortè propugnacula & alia oppugnationum machinamenta possit excogitare effrænata perversæ consuetudinis violentia: nostra tamen pronuntiatio ἀκαταγώνιστος καὶ ἀπόρθητος semper apud viros eruditos manebit.

PARS

PARS ALTERA DE CONSONANTIBUS.

Hactenus, Philopappe, de vera pronuntiatione vocalium & diphthongorum, ὡς ἐξ ἀρχῆς πρότασις δίχα γεγένηται, habuiſti quid nos ſentiremus : nunc de illa conſonantium (ſi placet) etiam cognoſce, ubi nos grammaticorum minutas partitiunculas uſque ad infima factas conſectari non ſtatuimus : ſed qua vitii affinitate illæ ſeſe attingunt, eas quam breviſſime poterimus explicare. Itaque *β* prima ſeſe offert in hanc ſocietatem conſonantium : cujus proſodiam mirum quam inepte & inſulſe referant grammatici quidam ad *v* conſonantem : præſertim quum hoc quidem labiis in orbem paululum reductis & modice diductis, illud vero dicatur vallo eorundem omnino compreſſo ſonare : eumque ob ſonum à grammaticis muta clauſa, ut *p*, vocatur. quam labiorum commiſſuram & mutuum congreſſum Græci nominant προσόμιον, ἢ προσομίαν, τοῦτ᾽ ἔστι τὴν εἰς ἄλληλα τῶν χειλῶν συμβολήν. quod ſane quisque, ſi velit diligenter attendere, ſenſu & periculo partium organicarum facto, percipere poterit. Ac primum idne verum ſit nec-

necne, nobis ovium balatus poteſt etiam indicare: ut ipſemet Euſtathius in Homerum indicavit. βῆ, inquit, τῆς τῶν προβάτων φωνῆς μιμητικὸν καὶ σημαντικόν. i. *βῆ imitatur & indicat ovium balatum*, quem certe ne Arcades quidem ὁποσουνοῦν ὠτόεντες, quamlibet auriti, attenti ac vigilantes paſtores, auribus vel auritiſſimis perciperent, ſi greges *Vi Vi* (quod eſt τῶν χηνίσκων, id eſt anſerculorum, prope ſibilus) pro *Bee Bee* balerent. Idem Cratinus poëta comicus hoc verſu nobis aperte ſignificavit,

Ο δ' ἠλίθιος ὥσπερ πρόβατον βῆ βῆ λέγων
βαδίζει.

Is autem fatuus, ut ovis bee bee dicens vadit.

Unde ſunt illa, βλήχειν καὶ βληχᾶσθαι. i. *balare.* Ad hæc, expende judicio ac diligenter æſtima illum Ciceronis locum in epiſtola cujus eſt initium: *Amo verecundiam*, ubi nominatim legimus, *bini*, dictionem numeri Latinam, & βινεῖ verbum Græcum, quo ſignificatur coitus, ejuſdem plane ſoni ſimilitudine in priori ſyllaba ſibi plane mutuo reſpondere, & in ſecunda leviter aſſonare. Hæc ſunt hujus loci verba, *Quum loquimur terni, nihil flagitii dicimus: at quum bini, obſcœnum eſt. Græcis quidem, inquies. Nihil eſt ergo obſcœni in verbo, quando & ego Græce ſcio, & tamen tibi dico, bini: idque tu facis quaſi ego*

ego Græce, non Latine, dixerim. Quis non perſpiciat, oratorem aperte hic alludere ad Paronomaſiam utriuſque vocis, & ad pravam ultimarum ſyllabarum pronuntiationem? Eſt autem βινεῖν τὸ βίᾳ μίγνυσθαι, *per vim miſceri*: ut τὸ ὀπύειν, κατὰ νόμον μίγνυσθαι, *conjugii lege idem facere.* Omitto illam Græcorum conſuetudinem, qui, quoties faciunt Græca è Latinis, ſemper ſonum *b* Latini ſuis popularibus per β interpretantur: ut paſſim Plutarchus, Dion, Theophilus ſucceſſor, in vocibus, Βροῦτος, Στράβων, Τιβέριος, πραίτωρ, Οὐρβανός, ὀνομασία, πλέβις, & in ſimilibus. Huc accedit origo nominis à Beth Hebraico: unde id potiſſimum etiam ducitur, ut complures aliæ: quod Hebræorum lingua reliquarum ſit longe antiquiſſima. Fit autem βῆτα à *beth* additione τοῦ α: quod (credimus quidem) nemo auſus fuerit unquam pronuntiare *Veth*, neque *Avva* pater, neque *gravatum*, neque *alphavetum*: loco iſtorum, *beth*, *abba*, *grabatum* & *alphabetum.* Neque etiam Tullius ad Cœlium, quum ſcripſit Epiſt. famil. Lib. II. epiſt. 16. *Curſius noſter dibaphum cogitat, ſed eum infector moratur*, reddidit *divaphum*, quamvis ſit τὸ β in medio dictionis. Id autem ſonat togam bis tinctam purpura. Hebræum autem Beth aliquid habet à β, Græco diverſum, diſtinguitur enim aliquando puncto daghes, quod ſolet inſcribi umbilicis ſex literarum: hæ autem ſunt בגד כפת *Begad Cephat*,

b. g. d. c. p. t. quarum poteſtates è daghes & raphe vide in grammaticis Hebræorum. Siquid eſſet hujuſmodi diſtinctionis in hoc charactere ſecundo, nullus relinqueretur locus noſtris περὶ τῆς ἀμφιβολίας τοῦ βῆτα querelis. Ex his igitur tot rationibus & teſtimoniis conficiamus, βῆτα compreſſis labris, non autem diductis, pronuntiandum, atque hunc perverſum τοῦ *Beta* & *Vau* ſonum Vaſconibus relinquamus, quibus eſt patria, familiaris honeſtaque dialectus, ſic loqui, *Bos parolles ſont braies & de balleur*, pro, *Vos parolles ſont vrayes & de valeur.* Item, *Benez, ſi bous boulez benir*, pro, *Venez, ſi vous voulez venir.* Talem, inquimus, ſonum illis relinquamus: quum *Veth* media litera minime poſſit eſſe: quod eſt argumentum non minoris ponderis quam ſuperiora. Addemus tamen quod nonnulli de β nobis objiciunt, vocem Latinam *Severus* verti in Græcam Σεβῆρος. Unde volunt efficere β ſonare *v* conſonantem: Sed illi dicant, (ſi placet & ſi poſſunt) quomodo Græci ſono literæ *v* uterentur, quem nunquam audivere à ſuis majoribus. Nec ullum ob id habuerunt characterem huic ſono reſpondentem. Quoties vero coguntur (quod raro accidit) exprimere Græce ſonum τοῦ vau in reddendis vocibus vel Hebraicis vel Latinis, id neceſſitate & inopia talis literæ (quanquam cætera ſit eorum lingua copioſiſſima per diphthongum ου vel β efficere ſolent, ut Σεούηρος, Ναούϊος, Οὐαλέριος: quomodo

modo ſonat Gaza in Catone majore, Μάρκ☉ Οὐαλέρι☉ Κορβῖν☉: & Dion, Μάρκ☉ Οὐϊψάνι☉ Αγρίππα, *Severus*, *Nævius*, *Valerius*: vel, Σεβῆρ☉, Ναίβι☉, Βαλήρι☉, *Seberus*, *Næbius*, *Balerius*, *Corbinus*, *M. Vipſanius Agrippa*. Quemadmodum etiam Gaza vertit illud in Catone majore, *Turpione Ambivio magis delectatur*, ὡς γὰρ ἐπὶ Τυρπίωνι Αμβιβίῳ ἥδεται. Sed enim ex hac una & poſtrema voce facile perſpicias Græcis & ſonum & characterem literæ *vau* defuiſſe: ideoque quum neceſſitate coacti uno charactere ȣ β in hac poſtrema voce geminum & diverſum expreſſerint ſonum, alterum, civem, alterum, peregrinum cenſeamus eſſe. Idem cognoſcitur è Plutarchi libello περὶ τῆς Ρωμ. τύχης, ſcribentis perplexe τὸ *Servius*, Σέρβι☉ Τύλλι☉, & Σερȣ́ι☉. Neque hic audiendus eſt Johannes Britannicus, aut quiſquam alius, qui ſcripſit commentarios in XIV. Satyras Juvenalis, & in hunc præcipue verſum,

Hoc diſcunt omnes ante Alpha & Beta puellæ.

Ubi legendum eſt (inquit ille) *Vita, non Beta: quum nomina ſint literarum Græcarum.* Nos contra dicimus legendum eſſe *Beta*, non *Vita*: quum hæc ſit litera Græcorum, qui ſonum τȣ̃ *Vau* penitus ignorarunt. Idcirco nihil ipſis fuit neceſſe ſono ignoto ſignum adinvenire. Quod arguit vox Latina Beneventum, à Strabone verſa βενεȣ́εντον, &

à Stephano de urbibus βενέβεντον: quod itidem τὸ *David* à ſeptuaginta interpretibus verſum per *beta* Δαβίδ, inopia notæ referentis ſonum τȣ̃ *Vau* literæ Hebraicæ coactis, in דוד.

Subſequuntur, γάμμα, κάππα, ταῦ, literæ: quæ quia non eundem ſonum ubique retinent, de iis quoque quid ſentiamus, dicendum videtur. Singula quidem æqualiter & recte ſonant ante tres vocales, α, ο, ω: verum ante alias & ante aliquot diphthongos decedunt vitioſe de ſua provincia & poteſtate: quam cæteris literis tradi non licuit ſine decreto ſenatus & principum grammaticorum: ſed contra illis ipſis prorogari ad omnem uſque æternitatem, propter priorem & ratam provinciæ adminiſtrationem. Ac primum γάμμα poſtquam ſuam ſibi poteſtatem abrogavit, vis ipſius maſcula defluxit in effœminatam. Antecedens enim ε, ut γέλως *riſus*, εὐαγγέλιον: vel ι, ut in γίλος, *luſcus*: vel υ, ut in γυνὴ, *mulier*: vel certas quaſdam diphthongos, ut γαῖα, *terra*, γείτων, *vicinus*, γοῖτος, *ſordes*, γυῖον, *membrum*, turpiter degenerat in *Jod* conſonantem, enuntiaturque ſimiliter atque ſi *jelos*, *evanjelion*: ubi tres primæ ſyllabæ pronuntiantur vulgo corrupte, *jilos*, *jyni*, *jæa*, *jiton*, *jitos*, *jion*, ſcriberetur. Atqui ἰῶτα apud Græcos nunquam conſonans eſſe poteſt, quibus non ſecus fuit ſonus τȣ̃ *Jod* ignotus, atque ipſius τȣ̃ *Vau* modo notatus. Unde igitur grammatiſtæ

Latini

Latini ſunt mutuati vim iſtam conſonandi? à ſui (credimus certe) ſimilibus, ut veriſimile eſt, qui literarum Græcarum pronuntiationem è depravatione ſuæ metiri voluerint. Neque tamen rem Græcorum literariam propter paucitatem notarum putandum eſt laboraſſe jejunitate & inopia linguæ: quia ex illis ſexdecim literis (quot initio ipſis tantum erant) ſimplices ſonos reddentibus tanta proculdubio verborum copia, tanta ſententiarum ubertas, tanta denique dicendi varietas extitit, ut eam elevari minime patiatur facile conſenſus omnium eruditorum, & teſtimonia de illius abundantia, & incredibili fœcunditate. Reliquæ autem octo, duæ longæ, tres duplices, & totidem aſpiratæ, ad numerum ſonorum augendum non ſunt repertæ: ſed ad compendia quædam & diſtinctiones, de quibus vide principes grammaticorum, ut jam monuimus in doctrina vocalium. Nos igitur potius crediderimus ineptum eſſe grammatiſtarum commentum: quod ſic quibuſdam impoſuit, ut ἰατρὸς & ἴαμβος, *medicus*, & *jambus*, *pes metricus*, multaque alia, διασυλλάβως pronuntiarint. Eſt nobis quidem valde mirum, qui tale commentum non potuerit tam longa dies, ſicut alia multa, delere. Atqui de recta hujus literæ γάμμα pronuntiatione Germani quidem certe ſunt valde noſtra ſententia laudandi, quod hujus vim nunquam ad Jod transfundant, quæcunque vel vocalis vel diphthon-

gus ſequatur. Utinam nos atque illi iſtam ſoni æqualitatem in cæteris literis ſemper retineremus: atque adeo memores ſemper eſſemus rationis Fabianæ, dum K è characteribus literarum Latinarum expungi jubetur: propterea quod (inquit) nihil ſit eo opus neque Græcis neque Latinis dictionibus, quum præſertim C perferat vim ſuam ad omnes vocales & ab his factas. Verum hic præſtat Fabii verba repetere Inſt. Orat. lib. I. cap. 7. *K quidem*, inquit, *in multis verbis non utendum puto, niſi quæ ſignificat etiam, ut ſola in his ſignificandis ponatur: ut K, Kalendis, ut Q. Quinto. Hoc eo non omiſi, quod quidam eam, quoties A ſequatur, neceſſariam credunt, quum ſit C litera, quæ ad omnes vocales vim ſuam perferat.* Idem Priſcianus, *K & C*, (inquit) *etſi videantur figura & nomine inter ſe differre, eandem tamen poteſtatem tam in ſono, quam in metro continent: & K quidem certe ſupervacua eſt.* Hanc vero ſonandi ſimiliter & feriendi ſequentes vocales facultatem τῦ κάππα pariter æqualiterque, ut ad ipſum, ſic ad γάμμα καὶ ταῦ judicamus pertinere: quum ἰῶτα in ſubrogatione τῦ γάμμα non poſſit induere naturam literæ mediæ (ſicut γάμμα inter tenuitatem κάππα & denſitatem τῦ χῖ) neque ſonum illius poterit imitari.

Sed de γάμμα ſatis: nunc de κάππα & ταῦ dicamus. Sibilus, qui in κάππα & ταῦ exauditur in vitioſa pronuntiatione, non eſt ſolum

ſolum nothus, ſed pernicioſiſſimus etiam author amphiboliæ: ut, exempli gratia, *κῦρος*, *rex*, *σύρος*, *gentilis*, item Κίμων *dux*, Σίμων *Apoſtolus.* Præterea vero quomodo *κάππα* ſit pronuntiandum, diſcere licet ex coaxatione ranarum, idque maxime ex illarum ſtridulo ſonitu, quem ingenio ſolerti Ariſtophanes effinxit in Ranis, *βρεκεκεκὲξ, κοὰξ κοὰξ.* Verba poëtæ ſunt (Charon loquitur)

Ῥᾷς' ἀκούσεις γὰρ μέλη
Κάλλις', ἐπειδὰν ἐμβάλῃς ἅπαξ. ΔΙ. Τίνων;
ΧΑ. Βατράχων, κύκνων, θαυμαστά. ΔΙ. Κατακέλευε δή.
ΧΑ. Ὢοπ ὄπ, ὢοπ ὄπ.
ΧΟΡ. Βρεκεκεκὲξ, κοὰξ, κοὰξ.
ΒΑ. Βρεκεκεκὲξ, κοὰξ, κοὰξ.

Facillime enim audies cantilenas
Pulcherrimas, poſtquam ſemel incubueris remis.
Dion. *Quorum?*
Ch. *Ranarum, olorum, admirabiles.* Dion. *Jube jam.*
Cha. *Ooop op, ooop op.*
Chor. *Brecececex, coax coax.*
Ran. *Brecececex, coax coax.*

Ubi fortis ſonus τοῦ *κάππα*, non *συριγμὸς κίβδηλος*, (id eſt *ſibilus adulterinus*) τοῦ *σῖγμα*, auditur: quorum quidem hic ſibilus lingua dentibus ſuperioribus appreſſa & labiis paulu-

lum diductis fit: ille vero contra fortis ſonus, ut cuique planum eſt experienti.

De ζῶ eadem eſt noſtra ſententia, ne ſibilet turpiter, ad declinationem amphiboliæ, ut in κερασία, *cerasſus*, & in κερατεία *ſiliquaſtrum*, Κάτι☉ *Opſopœus*, Κάοσι☉, *Cæſaroctonus*, ἀκρασία & ἀκράτεια, *incontinentia & intemperantia:* in Latinis quoque *Vitia* & *Vicia*, & in pleriſque aliis à quolibet undique colligendis, ut Lucianus oſtendit in ipſius lite creata olim cum litera σῖγμα: quod hæc infinitas ipſi dictiones ſuffurata eſſet. Alterum eſt in hac litera commentum grammaticorum, qui præcipiunt illud ταῦ poſt νῦ ſonare ut δέλτα. Quem quidem ſonum Theophilus ſucceſſor ſuis popularibus Græcis non reddidit in his vocibus Græce tranſcriptis, τεςαμέντον, non τεςαμένδον, Αντώνι☉, non Ανδώνι☉. Ita proferamus & nos eaſdem, ſicut Latine *teſtamentum*, *Antonius*. Neque vero eſt cur hic diutius philoſophemur in litera ταῦ ex nono capite Ezechielis, ubi illud, tanquam ſignum, vaſtatorem innocui tranſitus admonebat. Propterea de eo hactenus ſatis.

Huic autem jure ac merito ſubjicietur explicatio τȣ̃ σῖγμα, propter graviſſimam illam inter utrumque contentionem, ut ante poſitum eſt: quam vocalibus conſtitutis judicibus diſceptandam & componendam relinquamus: vitioſam illius pronuntiationem ſolum notemus, ac, (ſi poteſt fieri) omni ratione devi-

devitemus. Hic quidem certe graviter errant & labuntur præter cæteros Galli, quoties σῖγμα interjacet duabus vocalibus in una vel diversis dictionibus. Tum enim sonus qui est in ζῆτα, vel in *zain* Hebræorum, ex eo percipitur: ac perinde pronuntiatur ac si μῦζα scriberetur. Quod certe vitium dum nonnulli subterfugere ac devitare volunt, utinam in alterum minime inciderent, nec quasi per geminum *ss* esset scriptum, *mussa* proferrent. Hic poterit modus adhiberi, si talis ipsius audiatur sonus, qualis per imperitiam vel timiditatem quorundam doctorum fere percipitur ex κάππα, sequentibus ε & ι. Sed de σῖγμα hæc dicta sunto.

Huic potest etiam annecti, propter affinitatem flatus anserini, θῆτα: cujus tamen flatus debet esse comes levis quædam aspiratio, ut in cæteris densatis. Ita commodissime & optime distinguitur à ταῦ. Quod autem θῆτα, vt βῆτα, ἦτα, ζῆτα sit sonandum, ille versus Persii Sat. IV. satis indicat,

Et potis es nigrum vitio præfigere theta.

Et illi Martialis lib. VII. Epigr.

Nosti mortiferum quæstoris, Castrice, signum?
Est operæ pretium discere theta novum.

Nam apud Græcos, audita (ut facilius intelligas hos versus) hominis rei caussa, pe-

nitusque cognita, judices nota literæ θῆτα, condemnationem: τῦ κ, absolutionem: τῦ λ, ampliationem signabant in tabellis: quas postea in urnam conjiciebant. Tres enim hæ literæ sunt primæ harum vocum, θάνατος, καλὸν, λαμπρόν. Apud Latinos vero C condemnationem, A absolutionem (ideoque salutaris litera dicitur à Cicerone) N. L. Non liquet, ampliationem, quum caussa nondum satis judicibus e chartis illustrata & patefacta fuisset, & ejus judicium in tempus majoris illustrationis differebatur. Hoc obiter dictum sit.

Huic quoque non dissimilis est altera χῖ, quæ à grammaticis κάππα densatum existimatur. Ejus certe sonus existit tum optime, quum aër e gutture erumpit. Hanc profecto Germani recte proferunt: de quibus non ausim tale quicquam prædicare in φῖ sonando. Nam quum hoc per digamma Æolicum insueverit modo exprimi, ut φήμη, *fama*, φηγὸς, *fagus*, φυγὴ, *fuga*: modo per aspirationem φῖ, ut *philosophus*: illi corrupte reddunt istud digamma per *v* consonantem. Est autem digamma (nequis hic forte perplexus hæreat) ex Donato, geminum γάμμα: cujus nomine Cicero vocat Epist. ad Attic. lib. IX. Formianum prædium Digamma suum, quod per F digamma initio scribitur, cujus in duas partes divisi singulæ parvum ſ imitantur hoc modo F. Servius tamen in hunc versum VII. Æneid. sub finem,

hi

bi feſcenninas acies --- ſcribit, poſteros in multis nominibus F pro H poſuiſſe, ut *Formiæ* pro *Hormiæ*, ἀπὸ τῆς ὁρμῆς. In his autem vocibus, *ſervus* & *vulgus*, inquit Fabius, Inſt. Orat. lib. I. cap. 4. Æolicum digamma deſideratur, cui aſſentitur Donatus in Terentium. *Ut recte*, inquit, *Davus ſcribatur, Davos ſcribendum eſt: ſed quia nulla litera vocalis geminata vnam facit ſyllabam, niſi conjunctione (ut fit in diphthongis) & ambiguitas vitanda eſt nominativi ſingularis & accuſativi pluralis: neceſſario pro hac regula utimur digamma, DaFus, SerFus, Fulgus, CorFus.* Nos vero (ut cum bona venia utriuſque dixerimus) nihil opus fuerat abuti F ad varium uſum: quum in his vocibus minime ſint duæ vocales, ſed prior litera conſonet cum poſteriore vocali, & diſtinguatur ab altera per Vau. Sic enim, ut recte ſcribatur & proferatur, ſcribendum eſt, *Davus*, *Servus*, *Corvus*. Verum libenter, quicquid eſt hic errati, his condonamus: quia τοῦ *vau* character in ſocietatem & civitatem conſonantium nondum illorum ætate aſcitus fuerat.

Jam vero excutiendum videtur, qua ratione & authoritate decretum illud quorumdam ſciolorum περὶ τῆς τῶν γραμμάτων μεταλλοιώσεως nitatur, id eſt, de permutatione harum literarum. Illi enim paſſim docent, τὸ τ ſequens ν, referre ſonum τοῦ δέλτα, ſicut prius admonuimus: atque ipſum νῦ antecedens βῆτα, μῦ, πῖ, ſonare τὸ μῦ: ac rurſus πῖ ſequens μῦ, ut

ut β ſequens etiam νῦ, in vocibus diſtinctis. Item τὸ γάμμα antecedens ſeipſum & κάππα, ξῖ, χῖ, æque ſonat atque τὸ νῦ. Sed tum κάππα ſonum aſſumit τȣ̃ γάμμα. Reſtat autem id unum de ταῦ duntaxat monendum, quod præter illum interpretationis morem, quo paſſim utuntur, Conſtantinus Harmenopulus, Theophilus, Græci juriſconſulti, in convertendis in Græca Latinis, maximam afferat amphiboliam audientibus, dum juxta pronuntiari ſentiunt τὸν τρόμον atque τὸν δρόμον, utrobique enim exauditur δρόμον: ſed de tremorene an de curſu ſit intelligendum, neſcitur. Item οἴκόνδε & οἴκόντε ſimiliter ſonant: alterum tamen eſt adverbium ad locum, πρὸς οἶκον: alterum, nomen, id eſt, *& domum.* Hæc autem amphibolia quantas olim philoſophis turbas fecit? dum alii quidem dicerent ἐντελέχειαν, alii ἐνδελέχειαν, id eſt, perfectionem quandam & motum perennem, quo ſignificaretur univerſitatis & perfecti corporis comprehenſio. Eamobrem iſta literarum permutatio & ſoni e tali conſecutione rejicienda eſt. Hæc acceſſio debuit fieri ad ταῦ in libertatem vindicandum.

Non diſſimilem profecto vindicationem τὸ νῦ requirit: cujus quidem certe ſonus mutatur in μῦ ante tres literas, β, μ, π, ſine ulla veterum authoritate & ratione. Latini quidam ſcioli hanc (credimus) permutationem excogitarunt, ad exemplum & coagmentatio-

tationem trium inſeparabilium (quas vocant) præpoſitionum, *an*, *con*, *in*, ſpectantes, quæ quidem in μῦ ante tres literas mutantur, ut in *amputo*, *commando*, *imbibo*. At illi longe melius cogitare debuiſſent, Græcas literas neque legibus, neque armis Romanorum à prima inſtitutione conſueſſe teneri. Huc quoque accedunt amphiboliæ deformitatiſque incommoda. Nam quis animo & cogitatione poſſet comprehendere quid deſignaretur hac pronuntiatione τὸν Παῦλον, ſi fando hunc ſonum *tom Bavlon*, vel *tom Baflon* perciperet, pro *ton Paulon*? Hæ ſane pronuntiationes ſunt monſtri cujuſdam inſtar, quicum certe confligari ingenti pondere clavæ ſtudioſiſſimum quemque oportet. Ergo illud repudiemus merito, & νῦ ſemper & ubique ut *n* Latinum cenſeamus ſonandum: recto præſertim Fabii judicio freti, qui nullum apud Græcos verbum eſſe ſcribit quod litera μῦ claudatur: quod illa mugiat moleſte (hinc μυκᾶσθαι, *mugire*, μύζειν, *muſſare*) ideo a poetis eliditur, vocali ſequente.

Fuerunt adhuc, honorate ave, multa grammaticorum præcepta & decreta: quæ ſi non a nobis apud imperitam multitudinem rationibus quamvis firmis everſa, propter vim ſummam vitioſæ & corruptæ conſuetudinis, apud viros tamen eruditos certe abrogata exiſtimamus. Supereſt (ut nobis videtur) poſtremum, quod γάμμα ſonat ut νῦ, quoties primum antecedit ſeipſum, deinde κάππα,

ξῖ,

ξῖ, χῖ. Ex quo ſane oritur controverſia, eique maxime qui memoria repetit alterum decretum, ubi præcipitur, ſi τὸ νῦ anteceſſerit γάμμα, κάππα, ξῖ, debere in γάμμα tranſmutari. Verum quomodo jam γάμμα ſonabit νῦ literam, quam ut ipſum, ſic tres aliæ κ, ξ, χ, tantopere aſpernantur, nec ipſam ſinunt à fronte ſibi aſſidere? ut νῦ τῦ φαίνω thematis rejicitur, & in ejus locum γάμμα ſuccedit in præterito πέφαγκα. Non videmus hic plane quid de hac controverſia ſtatui poſſit, necdum quicquam occurrit in hoc negotio literario difficilius explicatu, propter antinomiam grammaticorum: neque ulla etiam nos & innumerabiles alios tam mira ἀπορία jampridem ſollicitat. Non eſt tamen dubium quin Græci, ſiquid in pronuntiatione hujuſmodi mutare voluiſſent, ipſam quoque literam immutaturi fuiſſent, ut in dictionibus, συμπλοκὴ pro συνπλοκὴ, *complicatio*, κάββαλε pro κάτβαλε, *proſtravit*: quia νῦ ante πῖ & ταῦ ante βῆτα locum non habent. Valde quidem eſt hoc rationi diſſentaneum, ut νῦ migret in γ, & hoc rurſus ſicut νῦ pronuntietur. Satius enim fuiſſet (noſtra ſententia) ipſum νῦ retineri, &, ſi γάμμα occurriſſet, in ν mutari. Priſcianus memorat vetuſtiſſimos Romanorum ſcripſiſſe ſolitos *Agchiſes*, *agceps*, *aggelus*, loco iſtorum, *Anchiſes*, *anceps*, *angelus*. Ex quo ſatis magnum eruimus argumentum, ut de re ſatis jamdiu ac multum diſputata ſic ſentiamus,

mus, geminum γγ retinendum, atque proferendum, ſicut Latine *agger*, *ſuggero*, *aggredior*, *aggrego*: ut geminum quoque κκ & Græce & Latine in hac voce ἐκκλησια: in ultimis autem ſyllabis ſiquando geminus harum literarum concurſus reperiatur, neque quicquam de earum legitimo ſono negare, neque affirmare & aſſenſione approbare auſimus: quum nihil ſit turpius, quam cognitioni & perceptioni aſſenſionem approbationemque præcurrere: ubi ſumus non in minori ἀπορίᾳ quam antea. Illa igitur Academica ἐποχὴ (id eſt, aſſenſionis vel approbationis retentio) hic a nobis uſurpetur, ἢ ἐφεκτικῶς ſentiamus, huncque locum aliis quam nos ſumus doctioribus aſſeverandum relinquamus: quorum nonnulli dicunt γάμμα non poſſe pronuntiari ante κάππα, ξῖ, χῖ, in ſequentibus his vocibus, σύριγξ, φάλαγξ, λύγξ, *ſyrinx*, *phalanx*, *lynx*. Hujus autem rei cauſa creditur eſſe in defectu vocalis ſequentis: in quam litera ξ ultima poſſit incurrere, & eam ferire: qualem literarum ictum & percuſſionem Ariſtoteles in arte poëtica, & ſimili argumento προσβολὴν appellat. Non deſinimus adhuc mirari quomodo γάμμα ſonet literam νῦ, quæ nequit præponi talibus literis. Iſta tamen admiratione Nigidius grammaticus & Agellius nos levant, dum vterque ſcribit, νῦ in his dictionibns Græcis & Latinis, *Agchiſes*, *Anchiſes*, *aggelos*, *angelus*, & in ſimilibus, non

eſſe

esse literam: quia si esset (inquiunt) lingua palatum percuteret, in ipsius cælum reflexa: ut in his verbis,

Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.

Atqui lingua non sentitur illa percussio: idcirco efficitur ut hic τὸ νῦ non sit habendum pro litera, sed pro nota quadam adulterina peregrino sono pronuntianda. Ita controversiæ hujus difficultas dijudicatur, & nodus expeditur. Siquis tamen aliter sentiat, & melius aliquid habeat, quod magis sit ex usu literis promovendis, & earum sonis legitime proferendis, candide nobiscum & cum reliquis communicet: ei certe summum honorem post deferemus omnes. Nihil est hic necesse orationem unius vel alterius periodi adscribere, cujus structura lectori effingat & exprimat intelligentiæ moram & impedimenta (sicut antea fecimus in doctrina vocalium & diphthongorum) quæ nobis sonus consonantium putide pronuntiatus, & præter artem immutatus, inferre solet. Illa enim satis perspiciuntur e verbis & ex eorum doctrina, exempli caussa prius dispersis & dissipatis. Hæc sunt quæ animadvertere & notare in literas Græcas in præsentia potuimus: siquid forte amplius ac melius posterarum ætatum studia nobis attulerint, nostros homines non sinemus illius, quantuluscunque futurus est, fructu carere. Vnde, sicut ex

his

his veritatis ſtudioſi aliqua habebunt adjumenta, non ſolum ad recte pronuntiandum Græce, ſed etiam ad ita Latine proferendum, ut Latini viſi ſunt priſcis temporibus locuti.

Hic diſputationis noſtræ finis faciendus videretur, niſi reprehenſores quidam acerrimi hic adeſſent, qui neſcio quas objiciunt incommoditates noſtræ pronuntiationis: quorum dum paucis objecta diluimus, libenter attendas obſecramus. Ac primum ſummam collocant propugnationem uſitatæ pronuntiationis in conſuetudine recepta, quam ſuaviſſimæ appellationis ſpecie nominant *εὐφωνίαν*: eamque illi prætexunt permutatione literarum & ſonorum. Egregia vero illa eſt ſoni ſuavitas qua putres ſolum aures perfundi ſoleant. Longe aliter ſentiunt quibus aures ſunt puræ, teretes ac religioſæ, intelligensque judicium: qui illam judicant *ἄκρατον κακοφωνίαν*, *ſonum longe intemperatiſſimum & aſperrimum.* Quod ſi ita ſe res haberet ut dictitant, illa tam erudita, & omni humanitatis genere tam exculta Græcorum antiquitas, rudis admodum judicanda eſſet, quæ ſe tam facile paſſa ſit tanta voluptate tamdiu caruiſſe. At multo aliter evenit. tanta enim fuit ex recta pronuntiatione, qualis eſt hæc noſtra, in ipſius ſermone ſuavitas, tanta orationis concinnitas, tanta denique oris jucunditas, ut

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Ex ejus lingua melle dulcior flueret oratio,

ut ait Homerus de Neſtore. Qua de re poſſent alia infinita teſtimonia citari, & elogia commemorari, niſi res omnibus ſatis eſſet per ſe teſtata & probata. Deinde nobis objiciunt maximam ex noſtra pronuntiatione incommoditatem, quam ſic nobis ob oculos proponunt. Siquis veſtrum (ajunt) hodie in media Attica Græcam orationem hoc genere pronuntiationis haberet, à nullo, vel certe à paucis, quod diceret intelligeretur: quin etiam à plerisque ludibrio habitus exploderetur. Fatemur quidem, nullam ætatem talibus ſtulte doctis hominibus caruiſſe: verum utris potius fidem habendam putes? Platoni ne, qui poſtulat Ηρη pronuntiari (tanquam vox hæc ſcriberetur Ερεε) an Græcis hujus ætatis, qui eandem vocem perinde proferunt acſi Ιρι ſcriberetur. Præterea utris è Romanis? veteribus ne, ut Fabio Quintiliano (qui docet literam c æqualiter perferre vim ſuam ad omnes vocales) an recentioribus, qui illud putide pronuntiant per *ſ* ante *e* & *i*, *ſe*, *ſi*. Nemo eſt certe qui non libentius antiquitatem hic ſequatur, quam novitatem depravatæ pronuntiationis, ἐκεῖνος γὰρ πολλὴν τῆς ἀγνοίας ἀτιμίαν τοῖς παλαιοῖς Ἕλλησι προσβάλλει, *is profecto turpiſſimam inſcitiæ notam veteribus Græcis inurit*: qui tales in pronun-

tiando

tiando ineptias de gente omnium olim eruditissima jactat imperite. Verumtamen nos libenter excusamus tam inscite dictum, ac illius authorem spectasse ad inertem & degenerem eruditæ antiquitatis posteritatem judicamus. Quum enim audimus atque adeo plerique omnes habent exploratum, perceptum & cognitum, à barbaris & Turcis πανωλεθρίαν, exitium & interitum universalem literis & literatis in totam Græciam jamdiu importatum fuisse: nemini certe potest esse dubium quin nos ab incolis illius regionis, nullis literis, nulla humanitate multos jam annos excultis, nulla ingenuarum artium facultate expolitis, quin ab illis (inquimus) ita nos pronuntiantes hodierno die non intelligeremur. Id tamen vertendum est vitio non quidem recte pronuntiantibus, qui quod ars præscribit, quod ratio docet, quod antiquitatis authoritas præcipit, quod denique scriptura repræsentat, id legitimo vocis sono præstant: sed imperitis auditoribus, qui, quod illi veris præceptis docent & tradunt, usu comprobant, antiquorum sanctitate confirmant, minime exequuntur, & ignorant turpissime. Est vero probandum, eos, qui præter alios ad omnem humanitatem & eruditionem antiquitatis egregie fuerint informati, non posse nostram pronuntiationem percipere, vel potius rem ex ea significatam comprehendere: qui probe noverint & sonos singularum literarum

notare, varios caſus variaſque flexiones obſervare, verborum modos & fines conjugare, vocum ſtructuram dijudicare, vim ſcripturæ exacta perceptione examinare, ex apta denique ſuſpenſi ſpiritus mora perfectas orationis ſententias ab imperfectis diſtinctionibus ſeparare. Quæ omnia ſi forte neſcio, qua (ut fere labat hominum memoria) vel lectionis deſuetudine, vel auditionis, vel ſcriptionis, vel recti colloquii intermiſſione ex animo parte aliqua exciderint: poterunt tamen ex noſtra recte pronuntiandi ratione facile ea reminiſci, & ſenſum loquentis recte callere: qui etiamſi injuſtas dederint vocibus aures, auditu tamen accipient inviti quod illorum aſpectus probabit maxime, contrarium vero improbabit juſtiſſime. Quod ſi oculis horum placet hæc ſcriptura, *Iliad. α.*

Μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηλειαδέω Ἀχιλῆος,

cur auribus eorumdem hæc illi contraria & pronuntiatio & ſcriptura,

Μῖνιν αἴδε θεὰ Πιλιαδέω Ἀχιλῖος.

tantopere probatur? Næ nobis illi videntur ſimiles phantaſia & imaginatione laborantibus, & inſanis, qui bonum à malo imbecillitate mentis ſecernere minime poſſunt. Novimus

vimus quidem ipſi, non ita pridem, quendam doctorem (cujus nomini hic parcemus) qui quum diſcipulis dictaſſet hunc verſum Homeri hoc pronuntiandi genere, Οδυσσ. λ. v. 582.

Kè μῖν δάνδαλον ἰσῖδον χάλεπ᾽ ἄλ᾽jε᾽ ἔχονδα,

& poſtea ita ſcriptum legiſſet in unius libello, vehementer diſcipulum de hac cacographia objurgavit. Tum puer, Dignus ſum equidem, inquit, iſta objurgatione maxime, ſi mei condiſcipuli habent ejuſdem verſus orthographiam. Quam ubi doctor comperit in eorum omnium libris pariter æqualiterque deeſſe, hanc illis vanam talis objurgationis rationem reddidit, Cum paucis eſſe quidem ſentiendum, ſed cum multis loquendum. Nos quidem iſtam ſententiam libenter approbamus, ſi de verbis fictis & novatis illa (ut debet) intelligatur: quia poſt depravationem humanæ naturæ ἀρχαιονομαθεσία & unum ac idem ſermonis idioma periit: cujus quidem certe uſus non minus fuit poſtea varius, multiplex & inconſtans, ac tantiſper futurus eſt talis, dum mundus ſtabit, quam ſunt & erunt hominum mores & cultus. Atque ut ita ſentiamus, his verſibus Horatianis, præter authoritatem ſacrarum literarum, adducimur,

Multa renaſcentur quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus,
Quem penes arbitrium eſt, & jus & norma loquendi.

Sed hujuſmodi temporum mutationi non eſt ratio ſonorum literariorum, ut varia verborum novitas, ſubjecta: neque alia nunc atque olim fuit ab initio conſtituta poteſt haberi. Itaque, quid erit iſtud aliud in hac ſonorum conſtantia, Cum paucis ſentiendum, ſed cum multis loquendum: niſi docere, cum paucis quidem ſapiendum, ſed cum multis deſipiendum? id eſt, cum ratione inſaniendum? Vide (obſecramus) quid tali pronuntiatione ſuperioris verſus efficiatur. Primum, in legitimum literarum uſum peccatur, qui eſt Quintiliano, ut cuſtodiant voces & velut depoſitum reddant legentibus: ut etiam quicque ſcribatur quomodo ſonat: contra ut quicque ſonet quomodo ſcribitur. Deinde Plato aperte inſimulatur matæologiæ, etymologia, id eſt, veriverbio vitioſa pronuntiatione contaminato: quum ille in Cratylo docuerit Τάνταλον dici quaſi ταλάνταλον, ſumme miſerum ac infelicem, & finxerit τὸ ταντάλεια alluſione quadam ad ταλαντεία, ὅτι ἐν ᾅδου ἡ ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ τοῦ λίθου ταντάλεια οἱονεὶ ταλαντεύεται, *quod apud inferos ſuſpenſum*

ſpenſum ſaxum, quaſi jamjam caſurum, impendeat, & in ipſius caput libretur. Quod ſi præſentem verſum ita doctor ille pronuntiaſſet ut hic vides & nativis characteribus expreſſum legitimisque ſonis redditum,

Καὶ μὴν Τάνταλον εἰσεῖδον χαλέπ' ἄλγε' ἔχοντα,
Cai meen Tantalon eiſeidon chalep' alge' echonta,

nec dignitas & amplitudo divini philoſophi falſo crimine notata fuiſſet: nec in hæc errata diſcipuli tam turpiter incidiſſent: nec denique objurgatio præceptoris tam ridicula fuiſſet: qui voluerit ſuos diſcipulos plus ſapere quam ſeipſum, atque illos ex ipſius vitio (ut tritum eſt ſermone proverbium) efficere virtutem. Aliquanto quidem prudentius, non tamen ſine magna & temporis & operæ jactura mihi facere videntur nonnulli magiſtri, qui ad vitandam cacographiæ culpam diſcipulis dictata excipientibus, appellatione literarum coguntur præire: quanquam talis appellatio præeuntis vitio non careat pronuntiationis, nec idcirco orthographiæ culpa vacet. Verbi gratia, jubentes illi diverſam vocum κῆδος & κῦδος notionem annotari, & è mora ceſſationeque diſcipulorum conjectantes rationem primarum ſyllabarum ab illis prorſus ignorari, propter vitioſam pronuntiationis ſimilitudinem κῖδος & κῖδος, coguntur ſic litteras appellare, ut prior vox per *ita* & poſterior per

ypſilon ſcribenda ſit : & tamen e culpa hujusmodi appellationis per *ita* & *ypſelon* alterum ſcripturæ periculum auditoribus creatur : quod non ſubeundum fuiſſet, nec tantum operæ & temporis perditum, ſi jam ſtatim ab initio prælectionis *τὰ κεέδος* & *κύδος* fuiſſent recte pronuntiata. Non eſt quidem certe minus juſta exterarum nationum & gentium de diverſa diſſimilique ſcriptura & pronuntiatione linguæ Gallicæ querela : ubi aliter multa proferuntur atque notis characteribuſque indicantur, & contra : non minus (inquimus) quam præſens noſtra eſt expoſtulatio de vitiata linguæ Græcæ pronuntiatione. Verum ſuperiora & alia hujuſmodi objecta à nobis quidem illa ſatis refutata videntur, & hæc omnibus leviora debent eſſe quam ut in illis diluendis ac refutandis diutius ſit immorandum. Itaque de his οὐκ ἔτι ἡμεῖς ἂν ὠτοκοπήσοιμεν σοὶ πλείονα λαλοῦντες, μηδὲ ἐπὶ πλεῖον ἐγκόψοιμεν, id eſt, *non tuas aures obtundemus oratione, refutationeque longiori, neque diutius interpellabimus.* Quis enim tot ineptiis ac nugis ſufficeret, niſi qui ineptus ipſe & nugator haberi vellet?

Nos adhuc, honorate ave, curavimus, vitia Græcæ pronuntiationis, quæcunque in mentem nobis venire potuerunt, laborioſe ac diligenter tibi notare : à quibus ſi tua & ſententia & judicio non ſolum caverimus, ſed omni-

omnino etiam abhorruerimus, nos à graviſſimis intelligentiæ impedimentis putamus vindicatos. Neque vero eſt quod te ab hoc judicio faciendo magnopere deterreat & avocet vis illa depravatæ conſuetudinis pro omni ratione toties ad nauſeam uſque objecta. Ea mature ſtudioſiſſimo cuique veritatis & ſcientiæ emendanda & mutanda eſt, non ſecus atque lingua mendaciis dedita. Quod ſi forte ad nos inde metuas ludibrium aliquod redundaturum, tecum (quæſumus) reputa, literas Græcas non tam ſermonis & collocutionis cauſſa, quam percipiendæ philoſophiæ & humanitatis, liberaliumque artium intelligendarum gratia proponi hodie Gallis: unde ſumma accedit utilitas tum ad publicæ tum ad privatæ diſciplinæ cultum & ornatum. Sed Latini ſermonis uſus multo patet latiſſime in omnibus Europæ totius partibus, ſive collocutionem, ſive ſcriptionem, ſive auditionem ſpectes: idque in omnibus Reip. muneribus, religione, juriſprudentia, profeſſione ingenuarum & liberalium artium, in variis variorum populorum commerciis. Hic tamen, gravate quidem, populo concedimus corruptum & vitioſum Latine pronuntiandi uſum: à qua barbariſmi & ſolœciſmi fœditate libenter abeſſemus, ſi per te, ſi per mores patrios, ſi denique per conſenſum doctiſſimorum virorum nobis liceret: qui quum errata

Latinæ pronuntiationis tolerant & ferunt, illa certe nobis ad tempus tolerabilia quodammodo debent videri. At in Hellenismo nihil est hujusmodi nobis pertimescendum: hic tuto & libere possumus versari; nec tanta cogitatio tanti ludibrii & periculi nos debet adeo sollicitos habere: quum Græce nusquam in Gallia fiant colloquia, nusquam conciones habeantur Græce: nusquam Græce agantur causæ, nusquam denique Græca dialecto tractentur pacta & conventa. Quæ omnia etsi dederimus hic & ubique Græce fieri, bona tamen pars eruditorum virorum nobiscum faceret, si non aperta voluntate, id tamen tacite præstaret, se libenter ad veritatem hujus causæ adjungeret, & ab imperitis condemnatam absolveret: quæ jam in exteris nationibus, nedum in ipsa Gallia (ut ante diximus) defenditur acerrime, & exercetur utilissime. Plus libri doctæ antiquitatis & clarissimorum virorum monumenta, atque adeo res ipsa & veritas (quorum authoritate & consilio nostra pronuntiatio nititur) apud te debent valere, ut semper in causis etiam multo gravioribus valuerunt, quam minutæ & falsæ grammaticorum præceptiunculæ, in quibus egregia illa & recti speciosa imitatrix consuetudo pronuntiandi tantum videtur insidere. Cujus tamen summa vis & indocta non solum corpus & partes ipsius omnes, sed

ſed mentes quoque omnium omnino hominum ſic jamdiu miſere occupavit, ut ab illis percipienda, dicenda, facienda, vinculis pravæ conſuetudinis conſtricta videantur per ſummam injuriam teneri. Quæ etiam cauſa fuit ut ipſius vires Plutarchus oratione ſecunda περὶ σαρκοφαγίας cum veneficio compararit, πέποται ὁ τῆς συνηθείας κυκεὼν, ὥσπερ ὁ τῆς Κίρκης, Ὠδίνων ὀδυνάς κυκεὼν ἀπάτας τε γόους τε. Id eſt, *Hauſtum eſt conſuetudinis poculum, quod eſt velut cinnus quidam, ſimilis Circeo cinno, dolores & fraudes & gemitus parienti*, e caſtigata Henrici Stephani interpretatione. Itaque nihil ea invita jam poteſt neque fieri, neque dici, neque excogitari. Unde quis non exclamet maximum, ne æſtus tyrannicæ conſuetudinis incautos abſorbeat, & ad pravum uſitatæ pronuntiationis morem trahat, O monſtrum immane, horrendum, perniciem rerum bonarum! ô importunum, amentem & intolerandum tyrannum! Sed enim ad utrumque conficiendum nulla ſunt aptiora arma ſtudiis veritatis: qua nos & omnes boni armati & illius amore incenſi, nullo negotio illud monſtrum proſternemus, lacerabimus, conficiemus. Nec ad illius internecionem nobis opus eſt votis, ut vel Herculem ἀλεξίκακον, vel Theſeum, vel Perſeum, vel Harmodium & Ariſtogitonem ab inferis excitare debeamus: quum

quum e ſtudio veritatis nobis ſatis virium ſuppetat ad fortiter dimicandum & illud opprimendum. A qua quidem certe dimicatione tam legitima nihil nos poteſt aut debet nec omnes bonos revocare : ne ipſa quidem exempla quorundam eruditorum virorum, quorum diſſimulatione nos urgent & inſectantur nonnulli. Fatemur quidem certe, viros eruditionis raræ hæc pronuntiationis vitia & animadvertiſſe & jamdiu notaſſe : ſed quia correctionem velut per jocum attigerunt, & ſilentio diſſimularunt (ſicut multo his graviora & ſanctiora) ideo dicimus, illos, ut ſibi natos ſolis & commodos, ſuperiori ætate graviter erraviſſe, atque nulla conſcientiæ fide commotos, etiam nunc in tanta literarum luce gravius errare. Et certe nullos putamus juxta bonis literis obeſſe, atque illos qui accurate quidem ac ſedulo, ſed parum prudenter & conſtanter eas tractare ſolent. Verum quid hic conſilii captes? ſic plerique omnes faciunt in rerum veritate confirmanda & reſtituenda, ut ſuis potius quam Reip. commodis ſerviant : ad res ſuas, quam ad alienas, ſint attentiores : mendacio magis quam veritati faveant : imperito populo magis placeant quam bonis viris & eruditis : quod penes illum ſit (ut ajunt) uſus loquendi, quique ponatur in his tribus optimo

cuique

cuique maxime horribilibus ac formidolosis, quæ minime possint coerceri, Phocylides ἐν νουθετικοῖς.

Λαός τοι καὶ ὕδωρ καὶ πῦρ, ἀκατάσχετα πάντα.

Populus, aqua & ignis nequeunt contineri.

Non continuo tamen exemplis illorum optimi cujusque & Reip. studiosissimi animus frangendus ac debilitandus est: quin potius consilium poetæ in re præsertim optima & Reip. utilissima audiendum & sequendum, Virgil. vi. Æneid.

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

Hoc enim, fortis est animi & Reipubl. bene consulentis: illud, ignavi & progressum juvenum in studiis literarum impedientis ac retardantis. Cujusmodi sane veritatis studium animique constantiam quum nemo hominum jure possit in te desiderare, Philopappe, sicut tuus etiam præsens rerum status quotidie nobis dat harum reliquarumque virtutum maxima documenta: nos quidem non diffidimus te jam nostris argumentis ac rei veritate adductum esse ut vitiosam & corruptam Græce pronuntiandi rationem animadversione censoria & authoritate castiges:

nostram

noſtram vero, ut antiquiſſimam & veriſſimam, comprobes. Iſta quidem judicii ſeveritas & veritatis ſtudium illuſtribus exemplis philoſophorum & potentiſſimorum principum nitetur: qui rem grammaticam maximi olim fecerunt, atque de ea optime meriti ſunt. Si diſceptatoribus illis & arbitris hæc cauſſa ageretur & diſceptaretur, ὁμοφωνία, vel potius (ſi ita Græce loqui liceret) μονοφθογγία ſeptem literarum, partim vocalium, partim diphthongorum, ut diſcentibus pernicioſiſſima & docentibus moleſtiſſima è ſcholis omnibus & academiis ad extremos uſque Garamantas ejiceretur & exterminaretur: μεταλλοίωσις quoque conſonantium & permutatio ſonorum ſimiliter atque illa damnaretur, ut deformitatis, ancipitiſque ſenſus, ac proinde fallacium argumentationum improba magiſtra: quales quum Ariſtoteles nullas è depravatis literarum ſonis obſervarit in Elenchorum libris (ut inde cuique apertum & perſpicuum eſſe poteſt) tam eſt verum quam quod veriſſimum, nullam literam ipſius ætate ſono duplici affectam fuiſſe, nec plures literas uno eodemque ſono pronuntiatas. Supereſt igitur ut hæc pronuntiationis vitia ex omnibus gymnaſiis & publicis ſcholis depulſa, ſoli Loxiæ cacodæmoni, ὅσπερ πᾶσιν αὐτοῦ πευθομένοις τὰ ἀμφίλοξα μαντεύεται, id eſt, *qui omnibus ſciſcitantibus ora-*

cula

cula reddit ambigua, relinquantur, & Delphos ſortilegos quam primum ablegentur.

Ad extremum, Philopappe, ſummas tibi clariſſimoque patri gratias agimus de noſtra tam liberali educatione & inſtitutione: in quibus cogitationes & curas utriuſque videmus plurimum evigilare, non ſolum ut animi noſtri ad omnes honeſti partes, ſed ora etiam & linguæ noſtræ ad recte, diſtincte & clare quidvis pronuntiandum, mature a bonis & doctis præceptoribus informentur. Faxit DEUS OPT. MAX. ut pro veſtris erga nos tantis beneficiis uterque veſtrum aliquando honoratus tot liberis totidemque nepotibus a poſteritate τῆς εὐπαιδίας μακάριος prædicetur: qui (ut Simo ille Terentianus gloriabatur) habeat natos tali ingenio præditos, & educatione doctrinaque liberaliter inſtitutos: atque nos viciſſim perpetua grati animi teſtificatione crebriſque ſermonibus carmen Theognidis poetæ & Euripidis ſemper de vobis uſurpemus, veraque gloriatione de ſplendore generis noſtri jactemus,

Οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι πατρὸς καὶ μητρὸς ἄμεινον
Ἔπλεθ', ὅσοις ὁσίης, Κύρνε, μέμηλε δίκης.

Nihil inter homines patre & matre melius
Eſt, quibus, o Cyrne, ſanctum jus curæ fuit.

Οὐκ

Οὐκ ἔςι παισὶ τȣ́τȣ κάλλιον γέρας,
Ἢ πατρὸς ἐσθλȣ̃ κ' ἀγαθȣ̃ πεφυκέναι,
Καὶ τοῖς τεκȣ̃σιν ἀξίαν τιμὴν νέμειν.

Non est liberis munus honorificentius hoc,
Quam patre bono & honesto ipsos natos esse,
Et parentibus dignum honorem tribuere.

DIXIMUS.



INDEX

INDEX.

A.

B.

Brassen

C.

F.

G.

H.

I.

M.

N.

O.

O.

P.

T.

V.

ERRATA.

Pag. 2. lin. 2. Francofurtanæ. *lege* Francotanæ. 24: 27. legittimus. legitimus. 28: 27. nihil erat. nihil juris erat. 33. Barrie. Barbarie. 41: 27. antquæ. antiquæ. 48: 7. figuræ. figura. 54: 24. expritur. exprimitur. 56: 26. habet. habent. 97: 3. difſerat. differat. 101: 13. ſeu *u*. ſed *u*. 103: 23. verò. verô. 119: Stao. Stoa. 123: 10. aliquum. aliquem. 128: 24. laboremus. laboraremus. 131: 9. Hyachinthus. Hyacinthus. 132: 10. conſine. confine. 287: 13. ΝΕΟΚΟΡΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Reliqua hujus generis L. B. facile corriget.

In Nummis Lunula argentum, Stella æs denotat. Inediti omnes vera ſui magnitudine exprimuntur.

Köhler 32/20 u/cd for 2 vols.